





THEOLOGIA DOGMATICO-SPECULATIVA

IN
PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS
TRADITA


Bibliothecae S. Erem: Camaldulen

A

P. JOSEPHO MONSCHEIN
S. J.

Insulae Viennensis.


SS. Theologiæ, & SS. Canonum Doctore
p. t.
UNIVERSITATIS DILINGANÆ
CANCELLARIO.



TRACTATUS III.

DE
PECCATIS, GRATIA ET MERITO.

Cum facultate Superiorum.



AUGUSTÆ VINDEL. & FRIBURGI BRISGOIÆ,
Impensis Fratrum IGNATII & ANT. WAGNER
Bibliopolarum, anno 1769.

Bj Bien. F. I. 2 (a)

REVERENDISSIMO

AC

SERENISSIMO

Domino Domino

JOSEPHO

S. R. I. PRINCIPI,

Episcopo Augustano,

Landgravio Hassiæ

a Darmstadt,

Principi Hirschfeldensi,

Comiti Catimelibogi, Diez,

Ziegenheimb, Nidda, Schaumburg,


Isenburg, & Bidingen,

ABBATI INFULATO

S. Helenæ de Földwar in Hungaria,

Equiti S. Huberti &c &c.

Domino Domino Clementissimo.



INDEX MATERIARUM,

In hoc opuſculo contentarum, ex quibus illæ, quæ ſtellula notatæ ſunt, ex præſcripto diſcutiuntur, reliquæ brevius exponuntur.

TRACTATUS DE PECCATIS, GRATIA, ET MERITO.

PARS I. DE PECCATIS.

DI-

DISPUTATIO I.

De peccato mortali, & veniali in genere.

DISPUTATIO II.

De differentia specifica, & numerica peccatorum.

DISPUTATIO III.

De causa, & effectu peccati actualis.

DISPUTATIO IV.

De peccato originali.

*An



PARS II.

DE GRATIA.

DISPUTATIO I.

De variis ſtatibus naturæ in ordine ad gratiam.

Qua-

DISPUTATIO II.

De neceſſitate gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ.

DISPUTATIO III.

De gratia ſufficiente.

Qui-

DISPUTATIO IV.


De gratia efficaci.

den-

DISPUTATIO V.

De gratia ſanctificante.

*An



PARS III.

De Meritis.

* An





TRACTATUS III.

DE PECCATIS, GRATIA, ET MERITO.

POstquam in Tractatu praecedente finem ultimum hominis & actus humanos in genere expendimus, ordo doctrinae postulat, ut descendamus ad illorum species, ad actus videlicet moraliter malos, & bonos, quibus a beatitudine nostra vel abducimur, vel ad eandem perducimur. Quia vero sine divino auxilio nec malum morale vitare, nec bonum salutare operari possumus, simul de Divina gratia tanquam praecipuo ad peccata declinanda, & merita comparanda medio agendum erit. Unde tractatum hunc uti materiae ubertate amplissimum, ita multis subtilitatibus theologicis refertum in tres partes divido, quarum prima erit de Peccatis, altera de Gratia, tertia de Merito.

PARS I.

DE PECCATIS.

Peccatum latissime acceptum est defectus a 1
regula dirigente, & triplex, peccatum Naturae, Artis, & Moris. Primum est defectus

ab ordine naturæ, uti claudicatio, cæcitas: alterum a regulis Artis e. g. solœcismus contra regulas Grammaticæ: tertium a regula moralitatis, sive lege Dei obligante ad ultimum finem. Tribuitur insuper nomen peccati multis rebus, quæ aliquam cum peccato moris analogiam habent; nam 1 non nunquam accipitur pro concupiscentia & fomite peccati, ut quando Apostolus ad Rom. 7 v. 17 ait: *Non jam ego operor, sed quod habitat in me peccatum.* 2. Pro hostia vel sacrificio pro peccato, quo sensu Deus Christum 2 ad Corinth. 5 v. 21 dicitur pro nobis peccatum fecisse. 3. Pro materia vel objecto peccati, sic Deuteron. 9 v. 21 vitulus aureus Israelitarum peccatum vocatur. 4. Pro pœna peccati, prout habetur Lev. 20 v. 20. Verum istæ similesque acceptiones sunt impropriæ.

2 Hic considerabo peccatum in sensu proprio ac theologico, in quo rursus triplex est, nempe Actuale, Habituale, & Originale. Peccatum Actuale (de reliquis inferius agetur) ex S. Augustino L. 22 contra Faustum cap. 27 communissime definitur, quod sit dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam. Ut hæc definitio omni & soli conveniat, 1. debet subintelligi to *Liberum*; nam peccatum materiale, quod absque libertate & advertentia ad legem Dei fit, est tantum improprie peccatum. 2. Per to *Concupitum* non denotatur objectum, quod concupiscitur, sed ipse actus voluntatis, quo in objectum tendimus, sive dein sit simplex complacentia, uti delectatio morosa, sive gaudium, aut quicunque actus internus; omnes enim ejusmodi actus reducuntur ad Concupitum. 3. Concupitum, & non Concupitum, dictum & non dictum &c. pro eodem accipiuntur, quia affirmatio, & negatio reducuntur ad idem genus. 4. Leges Di-

Divinæ poſitivæ ſaltem ſunt æternæ inadequate, quoad ipſum actum intellectus, & voluntatis Divinæ, licet primum in tempore promulgentur.

Quod ſi exactius ad regulas Logicæ pec- 3
catum definire velis, dices : peccatum actuale eſt libera transgreſſio legis Divinæ; ſicut enim lex Dei eſt prima regula objectiva moralitatis, ita ratio peccati moralis conſiſtit in difformitate actus vel omiſſionis cum lege Dei, non quidem in difformitate formali, alias ipſa lex peccatum intrinſece conſtitueret, ſed in difformitate radicali, in quantum peccatum formaliter eſt difforme ultimo dictamini conſcientiæ legem Dei proponentis. Neque obſtat, quod aliquis etiam theologice peccare poſſit contra leges humanas; nam iſtæ totam vim obligandi in conſcientia habent a lege Dei præcipientis, ut ſervemus leges humanas juſtas, ſi quidem in conſcientia obligare velint. Unde qui agit contra ejusmodi legem humanam, eo ipſo agit contra legem Dei reflexam, quæ nos ab æterno obligat, ut Principibus tanquam Miniſtris ſuis obtemperemus.

Equidem S. Thomas 3 part. q. 88 a. 2 ad 4
2 cum aliis docere videtur, quod peccatum veniale non ſit contra, ſed tantum præter legem Dei, & modum rationis, quem lex intendit, quod licet verum ſit de contrarietate finis, quatenus per peccatum veniale non tollitur charitas, & amicitia cum Deo, quæ finis eſt legis : nihilominus proprie loquendo quodlibet peccatum eſt contra legem contrarietate objecti, cum utique etiam peccatum veniale a Deo prohibeatur, alias omnino peccatum non eſſet, ſed actus indifferens vel imperfectio. Ex quo ulterius contra Suarium in 1 2 tract. 5 diſp. 2 ſect. 5 ſequitur, quod peccatum veniale ſit proprie offenſa & injuria Dei; dum enim pecca-

tor ſciens ac volens legem transgreditur, debitam Deo obedientiam & ſubjectionem negat, ac ſupremam majeſtatem virtualiter contemnit, proin tribuit illi jus ad indignationem ac pœnam temporalem infligendam; hinc a SS. Patribus, & ipſa ſcriptura peccatum veniale offenſa Dei vocatur, uti Jacob. 3 v. 2: *In multis offendimus omnes.*

5 Ex his patet, peccatum actuale eſſe quoddam concretum morale, ex actu vel omiſſione peccaminoſa tanquam ſubjecto, & ex malitia tanquam forma denominante, quæ licet juxta omnes conſiſtat in difformitate cum lege Dei, in hac ipſa tamen explicanda auctores non conveniunt. Suarius, Valent. Granad. illam conſtituunt in pura quadam privatione phyſica, totum actum liberum conſequente, & ex eo quaſi reſultante. Econtra Vaſquez, Cajetan. Leſſ. &c. contendunt, malitiam formalem conſiſtere in ipſo actu vel omiſſione, libere & advertenter contra legem poſita, quamvis reſpectu peccati commiſſionis dici poſſit quædam privatio vel negatio logica. Differt autem privatio a negatione, quod illa ſit negatio boni debiti, iſta negatio boni ſimpliciter; privatio vero & negatio phyſica a logica differt, quod phyſica ſit purum nihilum ab omni poſitivo adæquate diſtinctum, cum logica ſit revera aliquid poſitivum, quod tamen formaliter concipitur per modum negationis vel privationis. Sic inſipientia concipi & explicari ſolet per negationem ſapientiæ.

6 Inter has ſententias probabilior eſt poſtrema; dummodo enim aliquid libere & advertenter fiat contra legem, jam formaliſſime violatur obligatio legis: ergo formaliſſime jam habetur malitia ſeu difformitas cum dictamine rationis & ipſa lege, abſtrahendo ab omni privatio-

vatione phyſica rectitudinis debitæ ſuperaddita, præſertim cum hæc privatio non ſit immediate libera, rectitudo autem actui moraliter malo impoſſibilis, & v. g. odium Dei elici poſſit in circumſtantiis, in quibus non datur obligatio eliciendi alium actum bonum oppoſitum, cujus rectitudo tunc debeatur voluntati. Sicut igitur actus moraliter bonus juxta adverſarios eſt concretum quoddam partim phyſicum, partim metaphyſicum, conſiſtens in actu libere & advertenter juxta legem poſito, ita malitia formalis eſt forma partim metaphyſica cum actu identificata, partim phyſica, in quantum dicit libertatem & advertentiam ad legem.

Interim licet malitia peccati (excepta pu- 7
ra omiſſione libera) ſit aliquid poſitivum, recte tamen concipitur per modum negationis aut privationis logicæ. Quippe malitia peccati eſt difformitas cum lege, inordinatio ab ultimo fine, inobedientia, inhoneſtas, imperfectio moralis &c. Sed hæc prædicata in ſuo conceptu formali dicunt privationem vel negationem logicam, ſcilicet negationem conformitatis cum lege, negationem ordinationis ad ultimum finem &c.; hinc omnes ferme Patres apud Vasquez in 1. 2 diſp. 95 cap. 4, & Petavium Tom. 1 theologic. dogmat. lib. 6 cap. 5 peccatum & ejus malitiam formalem negative explicant, dum dicunt *malum eſſe privationem boni, Eſſe nihil, Non habere naturam vel eſſentiam, neque cauſam efficientem ſed deficientem*, intellige in ſenſu logico & morali, quatenus peccatum nullam habet æſtimabilitatem & conducentiam ad ultimum finem: cum enim Patres non tam loquantur de malitia formali in abſtracto, quam de actu peccaminoſo in concreto, non poſſunt intelligi de mera privatione phyſica. Adde quod egerint contra Manichæos aſſerentes ali-

quas ſubſtantias eſſe ex natura ſua malas, & ideo creatas a Deo malo; adeoque juxta veterem loquendi modum nomen *entis*, *naturæ* &c. acceperint antonomaſtice pro ſubſtantia, & ſolum contenderint nullum malum eſſe ſubſtantiam.

DISPUTATIO I.

De peccato mortali & veniali in genere.

8 Peccatum actuale dividitur 1 in peccatum Cordis, Oris, & Operis. Peccatum Cordis conſummatur interius, quin in actum externum prodeat: Peccatum Oris verbis perficitur, uti detractio, blasphemia: Peccatum Operis completur opere externo a verbis diſtincto, uti furtum, homicidium &c. 2. In peccatum commiſſionis & omiſſionis. Prius eſt actus poſitus contra legem negativam, quæ directe ac primario aliquid prohibet, veluti lex non furandi: poſterius eſt omiſſio oppoſita legi affirmativæ, quæ directe ac primario aliquid præcipit, velut præceptum audiendi miſſam die feſto; hoc enim primario exigit poſitivam miſſæ auditionem, alia vero, propter quæ miſſa omittitur v. g. luſum, vel ſtudium prohibet indirecte & ſecundario; ſicut lex non furandi ſecundario præcipit reſtitutionem.

9 Dividitur 3 in peccatum ex ignorantia, quod procedit ex ignorantia culpabili, in peccatum ex fragilitate, quod oritur ex gravi aliqua tentatione aut valida paſſione; in peccatum ex malitia, quod absque gravi tentatione aut ignorantia ex mera protervia committitur. 4. In peccatum carnale & ſpirituale. Carnale per ſe tendit ad inordinatam delectationem corporis; talia ex peccatis capitalibus ſunt tantum duo Gula & Luxuria. Spirituale animi potiſſimum

mum delectatione perficitur, qualia sunt reliqua peccata capitalia. In sensu tamen latiore etiam ista interdum vocantur carnalia, in quantum etiam ipsa ex carnis corruptione nascuntur; hinc Apostolus ad Galat. 5 v. 20 & 21 inter opera carnis recenset iram, invidiam &c. In sensu demum strictissimo sola luxuria dicitur peccatum carnale.

Dividitur 5 in peccatum contra Deum, 10
quod specialiter & immediate adversatur bono Dei, ut blasphemia, perjurium: in peccatum contra proximum, quod specialiter & immediate adversatur bono proximi, ut homicidium, & furtum: in peccatum contra se ipsum, quod specialiter, & immediate adversatur bono proprio, ut gula & luxuria. 6. In peccatum per excessum & defectum. Prius excedit medium virtutis, velut prodigalitas: posterius medium virtutis nequidem attingit, velut avaritia. Hæc divisio tantum locum habet in illis virtutibus, quæ dicuntur consistere in r[illegible]lio, uti liberalitas; in aliis vero e. g. Char[illegible]ate Dei, Religione &c. nunquam per excessum proprie potest peccari, cum Deus nunquam nimium possit coli, aut amari.

Dividitur 7 in peccatum proprium, quod 11
quis ipsemet committit; & in alienum, quod lic[illegible] ab alio committatur, nobis tamen imputatur ob jussionem, consilium, adulationem &c. in quibus proprie ratio peccati continetur, ut adeo quodlibet peccatum in rigore loquendo sit proprium. Denique 8 ac præcipue in peccatum mortale & veniale. Primum sic dicitur, quia mortem infert animæ, eam privando gratia sanctificante, quæ est quasi vita spiritualis animæ: secundum dicitur veniale, non præcise, quia a Deo veniam obtinet, sed quia compa-

rate ad mortale leve eſt, nec amicitiam cum Deo diſſolvit. Si aliquid per ſe loquendo & intra idem genus ſemper graviter eſt prohibitum, dicitur eſſe mortale in genere vel ex toto genere ſuo, uti infidelitas, homicidium; ſi vero intra idem genus modo graviter, modo leviter prohibitum eſt, dicitur mortale ex genere ſuo, uti furtum, detractio: ſi denique intra eandem ſpeciem ſemper manet tantum leviter prohibitum, & per ſe nunquam poteſt fieri mortale, dicitur ex genere ſuo veniale, uti prodigalitas, parſimonia &c.

12 Quæres, quid ſit, & an dari poſſit peccatum Philoſophicum? Reſp. 1. Peccatum philoſophicum eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali & rectæ rationi, intellige formaliter & ſoli; ſi enim formaliter etiam diſconveniat legi Divinæ, jam erit peccatum theologice tale. Unde hoc peccatum dari nequit, quin detur invincibilis ignorantia vel oblivio Dei, hac vero poſita actus diſconveniens rectæ rationi eſſet quidem offenſa Dei materialis, eo quod omnis ejusmodi actus lege naturali reipſa ſit prohibitus, non tamen eſſet offenſa Dei formalis, nec pœna æterna dignus, tum quia nullam contineret inobedientiam aut contemptum Dei, tum quia juxta communem peccatum tantum eatenus meretur pœnam æternam & diſſolutionem amicitiæ cum Deo, quatenus trahit malitiam quamdam ſecundum quid infinitam ab infinita dignitate Dei cognita & vilipenſa, dum peccator ab infinito bono ſe convertit ad creaturam.

13 Reſpondeo 2. Peccatum pure philoſophicum metaphyſice implicat; nam ut quis formaliter peccet, non tantum debet advertere, quod agat aliquid quomodocunque indecens & erubeſcendum, quale e. g. foret, ſi a prædonibus ſpo-

ſpoliatus deberet incedere nudus; ſed quod agat aliquid indecens moraliter, id eſt, aliquid culpabile & prohibitum: ergo hoc ipſo ſaltem implicite advertit, quod agat contra legem ſuperioris & quidem talis, qui culpam commiſſam in quibuscunque circumſtantiis valeat punire etiam in illis, qui nulli poteſtati creatæ ſubſunt, ut patet ex timore pœnæ, quem habent etiam barbari, & ſummi Principes, dum in occulto perpetrant illicita, & rectæ rationi difformia: ergo quicunque formaliter peccat, agnoſcit ſupremam poteſtatem legislatoris: ergo ſaltem confuſe & ſub prædicato convertibili cognoſcit Deum, cui ſoli tanta prohibendi & puniendi poteſtas convenit, ut oſtendi in Tract. de Leg. num. 46. Hinc licet Deus forte ad breve tempus ab aliquibus poſſit ignorari, nequit ignorari ab illo, qui formaliter peccat, & ideo Scriptura & Patres, quoties loquuntur de peccato & peccatore, qui agit contra rationem, ſemper indicant, quod offendat Deum, illius legem vilipendat, & a ſummo bono avertatur.

Colliges, quo ſenſu Alexander VIII anno 14
1690. 24 Auguſti tanquam ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, ac erroneam damnaverit hanc propoſitionem: *Peccatum Philoſophicum ſeu morale eſt Actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero & mortale eſt transgreſſio libera Divinæ Legis. Philoſophicum, quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel actu de Deo non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale, neque æterna pœna dignum.* Ubi notandum, quod Pontifex in decreto proſcriptionis dicat, doctrinam, quam hic damnat, de novo erumpere. Jam vero prima duo membra propoſitionis,

 con-

continent definitiones peccati Theologici, & Philosophici dudum ab auctoribus receptas & indicatas a S. Thoma 1. 2 q. 71 art. 6 ad 5. Ex quibus pariter jam diu ante tempora Alexandri VIII Gerson, Gonet. Suarius, Lessius &c. intulerunt, peccatum philosophicum, si poneretur, non fore peccatum mortale, nec Dei offensam, quod ipsum docuisse videtur S. Thomas 2. 2 q. 20 art. 3 in corp. dicens: *Si posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale.*

15 Unde nec definitiones peccati Theologici, & Philosophici, nec doctrina mere conditionata de illius malitia damnatæ sunt, sed potissima ratio citatam propositionem proscribendi fuit nimia generalitas; nec enim facit discrimen inter ignorantiam Dei vincibilem, & invincibilem, neque inter offensam Dei materialem & formalem, imo legenti posset ingerere opinionem, quasi talia peccata essent possibilia & actu dentur, quod utique temerarium, scandalosum &c. Neque dicas, tali modo Pontificem damnasse doctrinam solum imaginariam, eoquod nemo unquam tradiderit peccatum Philosophicum actu dari, aut cum ignorantia Dei vincibili stare posse. Respondeo, saltem non defuisse, qui existimaverunt, peccatum Philosophicum esse possibile, idque actu etiam dari, & cum ignorantia Dei vincibili stare, videtur posse deduci ex propositione damnata, quæ tempore Alexandri recenter ex thesibus P. Musnerii excerpta, & ab Arnaldo ad S. Sedem delata fuit; attamen per invidiam aliquantum immutata, cum mens Musnerii in manu scriptis expressa, & verba expositæ Thesis longe alium sensum habuerint, ut pluribus videri potest apud P. Viva in Trut. part. 3.

Quæ-

QUÆSTIO I.

An & quomodo peccatum mortale differat a veniali?

Non omnia peccata esse æqualia, ut cum Stoicis asserebat Jovinianus & Pelagius, clare docet Scriptura: *Major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum*, Thren. 4 v. 6. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*, Joann. 19 v. 11. Profecto nullum peccatum adeo in suo genere consummatum est, ut ratione extensionis, intensionis, & aliarum circumstantiarum crescere nequeat. Quæritur jam ulterius, utrum præter peccata mortalia etiam dentur venialia, & quomodo inter se differant? Quippe Wicleffus, Calvinus, & Lutherus contendunt, omnia peccata ex natura sua esse mortalia, & solum fieri venialia ex misericordia, & libero Decreto Dei, qui fidelibus, vel electis illa ad mortalem gravitatem non imputet. Ad hunc errorem accedit sententia Gersonis, Almajni & Roffensis, qui tamen ab hæreticis differunt in hoc, quod differentiam extrinsecam non ducant ex respectu personarum, scilicet prædestinati, & reprobi, fidelis, & infidelis. Cæteri catholici agnoscunt venialia & mortalia intrinsece differre, quamvis hoc varie explicent. 16

17 Dicendum 1. Datur peccatum mortale & veniale. Prob. Juxta S. Scripturam aliqua peccata afferunt mortem animæ, & excludunt a regno Dei. *Homo per malitiam occidit animam suam*, Sap. 16 v. 14. *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*, ad Galat. 5 v. 21. alia vero vitam animæ, & jus ad cœlum non tollunt. *In multis offendimus omnes*, Jacob. 3 v. 2. *Septies cadit justus*, Prov. 24 v. 16. Nempe uno

die, ut exponunt interpretes, non tamen mortaliter, alias nullus foret amicus Dei; hinc Trident. Seſſ. 14 cap. 5 docet, quod mortalia neceſſario debeant exponi in confeſſione, non item venialia: & Seſſ. 6 cap. 11 diſerte ait: *Licet in hac vita mortali ſancti & juſti in levia & quotidiana, quæ venialia dicuntur, peccata cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti.* Conſentiunt SS. Patres apud Bellarm. Lib. 1 de amiſſ. Grat. cap. 5 & ſeq. ex quibus S. Auguſt. Lib. de Spiritu & Liter. cap. 28 ita habet: *Sicut non impediunt a vita æterna juſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillime vita cujuscunque peſſimi hominis invenitur.*

18 Confirmatur 1. Error Lutheri, videlicet, quod fidelibus tanquam peccatum mortale imputetur ſola infidelitas, aut illa peccata, quæ fidem excutiunt, damnatus eſt a Tridentino Seſſ. 6 Can. 27 & 28; nam repugnat Scripturæ, ex qua conſtat etiam peccatores eſſe in Eccleſia, ideo Matth. 3 v. 12 aſſimilatur areæ, in qua paleæ cum tritico, & cap. 13 v. 47 ſagenæ, in qua piſces boni cum malis permiſti ſunt. Unde S. Paulus ad Galat. 5 v. 21 inter peccata mortalia recenſet opera carnis, & Chriſtus in ultimo judicio non ſolum in infideles ſed etiam in immiſericordes ſententiam pronuntiabit. 2. Pariter ex fide certum eſt contra Wicleffum & Calvinum, quod prædeſtinati graviter poſſint peccare; nam Adamus, David, Petrus erant electi, & nihilominus peccarunt graviter. 3. Per ſe abſurdum eſt dicere, quod infidelibus omnia imputentur tanquam mortalia, fidelibus vero tanquam venialia; ſic enim Turca vel Judæus per quodlibet e. g. verbum otioſum mereretur pœnam æternam; e contrario fideles poſſent

ſine

ſine metu inferni occidere, fornicari, furari &c. cum tamen Deus longe magis conqueratur contra injurias a fidelibus ſibi irrogatas: *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique: tu vero homo unanimis & notus meus &c.* Pſal. 54 v. 13 & 14.

Dicendum 2. Peccata mortalia, & venia- 19
lia intrinſece & ex natura ſua differunt. Prob. 1. In S. Scriptura quædam peccata comparantur leviſſimis rebus, & minimis, alia graviſſimis & maximis, nimirum Culici & Camelo Matth. 23 v. 24, feſtucæ & trabi Luc. 6 v. 41, item noviſſimo minuto Luc. 12 v. ult. ergo quemadmodum culex ex natura ſua minus quidquam eſt quam Camelus, & feſtuca quam trabs, minutum vero minimum quid in ratione debiti, ita peccata quædam in judicio Divino ex ſe ſunt longe minora & quædam minima. Nempe ut imputatio peccati ſit juſta & prudens, debet conformari intellectui dictanti, quomodo aliquid ſit imputabile, & hoc ipſum judicium debet habere pro fundamento in re imputabilitatem intrinſecam & antecedentem; ergo voluntas Divina non poteſt imputare aliqua peccata ut gravia, alia ut levia, niſi intellectus Divinus judicet, illa jam antecedenter habere malitiam gravem vel levem; alias poſſet homini etiam ad pœnam æternam imputari actus indifferens vel mera imperfectio moralis. Hinc Pius V & Greg. XIII damnarunt propoſitionem 20 Baji: *Nullum peccatum eſt ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Probatur Concluſio 2. Si peccata non dif- 20
ferrent intrinſece, ſed omnia ex natura ſua eſſent mortalia, natura humana eſſet peſſime conſtituta ad ſuum finem, quippe non ſolum viribus ſuis naturalibus relicta, ſed etiam gratia ſan-

ſanctificante, & aliis donis ſupernaturalibus inſtructa, haberet neceſſitatem moralem excidendi ultimo ſuo fine, & incurrendi æternam miſeriam. *Non enim eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet*, Eccleſ. 7 v. 21; hinc Tridentinum Seſſ. 6 Can. 25 definit, *hominem etiam juſtificatum non poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia.* Conſ. Ipſa natura peccatorum, conditio reipublicæ humanæ, & ratio divinæ amicitiæ exigit diverſitatem peccati mortalis a veniali; nam aliqua peccata de ſe graviter repugnant Deo, bono publico, &c. amicitiæ Divinæ, uti odium Dei, homicidium &c. aliqua tantum leviter: ergo ſicut amicitia inter homines exigit, ut non quælibet offenſa illam diſſolvat, & ordo reipublicæ poſtulat, ut non omnia graviter prohibeantur: ſic idem dicendum reſpectu amicitiæ Divinæ, & ſupremi Legislatoris obligantis totum genus humanum.

21 Dicendum 3. Peccatum mortale & veniale differunt per hoc, quod mortale ſit contra legem graviter, id eſt, ſub amiſſione ultimi finis, & interminatione pœnæ æternæ obligantem; veniale vero contra legem obligantem leviter, nempe ſub dilatione ultimi finis, & interminatione pœnæ temporalis. Prob. Quia hæc differentia petitur ex prædicatis primis & eſſentialibus; ſicut enim peccatum in genere definitur transgreſſio libera legis Divinæ; ſic peccatum mortale in ſpecie recte definitur transgreſſio libera legis graviter obligantis, & peccatum veniale transgreſſio libera legis leviter obligantis. Ex quibus definitionibus ſolum tanquam proprietates emanant aliæ differentiæ, quæ paſſim afferuntur, ut 1. quod peccatum mortale tollat ordinem ad ultimum finem, non item veniale.

2. Quod

2. Quod mortale deſtruat charitatem & amicitiam cum Deo, veniale vero fervorem charitatis & perfectionem amicitiæ tantum minuat. 3. Quod mortale ab intrinſeco ſit irreparabile, quia tollit ipſum principium intrinſecum reparativum, ſcilicet vitam ſpiritualem, adeoque ſolum reparari poteſt ab extrinſeco; dum econtra veniale vitam ſpiritualem relinquit, ut declarari poteſt per mortem aut morbum corporis lethalem, & non lethalem.

Objectiones ex Auctoritate.

Obj. 1. Juxta præceptum Dei quilibet tenetur 22
eſſe juſtus, perfectus, ſanctus, & immaculatus. *Eſtote perfecti*, Matth. 5 v. 48. *Ut eſſemus ſancti & immaculati*, ad Epheſ. 1 v 4; hinc 1 Joann. 3 v. 9 dicitur: *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit --- & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt.* Ergo omne peccatum adverſatur juſtitiæ, & perfectioni Chriſtianæ. Conf. Luc. 1 v. 6 de parentibus S. Joannis Baptiſtæ dicitur: *Erant autem juſti ambo incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus ſine querela.* ergo. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo omne peccatum mortale adverſatur juſtitiæ & perfectioni Chriſtianæ, Conc. Conſ. peccatum veniale, ſubdiſt. adverſatur leviter, Conc. Conſ. graviter, Neg. Conſ. Juſti, perfecti, ſancti, & immaculati, ut advertit Bellarm. lib. cit. cap. 6, in Scriptura frequenter dicuntur, qui habent gratiam ſanctificantem, Deum ſuper omnia diligunt, & nihil admittunt, quod Charitati graviter repugnat; atque hæc ſola juſtitia & perfectio ſub mortali eſt præcepta. Certe Apoſtoli, ſi quis hominum, erant ſancti, juſti &c. & tamen unus ex illis clamat: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos seducimus.*

cimus, 1 Joann. 1 v. 8. Ad Conf. Sine querela juxta S. Augustinum lib. de gratia Christi cap. 48 vivit, qui nemini nocet, aut scandalum præbet, licet coram Deo peccatis venialibus non careat, & tales erant Zacharias & Elisabeth.

23 Obj. 2. Omne peccatum meretur mortem animæ; nam Ezech. 18 v. 4 universim dicitur: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Ad Rom. 6 v. 23: *Stipendia peccati mors.* Deuteron. 27 v. 26: *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus.* Conf. Ps. 31 v. 2 vocatur *beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum:* ergo peccata tantum differunt ex libera imputatione Dei. Resp. Neg. Ant. Scriptura in allatis textibus loquitur de peccato antonomastice tali, & mortali, ut patet ex contextu, & illis locis, quæ in probatione pro nobis allegavimus; imo Ezechiel solum vult ostendere, peccata patris non puniri in filiis, unde subdit: *Filius non portabit iniquitatem patris.* Ad conf. Neg. Conf. Versus objectus non loquitur de imputatione culpæ, sed de perfecta remissione peccati etiam quoad pœnam, de qua immediate ante dictum erat: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates.*

24 Dices. Matthæi 5 v. 19 expresse habetur: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum*, & Jacob. 2 v. 10: *Qui offendit in uno, factus est omnium reus.* Conf. Joann. 13 v. 8 Christus Petro dixit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Quæ verba intelliguntur de ablutione a peccatis, quæ nos venialia vocamus. Resp. Christus apud Matthæum juxta S. Chrysost. & Theophilact. apud Bellarm. cap. 12 loquitur de mandatis revera gravibus, quæ tamen Pharisæi ita interpretabantur, ac

si

ſi minima eſſent, docentes, ſolos actus externos homicidii, adulterii &c. eſſe graviter prohibitos, non item iram & concupiſcentiam internam: unde Chriſtus mox ſubjungit: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus, quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Juxta S. Hieron. in Comment. & S. Auguſt. de Serm. Domini in monte cap. 16 ſermo quidem eſt de mandatis revera levibus, ita tamen, ut non ſola eorum transgreſſio excludat a cœlo, ſed perverſa illorum interpretatio, quaſi omnino non obligent. In altero textu S. Jacobus agit de transgreſſione mandati gravis; nam ſtatim ſubdit: *Qui enim dixit, non mœchaberis, dixit, & non occides.* Ad Conf. Ablutio illa vel tantum fuit neceſſaria, ut graviter tunc præcepta a Chriſto, vel quia prævidebat Petrum ex tali inobedientia viam ſibi paraturum ad peccata graviora, ob quæ non eſſet partem ſecum habiturus.

Obj. 3. SS. Patres paſſim confundunt pec- 25
cata mortalia & venialia; nam mortalia non nunquam vocant venialia, ipſa vero venialia multum exaggerant, ajuntque illa damnationem inducere. Sic S. Hieron. Epiſt. 14 ait: *Neſcio, an poſſimus leve aliquod peccatum dicere.* S. Chryſoſt. Serm. de lev. peccat. pericul. *Peccata licet levia occidere, & inducere contemptum Dei.* S. Baſil. in Quæſt. compend. explic. q. 4: *Nullum peccatum eſſe minutum, ſed omne a D. Paulo vocari ſtimulum mortis.* S. Auguſt. lib. de vera & falſ. pœnit. *Peccata venialia eſſe tantum levia ex miſericordia Dei.* Reſp. Peccatum veniale juxta S. Thomam tripliciter a Patribus accipi. 1. Pro veniali ex eventu, quale cenſetur omne illud, quod per pœnitentiam expiatur, & veniam conſecutum eſt. 2. Pro veniali ex cauſa, quod facilius veniam meretur, quia

potius ex ignorantia, & imbecillitate, quam ex malitia commissum est. 3. Pro eo, quod est contra legem leviter obligantem. Quamvis itaque mortalia & venialia confundant in prima & secunda acceptione, tamen illa clarissime distinguunt in tertia magis propria, ut ostendit Bellarminus Lib. 1 de amissione gratiae, & statu peccati cap. 9. Porro peccata venialia merito exaggerant, quia de se sunt magna mala, & prae omni malo physico detestabilia, ac insuper dispositive perducunt ad peccata gravia, ipsamque damnationem, cum propter illa Deus possit subducere auxilia efficacia, quod si non faciat, soli misericordiae tribuendum.

26 Dices. S. Basilius in Regulis seu quaestionibus brevioribus ad interrogationem 293 aperte ait: *Differentiam majorum & minorum peccatorum nusquam in novo testamento inveniri.* S. Augustinus vero saepius docet minimum peccatum mereri infernum. Sic Lib. 2 de peccat. merit. cap. 3 ait: *Quis cum aliqua spe adipiscendae salutis aeternae de hac vita migraret, manente illa sententia, quod quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus sit omnium reus, nisi post paululum sequeretur, superexaltat autem misericordia judicium.* Item lib. 9 Confess. Cap. ult. *Vae etiam laudabili vitae hominum, si remota misericordia discutias eam.* Et Epist. 29 ad Hier. *Quis gloriabitur se mundum esse a peccato? quae igitur spes, nisi superexaltet misericordia judicium?* Resp. S. Basilium (si tamen ipse est auctor illarum responsionum, quod negat Suarius) tantum velle, quod inter peccata non detur discrimen quoad prohibitionem simpliciter, ut perperam docuere Scribae & Pharisaei, negantes in lege antiqua prohiberi peccata levia. Quippe S. Pater se ipsum declarat exemplo duorum aegro-

grotorum, quorum uterque indiget curatione, licet unus acriore, alter remiſſiore. S. Auguſt. primo loco agit de peccato minimo inter gravia, aitque, neminem ſcire, an non ejusmodi peccatum admiſerit, vel utrum admiſſa ſibi a Deo ſint condonata. In 2do & 3tio loquitur de pœna purgatorii, ſine qua pauci ſtatim ad cœlum admittuntur. Hinc Lib. 9 Confeſſ. rogat Lectores, ut pro matre ſua orent: *Ut conſequatur Dei miſericordiam.*

Objectiones ex Ratione.

Obj. 4. Quodlibet peccatum eſt offenſa Dei in- 27
finiti; ergo infinitæ malitiæ, conſequenter mortale. Conſ. prob. Malitia offenſæ creſcit juxta dignitatem perſonæ offenſæ: ergo. Conſ. Quævis offenſa Dei eſt injuria, inhonoratio, contemptus Dei: ergo gravis. Reſp. Diſt. Ant. quodlibet peccatum eſt offenſa Dei vel levis vel gravis, conc. Ant. ſemper gravis & reſcindens amicitiam cum Deo, neg. Ant. & diſt. Conſ. ergo eſt malitiæ infinitæ ſecundum quid, tranſ. Conſ. ſimpliciter, neg. Conſ. malitia & gravitas offenſæ ex dignitate perſonæ non creſcit arithmetice, ita, ut gradus malitiæ commenſuretur gradibus dignitatis; ſed tantum geometrice, in quantum offenſa, & malum fit altioris ordinis, quam omnes aliæ offenſæ & mala creaturarum; hinc licet malitia peccati venialis dicatur infinita ſecundum quid & terminative, manet nihilominus ſimpliciter finita, & tantum pœnam temporalem meretur. Ad Conf. diſt. Ant. omnis offenſa Dei eſt contemptus formalis & injuria directe intenta, neg. Ant. Contemptus virtualis, & injuria ſolum indirecte intenta, conc. Ant. & neg. Conſ.

28 Dices 1. Infinita Majeſtas Dei exigit, ut non poſſit offendi, quin incurratur culpa gravis; nam ex hoc vel maxime elucet ipſius infinita excellentia. Conf. Dignitas verbi minimas actiones Chriſti dignificat infinite: ergo dignitas Dei omnia peccata infinite gravificat. Reſp. Neg. Ant. Sicut Deus eſt infinitæ dignitatis, ita etiam eſt bonitatis & ſapientiæ infinitæ, ut proinde nec poſſit, nec velit nos obligare graviter ad vitanda omnia peccata venialia moraliter inevitabilia. Porro excellentia Dei ſufficienter manifeſtatur per hoc, quod quævis illius offenſa etiam ſolum levis ſit majus malum, quam omnes aliæ offenſæ & mala; unde quamvis non ſit aliquid leve comparate ad alia mala & offenſas creaturarum, eſt tamen aliquid leve comparate ad peccatum mortale. Ad Conf. Neg. Conſ. Diſparitas eſt, quia dignitas verbi merita Chriſti intrinſece conſtituit; dignitas vero perſonæ offenſæ eſt peccato tantum extrinſeca, ut oſtenditur in tractatu de Incarnatione.

29 Dices 2. Omne peccatum eſt contra primum & maximum mandatum, quo tenemur Deum amare ſuper omnia; atqui maximum mandatum non obligat tantum leviter: ergo. Conf. peccatum etiam veniale eſt contra finem ultimum; nam peccans ſtatuit ultimum finem in objecto creato, neque actionem peccaminoſam poteſt ad Deum ordinare: ergo. Reſp. Tranſ. Maj. Diſt. min. non obligat tantum leviter aliquando & quoad ſubſtantiam dilectionis, conc. min. ſemper etiam quoad perfectionem dilectionis, neg. min. Subſtantia dilectionis ſtat in eo, quod Deum appretiemus ſuper omnia graviter prohibita, appretiatio autem ſuper omnia etiam leviter prohibita pertinet ad dilectionis perfectionem; hinc peccans tantum venialiter Deum adhuc ſaltem habitualiter quo-

ad

ad ſubſtantiam diligit, & gratiam, ac amicitiam retinet. Ad Conf. Diſt. Ant. eſt contra finem ultimum negative, tranſ. Ant. poſitive, neg. Ant. & Conſ. Quamvis leviter peccans actionem ſuam nequeat ordinare ad Deum tanquam finem ultimum, & in bono creato ſiſtat; non tamen Deum poſitive a fine ultimo excludit, neque peccatum veniale ſub amiſſione ultimi finis prohibetur; conſequenter nullo modo ita eſt conſtitutus, ut ob bonum creatum ab ultimo fine ſe velit avertere.

Obj. 5. Omne peccatum eſt majus malum, 30
& minus eligibile, quam omnia alia mala, & ipſa pœna æterna, adeo, ut propter nullum bonum etiam infinitum poſſit fieri licitum: ergo omne peccatum meretur pœnam æternam. Conf. Omne peccatum meretur privationem gratiæ, & privationem viſionis Dei temporalem; atqui hæc ſunt graviora mala, quam pœna æterna ſenſus: ergo. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Ut pœna ſit juſta & proportionata, non debet adæquare culpam, ſed, modo juxta prudentem æſtimationem ſit apta & ſufficiens ad homines a tali culpa abſterrendos, jam eſt tantum malum in ratione pœnæ, quantum malum eſt peccatum in ratione culpæ. Argumentum probaret, quodlibet peccatum mereri omnem pœnam poſſibilem. Porro quamvis peccatum veniale non poſſit eligi ad impediendum grave peccatum proximi, ex eo non ſequitur, quod ſit majus malum; hinc Eſparza Lib. 5 q. 7 a. 2 ad 4 cum aliis negat, quod veniale ſit majus malum, quam pœna æterna, quæ induceret neceſſitatem moralem committendi graviſſima crimina, imo cum pœna æterna ſenſus non poſſit ſtare cum viſione beatifica, tali modo peccatum veniale etiam mereretur æternam privationem viſionis beatificæ. Ad Conf. Tranſ. Maj. Neg. min. Nam

pœna æterna ſenſus eſt longe magis formidabilis, neque peccatum veniale meretur privationem gratiæ jam acquiſitæ, ſed tantum privationem gratiæ acquirendæ.

31 Dices 1. Peccatum veniale meretur æternam pœnam damni; nam ejus remiſſio eſt gratia, nullo modo debita homini etiam juſto, qui nunquam pro eo condigne poteſt ſatisfacere: ergo. Conf. Peccatum veniale defacto in damnatis punitur pœna æterna non tantum damni, ſed etiam ſenſus: ergo utramque meretur. Reſp. Neg. Ant. quamvis remiſſio peccati venialis non ſit debita peccatori, eſt tamen aliquo modo debita juſto, non quidem ratione condignæ ſatisfactionis, ſed ratione gratiæ ſanctificantis, quæ dat jus ad æternam beatitudinem, idque ſuo modo etiam procedit in ſtatu puræ naturæ propter jus ad beatitudinem naturalem, quæ ſtare nequit cum miſeria peccati necdum remiſſi. Ad conf. Antecedens negat Scotus cum pluribus, reliqui diſtinguunt: peccatum veniale in æternum punitur per ſe, & ratione proprii demeriti, neg. Ant. per accidens ob conjunctum peccatum mortale & ſtatum damnationis, in quo ſemper remanet culpa & nulla ſit retractatio, nec ſatispaſſio decenti modo ſuſtinetur, tranſ. Ant. neg. Conſ.

32 Dices 2. Quodlibet opus bonum hominis juſti meretur præmium æternum: ergo quodlibet opus moraliter malum pœnam æternam. Conf. Qui ſibi ipſi infert mortem vel aliud grave malum phyſicum, peccat graviter; ergo etiam qui venialiter peccat, quia ultro incurrit pœnas ſaltem temporales purgatorii, quæ ſunt malum graviſſimum. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Vis meritoria operis boni non tantum fundatur in bonitate operis ſecundum ſe, ſed præcipue in gratia ſanctificante, meritis Chriſti & mu-

munificentia Dei remuneratoris : econtra vis demeritoria peccati fundatur in sola malitia operis : quantum ergo decet Deum, & ejus liberalitatem commendat, ut præmiet supra condignum, tantum dedecet, ut plectat ultra condignum. Ad Conf. Dist. Ant. si talis agit contra legem graviter prohibentem, conc. Ant. secus, neg. Ant. Gravis obligatio vitandi grave malum physicum non datur, si per se induceret majus malum, alias esset irrationabilis. Jam vero gravis obligatio vitandi omnia venialia moraliter loquendo induceret longe majus malum, nempe peccatum mortale, & pœnam æternam eidem annexam, eoquod moraliter impossibile esset omnia ejusmodi peccata vitare.

Obj. 6. Si differentia inter peccatum mor- 3
tale, & veniale debet peti ex lege Dei, hoc ipso tantum differunt ex voluntate Dei ; ergo tantum extrinsece. Conf. Si Deus in ferenda lege debet attendere ad ipsam naturam rei, prima differentia peccati potius debet peti a gravitate vel levitate materiæ, quam a lege : ergo. Resp. Dist. Ant. Differunt per voluntatem Dei antecedentem, qua actionem aliquam prohibet vel præcipit, Transf. Ant. per voluntatem Dei consequentem, quasi Deus actum contra legem positum pro libitu imputet graviter vel leviter, Neg. Ant. Quando dicimus peccata non tantum differre per imputationem Dei, loquimur de voluntate consequente; nam quod omne peccatum debeat habere respectum ad voluntatem Dei antecedentem, ipsimet contendimus; quamvis aliqua ita sint radicaliter bona, vel mala, ut Deus necessario illa debeat præcipere vel prohibere. Porro licet difformitas formalis cum lege peccato sit partialiter extrinseca, tamen eidem concretive sumpto, adæquate est intrinseca difformitas radicalis, in qua Num. 3 ratio-

 nem

nem peccati constituimus. Ad Conf. Neg. Ant. tum quia independenter a lege Dei non potest concipi peccatum formale, tum quia hæc differentia non esset universalis; nam Deus non omnia necessario, sed quædam libere graviter, vel leviter prohibet.

34. Dices 1. Deus posset, si vellet omnia de se levia, imo etiam indifferentia graviter prohibere, sicut defacto Adamo prohibuit esum pomi, & Judæis esum carnis porcinæ: ergo. Conf. peccatum mortale & veniale sæpe modicissime differunt, ut furtum unius floreni, & 59 crucigerorum. Resp. Dist. Ant. posset graviter prohibere omnia levia distributive sumpta, & quidem præter eorum exigentiam, Transf. Ant. Omnia collective sumpta, Neg. Ant. Sicut Deus juxta Vasquez non posset omnia gravia distributive sumpta prohibere tantum leviter, ita merito dubitatur, utrum graviter possit prohibere omnia levia distributive sumpta; quæ enim defacto ita prohibuit, fuerunt gravia propter finem intentum nempe recognitionem Divini dominii. Idem proportionaliter dic de silentio Carthusianorum, de mixtione aquæ & vini ante consecrationem. Ad Conf. Dist. Ant. modicissime differunt materialiter & in consideratione physica, Conc. Ant. in morali & theologica, Neg. Ant. In posito casu furtum floreni est contra legem graviter obligantem, furtum 59 crucigerorum vero contra legem tantum leviter obligantem, quæ differentia actionum, quoad malitiam considerata, est quasi immensa. Simile quid contingit in aliis materiis, ubi sæpe complementum tandem minimum sufficit ad inducendum damnum maximum. Sic ultima gutta mergit navem, ultimum veneni granum mortem infert.

Dices

Dices 2. Poteſt dari peccatum veniale contra legem graviter obligantem, uti blasphemia ſemideliberata. 2. Et viciſſim poteſt dari peccatum mortale, quin ſit contra legem graviter prohibentem. Sic ſi Petrus diſſentiret revelationi, qua Deus ipſi revelaret ſuam prædeſtinationem, hic diſſenſus eſſet peccatum mortale, & tamen non poſſet puniri, adeoque nec prohiberi ſub pœna æterna & amiſſione ultimi finis. Reſp. ad 1. Neg. Ant. ſæpe leges pro diverſis circumſtantiis diverſimode obligant, & blasphemia ſolum graviter eſt prohibita, ſi fiat plene deliberate. Ad 2. Neg. Ant. rationem additam diſt. hic diſſenſus non poſſet puniri pœna æterna vi juris reſidentis in peccatore & ratione demeriti, Neg. vi infallibilis veritatis & revelationis Divinæ, Tranſ. Præceptum graviter obligans ex parte Dei non dicit neceſſario voluntatem abſolutam infligendi pœnam æternam, ſed tantum quod velit hominem fieri reum pœnæ æternæ, quamdiu peccatum non fuerit condonatum; quamvis autem in tali caſu pœna æterna deberet aliquando condonari, hoc non proveniret ex jure, quod homo habet ad talem condonationem quaſi pœna æterna non eſſet dignus; ſed præciſe ex infallibilitate Divinæ revelationis; unde ſi Deus tale peccatum æternum puniret, fieret quidem falſidicus, ſed homini non faceret injuriam. Adde, quod Deus tale peccatum poſſet prohibere ſub gravi inimicitia & graviſſimis pœnis, donec peccatum condonarit, quæ obligatio jam eſſet ita gravis, ut non caderet in peccatum veniale. 35

Cæterum utrum ſit poſſibile peccatum mortale eſſentialiter impunibile pœna æterna, prolixius, quam utilius diſputant Auctores. Communior contra Lug. & Dicaſtill. tenet negativam, 36

vam, tum quia divina justitia utpote infinita & inexhauribilis essentialiter exigit pro meritis posse punire omne peccatum, sicut Divina potentia essentialiter exigit posse producere omne producibile, & Divina sapientia posse cognoscere omne cognoscibile: tum quia non minus de essentia omnis peccati mortalis est, ut possit puniri pœna proportionata, quam ut sit Deo odibile; alias esset, & non esset aversio ab ultimo fine. Hinc dicunt propositum casum vel esse chimæricum, vel potius ex illo non sequi peccatum intrinsece & essentialiter impunibile pœna æterna; quippe dissensus ille non habet essentialem respectum ad revelationem Divinam, sed tantum ad dictamen practicum proponens obligationem credendi, quod dictamen dari posset, etsi revelatio Divina reipsa non daretur, modo per conscientiam erroneam putaretur dari. Unde præsupponeretur solum indeterminate revelatio Dei vel reipsa vel apparenter talis, & per consequens esset omnino idem peccatum, etsi revelatio reipsa non daretur, adeoque tale peccatum intrinsece esset punibile pœna æterna.

37 Quæres, unde desumi possit, an aliqua lex graviter, vel leviter tantum obliget? Resp. Quamvis in praxi sæpe difficile, & ut S. Augustinus ait, periculosum sit hoc determinare, communiter tamen assignari solent hæc indicia. 1. Auctoritas Scripturæ. Quippe si præcepto addit comminationem mortis æternæ, exclusionis a regno Dei, vel alterius gravis mali per particulam *væ*, item si actionem aliquam vocet execrabilem, scelus, nefas, abominationem, censetur graviter obligare. 2. Auctoritas Ecclesiæ definientis gravitatem obligationis, vel communis sensus Patrum, & aliorum Doctorum, cui in moralibus plus tribuendum, quam

quam metaphyficis fubtilitatibus. 3. Ipfa natura & qualitas rei prohibitæ, quæ fæpe nifi graviter prohiberetur, cederet in magnum præjudicium Dei, naturæ, boni publici, aut privatorum, uti peccata contra virtutes theologicas, caftitatem, juftitiam &c. 4. In legibus humanis gravitas obligationis fæpe colligitur ex ipfo tenore legis & pœnis annexis, fi nimirum legislator utitur verbis præceptivis: præcipimus, mandamus, jubemus &c. vel fi Pontifices addunt gravem cenfuram ipfo facto incurrendam. 5. Ex qualitate materiæ, fi enim hæc de fe vel ex circumftantiis præcipue ex fine gravis eft, præfumenda eft obligatio gravis, nifi contrarium aliunde conftet. 6. Ex communi fenfu & praxi hominum doctorum & proborum, quæ optima legum interpres eft.

QUÆSTIO II.

Qualis advertentia, & confenfus requiratur ad peccatum?

Ad omne peccatum requiri aliquem confen- 38
fum & advertentiam ad malitiam actus feu difformitatem ejusdem cum lege Dei, eft communiffima ac certa fententia contra Janfeniftas & quosdam triftiores Theologos nominatim Elizalde & Camargo, cum nihil poffit ad pœnam & culpam imputari nifi fit liberum; nihil autem effe liberum, nifi fit voluntarium & præcognitum, ut pluribus oftendi de actibus humanis; hinc licet etiam actus intellectus e. g. hærefis, & appetitus fenfitivi e. g. motus concupifcentiæ ipfarumque potentiarum externarum e. g. furtum vere & proprie denominentur peccata, ipfa tamen malitia formalis potiffimum habetur per advertentiam ad legem Dei prohibenten, &

con-

consensum in objectum prohibitum, qui actus in ordine ad praesentem quaestionem dividuntur in plenos seu perfectos, & semiplenos seu imperfectos.

39 Advertentia plena juxta Cajetanum, Vasquez, Sanchez tunc datur, quando malitia actus ita cognoscitur, ut talis cognitio sufficiat ad deliberandum eo modo, quo homo vigil & sobrius in negotiis magni momenti uti solet; haec tamen advertentia non debet esse reflexa ita, ut aliquis advertat se advertere, sed sufficit directa, exercite repraesentans objectum esse malum & prohibitum, sive dein hoc fiat judicative, sive dubitative, aut suspensive; nam ad peccatum grave sufficit etiam dubium practicum vel prudens suspicio periculi malitiae gravis. Hinc advertentia semiplena non est cognitio quomodocunque tenuis, sed tam obscura, ut ad dictam deliberationem non sufficiat, ut contingere experimur in semisopitis, & semiebriis. Hanc semiplenam advertentiam communiter habere solent parvuli septennium nondum egressi, item adulti aliis cogitationibus & negotiis valde immersi, vel subita quadam passione irae, timoris &c. rationem praevertente occupati.

40 Consensus est actus voluntatis objectum aliquod amplectentis & approbantis. Dicitur plenus, si procedat ex perfecta deliberatione & voluntate. In semipleno explicando multum laborant; quamvis enim certum videatur, quod ille consensus sit semiplenus, qui procedit ex advertentia semiplena; quia sine advertentia non potest dari consensus; potest nihilominus contingere, ut stante advertentia plena consensus tantum sit semiplenus, quando nempe voluntas advertens suggestionem peccati, vel excita-

excitato præter culpam motu pravo concupiſcentiæ ex pigritia aliquantum moratur, & obiter captat aliquam ſimplicem & inefficacem complacentiam ita, ut nec plene velit, nec omnino nolit: vel quando reſiſtit quidem, ſed non niſi tepide & languide, ut rurſus experimur in ſemiſopitis & valde diſtractis. Quod ſi tamen objecta ſint valde gravia & clare prohibita, actus vero præſertim externi diutius durent, raro videtur abeſſe plena advertentia & conſenſus. Profecto ridiculum foret, ſi quis diceret, ſe cum ſemiplena advertentia, vel conſenſu furatum eſſe bovem.

Dicendum 1. Ad peccatum mortale requiritur plena advertentia, & plenus conſenſus. 11
Ita communiſſima cum S. Thoma 1. 2 q. 88 a. 2 in corp. Probatur. Repugnat ſapientiſſimæ Dei bonitati & juſtitiæ, conditioni naturæ rationalis, & rationi ipſius culpæ gravis, ut actus poſitus cum ſemiplena advertentia & conſenſu ſit peccatum mortale, etſi verſetur circa materiam de ſe gravem. Nam 1 videtur omnibus Doctoribus & fidelibus incredibile, quod Deus juſtiſſimus ac clementiſſimus æterna indignatione & infernalibus ſuppliciis velit plectere ejusmodi culpas ſubreptitias, & ab omnibus etiam ſanctis Dei amicis moraliter inevitabiles. 2. Alias natura rationalis, quamvis gratia ſanctificante donata, a Deo male eſſet conſtituta ad ultimum ſuum finem. 3. Actus ſemideliberatus & ſemiplenus nequidem eſt perfecte moralis voluntarius & liber, ſed procedit quaſi a ſemihomine; hinc ipſi homines in negotiis & contractibus magni momenti requirunt plenam advertentiam ad inducendas inter ſe obligationes. Conf. Ad omne peccatum in genere requiritur aliqua advertentia & conſenſus:

ſus: ergo ad perfectam & gravem malitiam requiritur advertentia, & conſenſus perfectus.

42 Dicendum 2. Ad peccatum veniale ſufficit advertentia ſemiplena, & conſenſus ſemiplenus. Ita rurſus communiſſime ſentiunt Auctores, & hic ipſe conſenſus in hac materia morali eſt maximi ponderis, præſertim cum nulla habeatur ſufficiens ratio ab illo recedendi. Dein ſic arguo. Qui ſemiplene advertit ad malitiam actus, jam poteſt aliquo modo libere agere honeſte, vel inhoneſte, mereri aliquam laudem vel vituperium: ergo ſi in actum malum aliquo modo conſentit, libere transgreditur legem, & ſaltem voluntate imperfecta actum malum amplectitur: ergo jam aliquo modo peccat. Atque de ejusmodi peccatis ſubreptitiis potiſſimum loquitur Scriptura in textibus Num. 12 & 20 citatis; hinc nullus prudens confeſſarius dubitabit de ſufficienti materia abſolutionis, ſi pœnitens de talibus culpis ſe accuſet.

Objectiones.

43 Obj. 1. Si ad peccatum grave requiritur plena advertentia ad malitiam, & legem Dei graviter obligantem, nunquam peccant Gentiles & Athei; imo etiam multi fideles, qui ob ſuam ruditatem non advertunt ad legem Dei & propriam rationem peccati mortalis, quod ſcilicet afferat mortem animæ; ſequela eſt falſa: ergo. Conf. Ad peccatum mortale ſufficit tenuis & imperfecta cognitio malitiæ, ut patet in conſuetudinariis, qui in materia luxuriæ, detractionis &c. ſæpe tantum obſcure agnoſcunt malitiam ſuarum actionum, & tamen graviter peccant. Reſp. Diſt. Maj. ſi requiritur advertentia explicita, Conc. Maj. ſi ſufficit implicita, Neg. Maj. Athei infideles aliique rudes legem Dei

Dei & malitiam suarum actionum satis cognoscunt implicite & sub prædicato convertibili, in quantum agnoscunt se agere aliquid contrarium naturæ & rationi, omnibus & semper illicitum, idque graviter, ac longe magis quam alia levia. Ad Conf. Dist. Ant. sufficit cognitio tenuis & imperfecta, quæ talis est per defectum intensionis & claritatis, Conc. Ant. per defectum deliberationis & advertentiæ ad gravitatem malitiæ, Neg. Ant. Consuetudinarii licet habeant cognitionem remissam, & sub obscuram, seque ob contractum habitum facile determinent, ordinarie tamen velut sobrii & perfecte vigiles satis agnoscunt se graviter peccare, vel hoc ipso non habent sufficientem notitiam ad peccatum mortale.

Dices. Ad peccatum mortale non requiritur, ut voluntas expresse velit malitiam gravem, neque enim e. g. fur ideo furatur, quia furtum est malum: ergo etiam non requiritur, ut intellectus plene advertat ad malitiam gravem. Conf. Semiplena advertentia sufficit ad actum meritorium vitæ æternæ: ergo etiam ad meritorium mortis æternæ. Resp. Transf. Ant. Neg. Conf. Ad peccatum grave sufficit voluntarium indirectum, vi cujus voluntas malitiam gravem velit in causa; si vero intellectus non plene adverteret ad malitiam gravem, voluntas nec directe nec indirecte amplecteretur peccatum satis cognitum ut grave; ergo sine plena advertentia nullo modo potest dari plenus & perfectus consensus. Ad Conf. Aliqui simpliciter negant antecedens, quia bonum æternæ vitæ meritorium decet esse bonum ex integra causa. Dein disparitas est, quia excessus præmii supra meritum commendat liberalitatem, & munificentiam Dei remuneratoris; excessus vero pœnæ argueret 44

cru-

crudelitatem punientis, ut jam adverti num. 32.

45 Obj. 2. Si semiplena advertentia non sufficeret ad mortale tunc ideo, quia alias homo moraliter esset necessitatus ad peccandum graviter; hæc ratio nulla est; nam necessitas moralis orta ex habitu vitioso non excusat consuetudinarios. Conf. Necessitas peccandi in homine lapso oritur ex propria culpa, nempe peccato originali: ergo. Resp. Conc. Maj. Licet plures alias rationes attulerimus, Neg. min. Ad exemplum additum disparitas est, quia necessitas moralis vitandi peccata in consuetudinariis non tollit plenam deliberationem & perfectam libertatem ad malitiam gravem, sed tantum inducit difficultatem resistendi; at semiplena advertentia malitiæ tollit ipsam perfectam libertatem, quæ præcipue per advertentiam plenam ad gravitatem malitiæ constituitur. Adde quod difficultas consuetudinariorum non sit universalis, & proveniat ex culpa propria, dum necessitas orta ex semiplena advertentia universaliter provenit ex ipsa imperfectione naturæ, & datur etiam in sanctissimis Dei amicis. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Quod ad peccatum personale non sufficiat libertas in Adamo, constat ex propositione prima damnata ab Alexandro VIII.

46 Dices. Operans cum semiplena advertentia ad malitiam gravem posset ac deberet habere advertentiam plenam: ergo peccat graviter omittendo debitam diligentiam. Conf. Talis absolute potest abstinere a peccato secundum se gravi: ergo si non abstinet, graviter peccat. Resp. Dist. Ant. potest, & debet habere plenam advertentiam absolute, potentia imperfecta, ac debili, Conc. Ant. potentia plena ac perfecta, qua-

qualis ad peccatum mortale tanquam rem graviſſimam requiritur, Neg. Ant. nam hoc ipſo, quod debeat procurare advertentiam plenam, non habet cognitionem plenam, & ſufficientem, adeoque nec potentiam plenam & perfectam advertentiam plenam procurandi: ergo ſub gravi non tenetur illam procurare. Ad Conf. redit data diſtinctio. Nempe quod ſola difficultas non excuſet a peccato, omnes fatentur, & patet in illo, qui negat fidem coram tyranno minitante mortem; at de potentia imperfecta orta ex ſemiplena advertentia aliter ſentit communis doctorum, & fidelium ſenſus, in quo ultimato rationes a nobis allatæ fundantur.

Obj. 3. Poteſt aliquis graviter peccare ex 47
ignorantia craſſa & vincibili, ſed talis non plene conſentit in malitiam peccati, cum illam ignoret: ergo ad peccatum grave non requiritur conſenſus plenus. Conf. Qui vult contractum, cui ſcit annexam eſſe Simoniam, graviter peccat, quamvis Simonia ipſi diſpliceat, idem eſt de muliere, quæ nec conſentiens nec diſſentiens ſinit ſe opprimi. Reſp. Conc. Maj. Diſt. min. talis non conſentit in malitiam peccati directe & formaliter, Conc. min. indirecte & virtualiter, Neg. min. nam talis ſaltem plene cognoſcit periculum peccati gravis, & obligationem melius indagandi, conſequenter peccatum eſt ipſi plene liberum & voluntarium in ſua cauſa. Ad conf. Qui ſcit contractui annexam eſſe Simoniam, rurſus indirecte in illam conſentit, non obſtante diſplicentia tantum inefficaci Simoniæ; mulier vero in poſito caſu teneretur diſſentire, & reluctari: ergo rurſus in oppreſſionem conſentit indirecte & interpretative omittendo reluctantiam, ad quam graviter obligatur.

Dices. Qui habet tantum delectationem mo- 48
roſam, vel ſolum affective dubitat reflexe deli

berando, an e. g. non velit blasphemare, peccat graviter, & tamen non consentit. Idem est de eo, qui vellet e. g. fornicari, si fornicatio non esset peccatum. Resp. Dist. Ant. talis non consentit in ipsum opus perpetrandum, Conc. Ant. in delectationem morosam vel dubium affectivum, Neg. Ant. Qui plene deliberate practice, & reflexe anceps hæret inter blasphemiam, & ejus omissionem, ita ut erga utramque æqualiter sit affectus, agit contra rectam rationem, & si quidem motiva pro & contra æstimet esse æqualia, erit omnino peccatum hæresis, quia fides docet, quod lex Divina, quæ inter motiva absterrentia continetur, sit magis æstimabilis I, quam quæcunque motiva blasphemandi. Cæterum quamvis desideria mere conditionata per se non sint peccaminosa, si conditio aufert omnem malitiam ab objecto, ut si quis vellet nubere, si non esset Sacerdos; oppositum de casu objecto docet Laymann Lib. I Tract. 3 cap. 6, quia volens fornicari revera consentit in actionem malam, & quidem ex parte subjecti ratione actualis delectationis & complacentiæ absolute; esto, quod consensus tantum sit conditionatus ex parte operis & objecti.

49 Obj. 4. Deus non potest obligare ad moraliter impossibile; sed evitatio actuum semideliberatorum est moraliter impossibilis: ergo. Maj. prob. Legislator humanus non potest obligare ad moraliter impossibile: ergo a pari. Conf. Votum de vitandis omnibus peccatis venialibus etiam semideliberatis est imprudens: ergo etiam imprudens esset Lex Divina obligans ad vitandos actus semideliberatos & quidem sub pœna valde acerba purgatorii. Resp. Dist. Maj. non potest obligare ad moraliter impossibile sub obligatione gravi, Transf. Maj. sub levi, Neg. Maj.

Ad

Ad Prob. Conc. Ant. neg. conſ. Legislator humanus non habet tantam poteſtatem in ſubditos, quantam Deus in creaturas ſupremo ſuo dominio ſubjectiſſimas, qui etiam ex peccatis novit majora bona elicere e. g. oſtenſionem ſuæ juſtitiæ & miſericordiæ. Ad Conf. Tranſ. Ant. neg. Conſ. Homo rurſus non habet tantam poteſtatem in ſe ipſum, quantam Deus, & quamvis pœna purgatorii ſit valde acerba, tamen Deus eſt facilis ad remittenda ejusmodi peccata ſubreptitia, ſoletque dare gratiam ea delendi ante mortem etiam quoad reatum pœnæ, vel certe illa in purgatorio longe mitius punit, quam venialia plene deliberata.

Dices. Votum ſine plena deliberatione emiſ- 50
ſum ad nihil obligat, licet ſe habeat inſtar legis. Idem dic de contractibus inter homines initis: ergo a pari. Conf. Agens cum ſemiplena advertentia ſe habet ſicut ſemihomo; atqui ſemihomini non imponuntur præcepta; alias idem dici poſſet de dormiente, qui non raro in ſomno cognoſcit bona & mala etiam ſpiritualia, & aliqua videtur prudenter velle, & agere. Reſp. Neg. Conſ. juxta communem requiritur major libertas ad obligationem inducendam, quam ad illam violandam, cum nemo ſibi ipſi cenſeatur imponere velle tale onus etiam ſolum ſub culpa veniali ſine plena deliberatione; hinc Deus præſumitur vota ſemideliberata non acceptare, quod liberrime poteſt, dum econtra transgreſſiones legum ſemideliberatæ utpote intrinſece malæ neceſſario illi diſplicent. Ad conf. Tranſ. Maj. Neg. min. cum ratione addita; nam dormiens ſolet tantum habere apprehenſiones ſimplices, vel cognitiones adeo imperfectas, ut ne quidem ſufficiant ad libertatem imperfectam ob nimis vehemens dominium phantaſiæ, quæ impedit modum operandi

humanum ; hinc in ſomno decreta ſæpe ſtatim retractamus, quam primum evigilamus. Quod ſi dormientes quandoque prudenter agere videantur, id caſu contingit, ſicut in ſtultis & infantibus, vel ita operantes tantum ſunt ſemiſopiti.

51 Quæres 1. Unde in praxi colligi poſſit, an aliquis in hoc vel illo caſu particulari tantum habuerit advertentiam & conſenſum ſemiplenum? Reſp. Quamvis de hoc nemo facile poſſit habere certitudinem præter Deum, nihilominus pro prudenti judicio ſervire poſſunt hæ, ſimilesque conjecturæ. 1. Si quis nondum attigit debitam ætatem nempe ſeptennium. 2. Si prudenter judicat, quod nondum plene animum collegerit a ſomno, ebrietate, vehementi diſtractione vel perturbatione. 3. Si alias ſæpe ſerium concepit propoſitum tale peccatum grave nunquam committendi. 4. Si peccatum, de quo angitur, non patravit, licet illud facile potuiſſet exſequi. 5. Si neſciat, an vigilans, an dormiens, an ſobrius, an ebrius aliquid fecerit, vel ſtatim dubitet, an conſenſerit. 6. Si meminerit, ſe timide & circumſpecte proceſſiſſe. 7. Si alias eſt timidæ, & timoratæ conſcientiæ, atque a gravi peccato valde abhorreat, quia ex communiter contingentibus in dubio prudens fit præſumptio, ut advertunt Auctores, qui ultimam hanc conjecturam judicant eſſe optimam, præſertim ſi inſuper unum vel alterum ex enumeratis antea ſignis accedat.

52 Quæres 2. An, qui ſe ad inſurgentem tentationem præciſe habet negative, hoc ipſo in illam indirecte conſentiat? Reſp. cum Cajetano, Joann. Sanchez aliisque: Licet aliquis tentationi poſitive non reſiſtat, ſed illam quaſi permittat, ſpeculative, & per ſe loquendo nondum

dum indirecte in illam conſentit; neque enim ullum poteſt oſtendi præceptum, quod ad poſitivam reſiſtentiam per ſe obliget; ergo ſufficit, ſi voluntas inordinatos motus appetitus ſenſitivi ita gubernet, ut in illos non conſentiat, neque in objecto aut delectatione prohibita ſibi complaceat. Quod ſi tamen probabile periculum conſenſus, aut complacentiæ adeſſet, prout ordinarie fit, quando inſurgit tentatio gravior, præſertim circa delicta carnis, utique per accidens daretur obligatio efficacem diſplicentiam eliciendi, aut alio modo poſitive reſiſtendi. Imo quando aliquis cogitationes ſuas facile poteſt ad aliud objectum convertere, aut magis attendere ad id, quod agit, & tamen hoc non facit, jam videtur ejusmodi motus non illubenter habere. Quare in praxi ad vitandum periculum conſenſus reſiſtentia poſitiva omnino ſuadenda eſt, præſertim ſi fieri poteſt ſine nimia moleſtia, aut alio gravi incommodo v. g. quia alias actio quædam utilis, & honeſta omnino deberet omitti, vel tentatio potius augeretur, ut in meticuloſis fieri ſolet.

QUÆSTIO III.

An & quomodo peccatum mortale poſſit tranſire in veniale?

Status quæſtionis non eſt, an idem actus phy- 53
ſice & moraliter acceptus poſſit de mortali tranſire in veniale; nam ſi libertas & moralitas eſt actui intrinſeca, & eſſentialis, patet id fieri non poſſe, cum actus nequeat mutare ſuam eſſentiam: ſi vero eſt extrinſeca, ut in Tract. de Act. Human. dixi, tunc quamvis idem phyſice actus poſſit tranſire de bono in malum, adeoque etiam de mortali in veniale ob variatio-

nem actus primi proximi cognitionis, & libertatis: nequit tamen idem manere actus moralis; cum iste qua talis involvat actum primum proximum, qui necessario debet variari, quando peccatum est grave, & quando est leve. Sensus itaque quæstionis est, an & quomodo peccatum, quod per se ex genere & objecto suo est mortale, per accidens fieri possit veniale ob mutationem actus primi proximi, vel circumstantiæ, sive dein maneat idem physice actus, sive non; nam moraliter saltem erit diversus.

54 Dicendum 1. Omne peccatum ex genere suo mortale per accidens potest fieri veniale ex defectu plenæ advertentiæ & consensus, item propter ignorantiam leviter tantum culpabilem, aut voluntatem legislatoris solum leviter obligantis. Conclusio quoad primum & secundum membrum patet ex quæstione præcedente, quoad tertium ex tractatu de actibus humanis; sicut enim ignorantia invincibilis excusat ab omni peccato, ita solum leviter peccat, qui invincibiliter judicat peccatum, quod de se esset mortale, tantum esse veniale, vel ejus gravitatem ex culpa tantum levi ignorat. 4tum membrum patet ex Tractatu de legibus. Nam ex una parte obligatio legis non aliunde oritur quam ex voluntate legislatoris, consequenter nec ultra progreditur: ex altera parte legislator multa defacto graviter præcepta e. g. jejunium, auditionem Missæ &c. posset omnino non præcipere, neque semper tenetur uti tota sua potestate, & jurisdictione, sed potest ex rationabili causa illam limitare: ergo si in gravi materia tantum intendit obligare leviter, transgressio erit tantum levis.

55 Dicendum 2. Aliqua peccata de se mortalia possunt transire in veniale propter parvitatem materiæ, non tamen omnia. Ita rursus com-

communis. Probatur 1 Pars. Multa peccata, licet ſint ex genere ſuo mortalia, non in omni ſua materia graviter præjudicant fini a legislatore intento: ergo ex parvitate materiæ poſſunt fieri venialia. Ant. patet in gula, ira, detractione, & furto levi e. g. unius crucigeri. Conſ. prob. Quia finis obligationis gravis debet eſſe grave bonum. Sicut enim obligatio levis eſſet iniqua, ſi non conduceret ad procurandum aliquod bonum; ita obligatio ſub privatione ſummi boni, & pœnis æternis eſſet iniqua, ſi non conduceret ad magnum bonum comparandum. Jam vero finis materiæ levis non poteſt eſſe grave bonum; alias transgreſſio privans illo bono, hoc ipſo eſſet circa materiam gravem; hinc omnes fideles tam docti quam indocti unanimiter judicant, quædam peccata propter levitatem materiæ eſſe ſolum venialia.

Probatur 2 Pars. Quia multa ſunt pecca- 56
ta, quæ niſi in omni ſua materia graviter eſſent prohibita, grave præjudicium afferrent Deo, generi humano, & fini a legislatore intento. Talia ſunt 1 contemptus formalis vel odium Dei, idololatria, infidelitas, blasphemia, deſperatio, perjurium ſaltem aſſertorium, commercium cum Dæmone, fruſtratio Sacramenti, Simonia contra jus naturæ &c.; nam Deus argueretur non eſſe infinite perfectus, nec ſummo amore & honore dignus, ſi iſta in minima materia non eſſent graviter prohibita. 2. Homicidium, fornicatio, pollutio, & quævis delectatio proprie venerea extra conjugium, quia ſi non eſſet in quavis quantitate graviter prohibita propter exiguum peccatorum venialium horrorem, nimiam naturæ proclivitatem, & maximam difficultatem determinandi, ac figendi limites concupiſcentiæ ſequeretur ingens naturæ corruptio, & grave præjudicium generi

neri humano in educatione prolium, cum facile negligeretur matrimonium, si extra illud ejusmodi delectationes non essent graviter peccaminosæ. 3. Violatio jejunii naturalis ante sumptionem Eucharistiæ; nam finis præcepti juxta Concilium Matisconense est, ne cibus corporalis præponatur spirituali, hic autem finis non obtineretur, si minima comestio præmitteretur: ergo.

Objectiones.

57 Obj. 1. Si peccatum mortale propter imperfectam deliberationem, & consensum posset transire in veniale, tunc veniale propter eandem imperfectionem omnino desineret esse peccatum; quia plus est transire a mortali in veniale, quam a veniali ad nullum peccatum; sequela est falsa: ergo. Conf. Qui cognoscit malitiam actus tantum in genere, peccat mortaliter, etsi non cognoscat, an talis malitia sit gravis vel levis: ergo. Resp. Neg. Maj. Quamvis transitus a mortali in veniale in aliquo genere sit major, inde non debet colligi ratio peccati; sed ex transgressione libera legis. Cum igitur mortale sit transgressio perfecta, id est, plene libera legis, cum semiplena advertentia non amplius manet ratio mortalis: econtra peccatum semideliberatum adhuc simpliciter est liberum, adeoque simpliciter rationem peccati retinet. Ad Conf. Neg. Ant. siquidem cognitio malitiæ in genere sit tantum imperfecta, & non sufficiat ad plenam deliberationem, imo etsi malitia in genere ponatur cognosci perfecte, de act. human. num. 499 negavimus in hoc casu peccari graviter, quia nihil volitum, nisi cognitum.

Obj.

Obj. 2. Voluntas Legislatoris tantum re- 58
quiritur ad inducendam obligationem legis, quantitas autem obligationis pendet ex gravitate vel levitate materiæ: ergo Legislator nequit rem gravem præcipere sub levi. Conf. Legislator nequit in materia levi obligare graviter: ergo nec in gravi leviter. Resp. Neg. Ant. Quamvis quantitas obligationis in tantum pendeat a quantitate materiæ, in quantum materia levis non potest prohiberi graviter; simul tamen etiam pendet a voluntate legislatoris saltem loquendo de præceptis positivis; nam de jure naturali aliud videtur exigere infinita perfectio & providentia gubernatoris hujus universi; uti colligitur ex num. 56. Ad Conf. Neg. Cons. Legislator obligans graviter in materia levi, transgreditur limites suæ potestatis, & imponit onus justo gravius; si vero præcipit aliquid grave sub levi, non excedit limites suæ potestatis, sed illos tantum non attingit; cum minus præcipiat, ac oneret, quam possit.

Dices. Votum in materia gravi obligat 59
graviter, alias Religiosus emittendo professionem, vel clericus suscipiendo SS. Ordines posset intendere tantum levem obligationem continentiæ: ergo. Conf. Qui promittit rem gravem sub juramento, qui facit sponsalia, aut alios contractus, obligatur sub gravi: ergo quantitas obligationis non pendet a voluntate obligantis. Resp. Dist. Ant. si materia voti non sit arbitraria, Conc. Ant. si sit arbitraria, subdist. nisi vovens expresse intendat obligationem tantum levem, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. Qui in materia arbitraria vovet simpliciter, censetur se obligare juxta capacitatem materiæ, nisi in re gravi expresse solum intendat obligationem levem; tunc enim juxta Suarium aliosque obligatur tantum leviter. In materia vero non ita

arbitraria, ut in professione religiosorum & continentia clericorum, vovens debet se obligare juxta mentem Ecclesiæ, & Religionis, adeoque graviter. Ad Conf. Jurans interponit auctoritatem Dei tanquam testis, & fidejussoris, ex hoc autem oritur obligatio gravis ad rem promissam gravem. Sponsalia & contractus censentur celebrari juxta leges, quæ in materia gravi graviter obligant, alias alterutra pars graviter deciperetur; si tamen contrahentes mutuo consentirent in obligationem tantum levem, ait Sanchez, id non repugnaturum justitiæ.

60 Obj. 3. Omne peccatum est offensa Dei: ergo nullum peccatum capit parvitatem materiæ. Conf. prob. si peccatum est offensa Dei, tunc peccans vult offensam Dei, sed velle offensam Dei, non capit parvitatem materiæ: ergo. Conf. Peccatum luxuriæ, quod solum opponitur virtuti morali castitatis, non capit parvitatem materiæ: ergo etiam peccata opposita aliis virtutibus. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. ad Prob. Dist. Maj. tunc peccans vult offensam Dei directe, formaliter, & qua talem, neg. Maj. indirecte, & quæ realiter est talis, Conc. Maj. & sic Dist. Min. Neg. Conf. Actus, quo aliquis vellet offensam Dei qua talem, sive ut malum Dei extrinsecum, esset odium formale Dei in omni materia graviter peccaminosum. Verum peccans ordinarie non vult offensam Dei qua talem, sed tantum quærit sibi bonum utile, aut delectabile. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Disparitas patet ex dictis Num. 56. Adde, quod omnis delectatio venerea ex se sit ordinata ad copulam, vel pollutionem, imo juxta Galenum ipsa inchoatio pollutionis, adeoque ab hac desumit totam rationem malitiæ. Præterea quævis ejusmodi delectatio per se involvit manifestum periculum majoris delectationis, indubita-

bitate graviter peccaminofæ, ut conftat ab experientia humanæ fragilitatis.

Dices. Eft tam incredibile, quod momen- 61
tanea delectatio venerea fit peccatum grave, quam incredibile hoc eft, de furto e. g. 4 crucigerorum, præfertim cum etiam hominibus fanctis tales inordinationes, & motus concupifcentiæ fint inevitabiles, absque fpeciali privilegio. Conf. Docuerunt olim non pauci cum Thoma Sanchez in delectatione proprie venerea dari poffe parvitatem materiæ. Refp. Neg. Ant. de delectatione venerea plene deliberate captata, vel admiffa, quæ neutiquam moraliter eft inevitabilis; aliud eft de motibus & delectationibus folum femiplene deliberatis; nam hos non effe graviter peccaminofos ultro fatemur. Ad Conf. Tranf. Ant. Neg. Conf. Auctoritas antiquorum per oppofitam auctoritatem præfertim recentiorum, & rationes intrinfecas ita enervatur, ut non amplius pariat veram probabilitatem. Certe Sanchez lib. 5 cap. 6 re melius confiderata opinionem fuam retractavit, & fententia noftra communiffime tenetur poft propofitionem 40 damnatam ab Alexandro VII: *Eft probabilis opinio, quæ dicit, effe tantum veniale ofculum habitum ob delectationem carnalem & fenfibilem, quæ ex ofculo oritur, fecluso periculo confenfus ulterioris & pollutionis.*

Obj. 4. Si datur parvitas materiæ in ali- 62
quibus, non eft ratio, cur non in omnibus. Nam 1 non videtur grave præjudicium afferre Deo, fi quis diceret de aliquo Sancto, quod fuerit Sartor monftrofus &c. 2. Qui negaret rem levem ex Scriptura e. g. Canem Tobiæ. 3. Qui non folveret rem levem juramento promiffam. Refp. Neg. Ant. Nam 1, fi ejusmo-

di

di dicta tantum proferuntur in Sanctum materialiter & qua hominem, non ſunt proprie blasphemia, ſed quædam irreverentia venialiter peccaminoſa; ſi vero proferuntur formaliter in Sanctum qua talem & ut amicum Dei, utique ſunt gravis blasphemia & contemptus redundans in Deum. 3. Qui rem levem ex Scriptura negat, virtualiter dicit, Deum non eſſe tantæ auctoritatis, ut in omnibus illi fides adhiberi debeat. 4. Qui juramento aliquid promittit animo non ſervandi, Deum vocat in teſtem falſi, quod eſt mortale; qui vero habet voluntatem ſervandi, quando jurat, ſed deinde mutata per inconſtantiam voluntate rem non præſtat, non videtur Deum formaliter in teſtem falſi vocare; ſed tantum violare promiſſum & venialiter peccare contra fidelitatem. Hinc dicunt juramentum promiſſorium, prout eſt aſſertorium, non capere parvitatem materiæ, capere autem, prout eſt promiſſorium, de quo hic non eſt diſputandi locus.

63 Dices 1. Non videtur graviter præjudicari generi humano per momentaneam cupiditatem gravis & injuſtæ vindictæ. 2. Per occaſionem ægroti, qui certo prævidetur inter maximos dolores brevi exſpiraturus. 3. Per adulterium commiſſum a Regina, ut proſpiciatur regno de hærede ad impediendum grave bellum aliaque mala. Reſp. Neg. Ant. Nam 1. Actus interni ſpecificantur a ſuo objecto, & peccatum grave plene deliberate admiſſum, utut momentaneum, eſt proprie transgreſſio legis graviter obligantis, gravis offenſa Dei, & averſio ab ultimo ſine, adeoque pœna æterna dignum. 2. Cum omne momentum vitæ ſit valde pretioſum, & ſolus Deus illius dominus, etiam occiſio talis ægroti privata auctoritate facta graviter præjudicat Deo & proximo. 3. Licet ejus-

ejusmodi adulterium per accidens afferret aliquam utilitatem reipublicæ, tamen licentia illius vel prohibitio ſolum levis poſt ſe traheret graviſſimos, & pernicioſiſſimos abuſus, qui nullo reipublicæ bono poſſent compenſari.

Quæres. Unde in peccatis ex genere ſuo 64
mortalibus levitas & gravitas materiæ debeat colligi? Reſp. Potiſſimum attendendum eſſe ad finem legis; cum enim nullum præceptum obliget graviter ad finem levem, parvitas materiæ dari poteſt in omnibus illis, quæ lædi poſſunt ſine gravi præjudicio Dei, generis humani, aut finis a legislatore intenti: talia ſunt, quæ adverſantur prudentiæ, juſtitiæ, temperantiæ, fidelitati, religioni, fortitudini, charitati erga ſe ipſum & proximum &c. Hinc non procedit regula Suarii, quod videlicet omnia illa non capiant parvitatem materiæ, quæ immediate verſantur circa Deum ejusque honorem; nam e. g. omiſſio unius Pater, & Ave, ad quod teneris ex voto, opponitur virtuti religionis, & immediate verſatur circa honorem Dei, nec tamen eſt gravis ejusdem inhonoratio, nec ulla redundat imperfectio in Deum, etſi non graviter prohibeatur. Verum in particulari determinare gravitatem & levitatem materiæ non eſt noſtri fori, ſed ad Theologiam moralem, & ſingularum materiarum diſcuſſionem pertinet, nos contenti ſumus, ſi ſuggeramus principia univerſalia.

QUÆSTIO IV.

An & quomodo peccatum veniale poſſit tranſire in mortale?

Dicendum I. Peccatum ex genere ſuo venia- 65
le nunquam tranſit in mortale per ſolam repetitionem quantumcunque multiplicatam. Communis

munis cum S. Thoma 1. 2 q. 88 a. 4 in corp. contra Panormitanum. Prob. quia sola multiplicatio actum non ponit in alia specie, nec mutat ejus essentiam, sed tantum addit numerum & extensionem; hinc Tridentinum Sess. 6 cap. 11 docet, *Quod sancti & justi propter quotidiana & venialia peccata non desinant esse justi*, & Sess. 14 cap. 5, *Quod per venialia, in quæ frequenter labimur, a gratia Dei non excludamur.* Favet etiam Scriptura, dum Jacob. 3 v. 2 ait: *In multis offendimus omnes.* Conf. Si peccatum veniale transiret in mortale per solam multiplicationem, orirentur innumeræ anxietates, pericula & peccata mortalia; cum enim nemo posset determinare, quanta requiratur multiplicatio ad constituendum mortale, quivis deberet timere, ne adjungendo novum peccatum veniale perveniat ad mortale, consequenter per quodlibet veniale superadditum exponeret se periculo proximo complendi peccatum mortale, & hoc ipso graviter peccaret, quod est contra mentem Ecclesiæ, & communem fidelium persuasionem.

66 Dixi, peccatum ex genere suo veniale per solam multiplicationem non fieri mortale. Nam peccata solum per accidens venialia ob parvitatem materiæ utique possunt fieri mortalia, si sæpius repetantur, & materiæ parvæ coalescant, quod tunc fit, quando legislator vel obligans intendit omissionem, vel positionem alicujus totius, cum quo materiæ leves habent aliquam connexionem vel tanquam partes, vel tanquam causæ. Sic graviter peccat, qui post plura furta minuta scienter complet summam gravem, qui eodem die jejunii sæpius modicum quid comedit, qui sæpius levia dicit convitia, advertens inde orituras graves lites; quippe in talibus casibus materia vere

re ſit gravis, & graviter præjudicatur ſini legis. At vero ubi non datur moralis connexio cum tali collectione vel effectu, materiæ non coaleſcunt; hinc non peccat graviter, qui ſingulis diebus jejunii modicum quid comedit, vel eodem die feſto leviter mentiendo, confabulando in Miſſa, parum laborando delinquit; nam in primo caſu obligationes ſingulæ ſunt affixæ certo tempori, in altero autem præcepta ſunt diſparata, adeoque nulli collectioni a legislatore intentæ graviter præjudicatur.

Dicendum 2. Peccata ex genere ſuo ve- 67
nialia poſſunt fieri mortalia per accidens propter adjunctum finem, vel aliam circumſtantiam graviter peccaminoſam. Prob. Malitia poteſt refundi in actum non ſolum ex objecto, ſed etiam ex fine, aliisque circumſtantiis actum comitantibus: ergo ſi iſtæ circumſtantiæ graviter ſunt peccaminoſæ, peccatum ex genere ſuo veniale per accidens tranſit in mortale. Ant. patet; qui enim libere vult, aut ponit aliquem actum, certis circumſtantiis veſtitum, ſaltem indirecte etiam vult illas circumſtantias: ergo ſi ejusmodi circumſtantiæ graviter ſunt prohibitæ, hoc ipſo conſentit in peccatum grave: ergo talis conſenſus ab ejusmodi circumſtantiis denominatur graviter peccaminoſus. Ubi tamen notandum, quod circumſtantiæ per accidens tantum connexæ debeant directe intendi, alias nullo modo erunt volitæ, ut explicavi de Actibus Humanis num. 282. Sic prædicationem Chriſti, & Apoſtolorum comitabantur multa peccata & blasphemiæ Judæorum; at quia tantum ſequebantur per accidens ex mera Judæorum malitia, nihil mali inde prædicationi acceſſit.

Declaratur concluſio exemplis. 1. Poteſt 68
veniale tranſire in mortale ratione finis, quando aliquid de ſe leviter tantum prohibitum amatur

ut

ut ultimus finis, ita ut quis mallet peccare graviter, quam tali objecto carere. E. g. potius negligere Missam die festo, quam deserere lusum: vel quando actus de se venialis ordinatur ad finem extrinsecum de se graviter prohibitum. 2. Ratione medii, quando ad obtinendum finem venialiter malum adhibetur medium mortaliter peccaminosum, e. g. si committatur homicidium ad captandam vanam gloriam. 3. Ratione scandali, ut si quis coram homine valde lubrico profert verba scurrilia, prævidens periculum grave lapsus. 4. Ratione periculi proximi incidendi in peccatum mortale. 5. Ratione conscientiæ erroneæ, qua quis de aliquo leviter tantum prohibito practice dubitat, vel judicat illud esse mortale. 6. Ratione contemptus formalis, quando nempe aliquis legem leviter obligantem transgreditur ex vilipensione potestatis legislativæ, etiam humanæ, ut habentis vim a divina, vel ex vilipensione ipsius legis, ut a potestate legislativa provenientis.

Objectiones.

69 Obj. 1. Ex una parte legislator Divinus, vel etiam humanus multiplicationem, & consuetudinem peccandi venialiter posset prohibere sub gravi: ex altera parte peccatum mortale est tantum malitiæ finitæ: ergo tandem potest adæquari per peccata venialia. Conf. Interdum datur major turpitudo in peccatis venialibus repetitis, quam in uno mortali: e. g. longe magis videtur præjudicare veracitati & fini legis, qui frequentissime mentitur, quam qui semel tantum contra temperantiam se inebriat. Certe ex plurimis guttis aquæ tandem flumina implentur, & plurima arenæ grana per ipsam suam multitudinem opprimunt. Resp. Transf. Ant. quoad

ad 1 membr. Interim ejusmodi lex positiva de facto non datur. Conc. Ant. quoad 2 membr. & neg. Conf. Quia peccatum mortale est altioris ordinis, & meretur pœnas infinitas. Sic actus charitatis supernaturalis non potest adæquari ab infinitis naturalibus. Ad Conf. neg. Ant. Quamvis mendacia multiplicata frequentius & extensive magis præjudicent veracitati, id tamen fit inter limites peccatorum venialium, & solum contra legem leviter obligantem; imo obligatio gravis potius esset noxia, & nimium multiplicaret peccata mortalia, cum lapsus in hoc vitium sit nimium facilis & præceps. Porro flumen nihil aliud est, quam collectio guttarum, & moles arenaria collectio granorum, & in utroque tam partes, quam totum sunt ejusdem speciei, non item peccata venialia & mortalia.

Obj. 2. Peccata venialia minuunt, & mul- 70
tiplicata demum expellunt gratiam sanctificantem: ergo transeunt in mortale, quod solum gratiam sanctificantem expellit. Ant. Prob. Quodlibet opus bonum supernaturale auget gratiam sanctificantem saltem uno gradu: ergo quodlibet opus malum illam minuit uno gradu. Conf. Venialia minuunt fervorem charitatis: ergo etiam gratiam sanctificantem cum habitu charitatis identificatam, vel saltem connexam. Resp. neg. Ant. Nam venialia gratiæ sanctificanti non opponuntur exclusive, alias Deus se averteret ab homine, antequam homo se avertat a Deo. Ad Prob. Conc. Ant. Neg. Conf. Quod gratia sanctificans ita crescat juxta merita, est communis doctrina theologorum, & nos suo loco probabimus: quod autem ita gradualiter decrescat per peccata venialia, negat communissima, & contrarium probavimus, alias qui haberet plures gradus gratiæ sanctificantis,

ſæpius poſſet peccare venialiter, donec pertingeret ad mortale, quod abſurdum. Ad Conſ. Diſt. Ant. minuunt fervorem charitatis habitualis, Neg. Ant. Actualis, in quantum Deus ob peccata venialia dat pauciores gratias actuales, cum quibus eliciuntur minus intenſi actus charitatis, Conc. Ant. & Neg. Conſ.

71 Dices 1. In humanis amicitia ob offenſas leves ſæpius repetitas per partes minuitur, & tandem omnino extinguitur: ergo etiam in Divinis; ſicut enim habitus charitatis eſt capax incrementi, ſic etiam eſt capax decrementi. Conſ. Apoc. 3 v. 16 ad Epiſcopum Laodiceæ dicitur: *Scio opera tua, quia neque frigidus, neque calidus: utinam frigidus eſſes, aut calidus: ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo:* ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Amicitia hominum ſæpe modico aut nullo damno amittitur, & non raro ob hominum inconſtantiam, vel imprudentiam unico obliquo verbulo diſſolvitur: econtra jactura amicitiæ Divinæ eſt malum longe majus, quam ut propter offenſas leves etiam frequentes poſſit incurri. Quamvis itaque decrementi per ſe capax ſit, non tamen decreſcit, niſi adſit cauſa hoc decrementum exigens, qualis cauſa non eſt peccatum veniale. Ad Conſ. Conc. Ant. Neg. Conſ. S. Joannes in Apocalypſi per tepidos non intelligit illos, qui ſolum venialiter peccant, ſed qui apparenter quidem boni, occulte autem mali ſunt, hosque, ait, difficilius converti, quam peccatores manifeſtos, eoquod malum ſuum ſtatum difficilius agnoſcant, & ideo a Deo incipiant derelinqui; hinc S. Auguſtinus Serm. 53 de verbis Domini inquit: *Audeo dicere ſuperbis continentibus expedit cadere in aliquod apertum manifeſtumque peccatum,* unde

unde ſibi diſpliceant, qui jam ſibi placendo ceciderant.

Dices 2. Juxta S. Auguſtinum Tract. 12 72
in Joann. *Peccata minima, ſi negligantur, occidunt.* De iisdem Epiſt. 125 ad Seleucianum ait: *Si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt & oppriment, ſicut unum grande peccatum.* Et Serm. 4 de animabus defunctorum: *Iracundia, ſi diu teneatur, & ebrietas, ſi aſſidua ſit, tranſeunt in numerum peccatorum mortalium:* ergo venialia multiplicata expellunt gratiam ſanctificantem. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. expellunt gratiam ſanctificantem per ſe, Neg. Conſ. Per accidens, quatenus aliquomodo ad mortale diſponunt, Conc. Conſ. peccata venialia occidunt animam & opprimunt mere diſpoſitive, quatenus, qui ſæpius peccat venialiter, fit audentior ad peccandum etiam graviter, juxta illud B. Gregorii lib. 10 Moral. cap. 11: *Si enim curare parva negligimus, inſenſibiliter ſeducti, etiam majora perpetramus.* Nec plus vult S. Auguſtinus, qui textu cit. num. 17 & alibi ſæpius ait, etiam juſtos non raro peccare venialiter. Ebrietas, & iracundia ſunt peccata ex genere ſuo mortalia, & ſenſus textus ultimi eſt, quod hæc peccata, licet ab initio propter defectum plenæ advertentiæ fuerint venialia, ſi diutius durent, deſinant eſſe ſemideliberata, nec amplius poſſint excuſari a mortali per ignorantiam vel inadvertentiam leviter tantum culpabilem.

Ob. 3. Peccata venialia diſponunt ad mor- 73
tale: *Qui enim ſpernit modica, paulatim decidet:* Eccleſ. 19 v. 1. ergo tandem inducunt periculum peccandi graviter: ergo hoc ipſo datur gravis obligatio vitandi eorum frequentiam. Conſ. Venialia multiplicata generant habitum peccandi graviter: ergo. Reſp. Diſt. Ant. diſpo-

nunt remote & indirecte ad mortale aliquod indeterminatum, Tranſ. Ant. ad determinatum directe & proxime, Neg. Ant. & Diſt. Conſ. ergo tandem inducunt periculum peccandi remotum, Conc. Conſ. proximum, ſubdiſt. aliquando per accidens, Conc. Conſ. per ſe & univerſaliter, Neg. Conſ. Homines etiam juſti & timorati ſucceſſive committunt multa venialia, quin incurrant periculum proximum peccandi mortaliter, præſertim ſi ſint venialia ex genere ſuo. Majus eſt periculum in peccatis ſolum per accidens venialibus, præſertim ſi repetantur circa eandem materiam, & ſi quis de ſua fragilitate aliunde habeat experientiam e. g. ſi ab experientia ſcit, ſe ex curioſo aſpectu alterius ſexus frequenter labi in prava deſideria. Ad Conſ. Neg. Ant. Venialia non ſunt diſpoſitiones phyſicæ & proprie dictæ ad mortale, tum quia non tollunt libertatem, a qua maxime pendet peccatum mortale, tum quia directe, & per ſe tantum inclinant ad actus ſimiles ſcilicet venialiter peccaminoſos.

74 Dices 1. Qui habet voluntatem, aut propoſitum committendi quæcunque venialia occurrentia, peccat graviter; quia ſe exponit periculo proximo peccandi graviter: ergo etiam qui paſſim quæcunque venialia committit. Conſ. Non eſt minus malum ſe conjicere in periculum mortalis indeterminati, quam determinati: ergo. Reſp. Diſt. Ant. habens talem voluntatem peccaret graviter per ſe, Neg. Ant. per accidens ratione periculi, Tranſ. Ant. & Neg. Conſ. Plures cum Ovied. Granad. Palao cenſent tale propoſitum per ſe & ſpeculative loquendo non eſſe mortale, quia non eſt mortale propoſitum faciendi ea, quæ ſine tali propoſito facta malitiam mortalem non includunt. Alii tamen cum Sanchez & Bonacina judicant, voluntatem adeo per-

perversam esse graviter peccaminosam ratione periculi proximi mortaliter peccandi, vel ratione odii & contemptus Dei ac legis Divinæ, quod in praxi videtur esse probabilius, præsertim si propositum se extendat etiam ad peccata tantum per accidens venialia. Ad Conf. Neg. Ant. Quia periculum indeterminatum censetur esse quasi adhuc remotum, indiget enim adhuc alia determinatione ad speciem, nec dispositiones sunt ita propinquæ ac determinatæ. Hinc omnes censent magis esse indecens & prohibitum se committere periculo determinato ebrietatis, quam fieri militem, mercatorem &c: etsi in tali statu detur satis probabile periculum indeterminatum committendi aliquod mortale.

Dices 2. Religiosus, qui passim transgreditur regulas sui ordinis, tantum continentes consilium, peccat graviter: ergo etiam sæcularis, qui non curat præcepta levia, cum æque teneatur ad perfectionem Christianam, quam Religiosus ad Religiosam. Conf. Peccata venialia merentur subtractionem Divinæ gratiæ ad vitanda mortalia, ut ipsa videtur testari experientia: ergo. Resp. Dist. Ant. peccat graviter per accidens, Trans. Ant. per se, Neg. Ant. & Conf. Religiosus per se non obligatur sub gravi ad aliam perfectionem, quam quæ præscribitur a votis & præceptis gravibus sui Ordinis, ut cum D. Thoma 2. 2 q. 86 a. 9 docet Suarius, Sanchez &c. potest nihilominus per frequentem regularum transgressionem graviter peccare per accidens ratione scandali, contemptus, dissipationis disciplinæ, & laxitatis, quam inducit in Ordinem, qualem laxitatem sæcularis per peccata venialia non facile inducit in magnum hujus mundi monasterium, alias satis laxum, & peccatis gravibus abundans. Ad Conf. Dist. Ant. 75

merentur ſubtractionem gratiæ ſufficientis, Neg. Ant. efficacis, Tranſ. Ant. Gratiæ, quarum ſubtractionem venialia merentur, poſſunt reparari per alia bona opera, præſertim a juſtis, & quamvis aliqui graviter labantur, plerumque facile potuiſſent hunc lapſum vitare, ut adeo periculum ordinarie non ſit ita propinquum.

76 Obj. 4. Si peccata venialia non fiunt mortalia per multiplicationem, tunc neque ob coaleſcentem materiam. Cur enim ſit mortale, ſi quis eodem die jejunii ſæpius modicum quid comedit, non item, ſi modicum quid comedit ſingulis diebus quadrageſimæ? Conf. Qui detrahit pluribus leviter, vel ſuadet alteri, ut plures leviter percutiat, non peccat graviter: ergo neque qui pluribus leve quid furatur, vel ſuadet pluribus leve quid auferre; nam bona famæ & corporis ſunt æſtimabiliora quam bona fortunæ. Reſp. Neg. Ant. Ad exempla addita diſparitas eſt, quod in primo caſu omnes materiæ tanquam partes pertineant ad unam collectionem gravem a legislatore prohibitam ut unum totum; in poſteriori autem materiæ leves pertinent ad tota diverſa ſuis temporibus affixa, nec prohibentur per modum unius collectionis, ut notavi num. 66. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Ejusmodi detractiones, & percuſſiones non tam facile reipublicæ aut proximo grave damnum afferunt, alias etiam coaleſcerent, ſicuti furta, ad quæ inſuper datur majus illicium. Adde, quod furta occulta difficilius poſſunt caveri, & damnum per illa illatum difficilius reparari; hinc Doctores communiter aliter ſentiunt de furtis, quam detractionibus & percuſſionibus levibus.

77 Dices. In noſtra ſententia non poteſt explicari, an graviter, vel leviter peccet 1, qui vovit ſingulis diebus tria Pater & Ave, & per totum

totum annum nunquam recitat. 2. Qui eodem die vovit plures materias leves, e. g. tres actus virtutum, parvam Eleemoſynam &c. & nihil præſtat. 3. Qui ſingulis diebus promiſit Petro dare 5 crucigeros, & diu nihil ſolvit. Reſp. Hos ſimileſque caſus pertinere ad ſpeciales materias, præſertim cum ejusmodi obligationes potiſſimum dependeant ab ipſa intentione voventis, & promittentis, qui ſe obligare potuit vel ad omnes materias collective, vel ſolum diſtributive, & ſine animo compenſandi, ſi forte aliquid omittat. Interim in dubio, præſertim in votis perſonalibus, imo & realibus, certo tempori affixis, non facile præſumitur, quod aliquis ſe voluerit obligare graviter & collective. Idem eſt de pluribus votis levibus pro eodem die factis, ſaltem ſi non facta ſint ex eodem motivo e. g. ad effugiendum naufragium. In 3tio caſu major eſt difficultas, quia ejusmodi res parvæ hominibus communiter promitti ſolent collective, & cum onere compenſandi, adeoque per frequentes omiſſiones graviter læderetur jus alterius, cui inde grave damnum emergeret.

Obj. 5. Accidens non mutat ſpeciem: er- 78
go peccatum veniale non ſit mortale ex fine & circumſtantiis. Conf. Si e. g. mendacium jocoſum fieret mortale propter finem, vel alias circumſtantias, deberet neceſſario exponi in confeſſione; hoc non poteſt dici, alias qui per mendacium leve induxiſſet puellam ad fornicationem, non ſatisfaceret in confeſſione dicendo: Induxi puellam ad fornicationem, ſed deberet addere, id factum eſſe per mendacium. Reſp. Diſt. Ant. accidens phyſicum non mutat ſpeciem, Tranſ. Ant. metaphyſicum, vel morale, Neg. Ant. Accidens metaphyſicum eſt realiter identificatum cum ſubjecto; ſi ergo contineat di-

versam specie malitiam, species moralis mutatur; atqui tale accidens metaphysicum datur, si actus de se venialis tendat in circumstantiam graviter peccaminosam; hinc recepta inter auctores est regula: Actus moralis specificatur ab objecto, fine, & circumstantiis. Ad Conf. Dist. Maj. si fieret mortale malitia gravi distincta ab illa, quam habent ejusmodi circumstantiæ graviter prohibitæ, Conc. Maj. secus, Neg. Maj. malitia gravis, quam in tali casu habet mendacium, non est alia, quam inductio puellæ ad fornicationem; malitia autem sub formali ratione mendacii manet levis, consequenter non est materia necessaria confessionis.

79 Dices. Quodlibet peccatum veniale est contemptus legis & legislatoris: ergo quodlibet fit mortale ratione contemptus. Conf. Qui suam voluntatem & commodum præfert legi, & voluntati Superioris, ipso facto contemnit legem, & legislatorem; hoc facit peccator: ergo. Resp. Dist. Ant. est contemptus materialis, Conc. Ant. formalis, Neg. Ant. Contemptus formalis juxta dicta num. 68 est, qui cadit supra legislatorem, legem, aut rem præceptam qua talem, & hinc semper est peccatum mortale, continens blasphemiam, odium Dei, vel hæresin. Contemptus materialis est, qui directe tantum cadit supra legis observationem, & hic imbibitur in omni peccato, adeoque nullam specialem malitiam supperaddit. Quod si ipse etiam legislator humanus præcise contemnatur ut homo imprudens, indiscretus &c. vel res præcepta qua talis, tanquam inutilis, & inconveniens, tunc solum erit peccatum grave, si superiori infertur gravis injuria, aut ipsa res in se gravis sit. Ad Conf. Neg. Maj. de contemptu formali; nam peccans non facile ideo violat legem, quia legislatorem aut præceptum vult

vult contemnere, ejus poteſtatem inhonorare, aut oſtendere ſe illam nihili facere, & nolle ſubjici, ſed ordinarie tantum peccat ex amore boni prohibiti, ad vitandam aliquam moleſtiam &c.

Quæres 1. Quid ſit periculum, & occaſio 80 peccandi? Reſp. periculum ſeu occaſio peccandi in genere eſt omne illud, quod hominem inclinat, & diſponit ad peccandum. Solet quandoque eſſe absque occaſione externa, quando a tentatione mere interna provenit; quandoque autem cum occaſione externa eſt conjunctum, ut ſi quis ad peccandum allicitur a certa perſona, occupatione &c. Dividitur 1 in materiale, & formale. Prius eſt ipſa occaſio externa potens inclinare ad lapſum: poſterius eſt, quod conſideratis omnibus circumſtantiis ad lapſum allicit. 2. In proximum, quod certo, vel ſaltem valde probabiliter inducit ad peccatum: & remotum, in quo vel nulla prudens formido lapſus apparet, vel ſpes victoriæ ſaltem longe major eſt, quam formido lapſus. 3. In abſolutum, quod per ſe & ex natura rei quemcunque ad peccatum ſolet inducere: & reſpectivum, quod tantum per accidens ex conſuetudine, conditione, & proclivitate certarum perſonarum ad peccandum inducit. Sic juvenem. laſcivum converſatio cum puella poteſt ad peccatum inducere, quin inducatur vir probus, & conſtans.

Quæres 2. Quænam detur obligatio vi- 81 tandi periculum formale peccati? Reſp. 1. Periculum certum peccati mortalis ſemper tenemur vitare; nam quilibet ſub peccato gravi tenetur vitare peccatum grave: ergo etiam illa, quæ cum peccato gravi certo ſunt connexa. 2. Per ſe etiam datur gravis obligatio vitandi

 peri-

periculum probabile peccati gravis, quia tali periculo se exponere repugnat legibus prudentiæ Christianæ, & gravem propriæ salutis incuriam, Divinæque amicitiæ contemptum indicat. 3. Per accidens tamen quandoque se licet exponere periculo probabili peccandi ex causa valde gravi e. g. ad vitandam maximam infamiam; tum quia tale periculum non est satis voluntarium, tum quia obligatio illud vitandi nimium gravis ac potius noxia foret; quippe in talibus circumstantiis longe difficilius esset vitare periculum, quam in periculo tantum probabili peccatum. 4. Si periculum peccandi est tantum leve, & remotum, non datur gravis obligatio illud vitandi; nam hæc obligatio rursus esset nimium gravis & potius multiplicaret peccata, cum ejusmodi pericula ubique frequentissime occurrant. Neque dictis obstat propositio 63 damnata ab Innocentio XI: *Licitum est quærere directe proximam occasionem peccandi pro bono temporali, vel spirituali nostro, vel proximi;* aliud enim est occasionem directe quærere: aliud illam permittere non ob bonum qualecunque, sed valde magnum.

82 Quæres 3. Quando etiam debeat vitari ipsa occasio externa? Resp. 1. Quando talis occasio non est conjuncta cum periculo propinquo peccandi, vel hoc periculum facile & sufficienter potest tolli per actus internos, preces ad Deum &c. non datur obligatio illam vitandi, quia tunc tantum datur periculum remotum. 2. Quando periculum peccandi non potest facile & sufficienter per alia media tolli ob vehementem passionem vel habitum, debet deseri ipsa occasio externa, siquidem sit voluntaria, quia in tali casu, etsi alia media adhibeantur, regulariter manet periculum probabile, quamdiu occasio externa manet. 3. Quando occa-

occaſio eſt involuntaria, non datur obligatio illam vitandi, quia per accidens, & ex valde gravi cauſa periculo probabili ſe exponere licet, debent tamen adhiberi alia media moraliter poſſibilia ad periculum formale tollendum, ut ſic ex occaſione proxima fiat remota; imo ſi periculum peccandi eſſet certum, potius vita, & omnia perdi deberent, & ipſa occaſio deſeri. 4. Ut occaſio ſit moraliter involuntaria, non ſufficit quæcunque cauſa gravis, ſed debet eſſe tanta, ut difficilius ſit vitare occaſionem externam, quam ea retenta vitare peccatum; nam leges prudentiæ exigunt, ut quilibet in periculo gravis mali eligat id, per quod facilius tale malum evitatur. Tam graves cauſæ non allegantur in propoſitione 41 damnata ab Alexandro VII: *Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgo Regale, dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.*

DISPUTATIO II.

De differentia ſpecifica & numerica peccatorum.

Quoniam juxta doctrinam Concilii Tridentini 83
in confeſſione Sacramentali exponi debent omnia peccata mortalia ſecundum numerum, & ſpeciem, tam pœnitentes, quam confeſſarios noſſe oportet, quænam peccata ſpecie vel numero differant, & quidem in conſideratione morali & theologica; nam differentia mere philoſophica, in qua etiam ſpecie differunt furtum equi, & furtum bovis, in ordine ad confeſſionem non attenditur. Pariter quamvis

in consideratione philosophica, imo etiam in judicio Divino, quilibet actus liber & peccaminosus, ab alio sive continuo sive discontinuo realiter distinctus, differat numero, tamen in judicio humano, & in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ hæc differentia saltem universaliter locum habere nequit. Cum enim actus præsertim interni realiter distincti intra modicum tempus nimium quantum augeantur, ut numerus eorum moraliter & humano modo discerni nequeat; obligatio confitendi redderetur intolerabilis, imo impossibilis, si peccata gravia quoad numerum ita considératum essent exponenda. Unde ad distinctionem numericam cognoscendam duplicem aliam radicem assignabo, nempe interruptionem moralem actuum, & diversitatem ipsorum objectorum.

QUÆSTIO I.

Quænam peccata differant specie?

84 Quam utilis & necessaria hæc quæstio est, tam difficulter statuitur aliqua regula universalis; hinc Auctores in varias sententias distrahuntur. Referamus aliquas magis celebres. Valentia, Becanus &c. docent, ea peccata differre specie, quæ opponuntur diversis speciei virtutibus. Verum imprimis redit quæstio de ipsis virtutibus, quænam specie differant? Dein eidem virtuti opponuntur peccata specie diversa e. g. eidem virtuti liberalitatis prodigalitas & avaritia: justitiæ furtum, rapina, detractio: religioni perjurium, Simonia, violatio voti, omissio breviarii, sacri præcepti &c. nec dicas talia peccata opponi quidem eidem virtuti, attamen diverso modo; nam restat explican-

plicandum, quæ diverſitas modi inducat differentiam ſpecificam.

Haunoldus contendit illa peccata differre 85 ſpecie, in quorum uno adhuc apparet ſpecialis ratio prohibendi, etſi alterum fingatur eſſe licitum. Sed hæc regula ex una parte potius explicat differentiam peccatorum fundamentalem quam formalem, cum ratio vel convenientia prohibendi prior ſit actuali prohibitione: ex altera parte non eſt univerſalis, ſi ratio prohibendi hoc modo explicetur. Vel enim inter duo peccata, de quorum differentia dubitatur, fingis illud non eſſe peccatum, quod eſt minus, vel illud, quod apparet majus? ſi primum? ergo furtum unius aurei, & furtum 10 aureorum differrent ſpecie, quia licet prius fingatur eſſe licitum, datur adhuc ratio prohibendi alterum: ſi ſecundum? ergo adulterium non differret ſpecie a fornicatione, homicidium a mutilatione &c. quia ſi major malitia fingitur eſſe licita, non amplius apparet ratio prohibendi minorem.

Multi Thomiſtæ differentiam ſpecificam de- 86 ſumunt ex objecto, in quod actus peccaminoſus tendit. Sed vel intelligunt ſolum objectum materiale? & ſic differrent ſpecie furtum equi & bovis: vel objectum formale? & ſic differrent ſpecie homicidium patratum propter injuriam, & propter preces amici, item furtum, ut lautius vivas, & ut poſſis ludere: vel objectum materiale & formale ſimul? & ſic differrent ſpecie furtum auri ex motivo diteſcendi, & furtum equi ex motivo commodius peragendi iter. Quod ſi etiam intelligant objectum retrahens comminationis, ſequeretur ea peccata differre ſpecie, quæ merentur pœnas inæquales, uti odium intenſum, & remiſſum, furtum unius aurei & plurium. Adde quod longe certius

tius sit e. g. delectationem veneream & desiderium inefficax furandi differre specie, quam quod mereantur pœnas inæquales, adeoque hæc regula sæpe esset minus certa, quam ipsa differentia specifica.

87 Cardenas ad cognoscendam differentiam specificam recurrit ad judicium prudentum, Pallavicinus vero ad diversa dictamina conscientiæ. Verum contra primum est, quod Doctores de differentia specifica peccatorum sæpe dissentiant, neque de illa prudenter possint judicare, nisi illorum judicium fundetur in alia ratione, quæ proin potius pro regula assignanda erit. Contra secundum est, quia diversitas dictaminum conscientiæ non potest aliter explicari quam per respectum ad leges formaliter diversas; hinc quamvis alibi dixerim, quod peccatum consistat in oppositione formali cum ultimo dictamine conscientiæ, proponente legem æternam seu malitiam objectivam actus; consequenter etiam fatear, quod differentia specifica desumenda sit ab oppositione cum pluribus dictaminibus conscientiæ proponentibus leges formaliter diversas, malo tamen servare communem modum loquendi Auctorum, & in assignanda regula statim ad ipsas leges confugere.

88 Dicendum. Illa peccata differunt specie, quæ opponuntur legibus formaliter, seu in consideratione theologica diversis, ita quoad rem Scotus, Salas, Ovied. Laym. Vasquez, Sanchez, Palao. Prob. Omne peccatum ex prima sua essentia stat in oppositione cum lege Divina: ergo peccatum speciale seu in determinata specie stat in oppositione cum lege Divina speciali: ergo differentia specifica peccatorum desumenda est ab oppositione cum legibus & obli-

gatio-

gationibus ſpecie diverſis, cum idem ſit conſtitutivum & diſtinctivum eſſentiæ, ut ex Logica novimus. Sic quia leo per rugibilitatem conſtituitur, per eandem ab aliis animalibus diſtinguitur. Conf. Hæc regula differentiæ ſpecificæ eſt ſimplex, univerſalis, convenit omni, & ſoli, ac inſuper petitur ex primis & eſſentialibus prædicatis peccati: ergo merito præfertur aliis regulis, quæ tantum deducuntur ex prædicatis minus principalibus, præſertim ſi aliunde nihil obſtet, ſicut nihil obſtare videbimus.

Objectiones.

Obj. 1. S. Thomas Q. 2 de malo art. 6 in 89
corp. ait, non eſſe dicendum, quod peccata differant ſpecie ſecundum differentiam præceptorum, ſed magis e converſo præcepta diſtingui ſecundum differentiam virtutum. Idem 1. 2 q. 22. art. 1 in corp. docet, peccata differre potius per objecta, quæ ab actibus voluntariis per ſe & directe intenduntur: dum econtra difformitas cum lege illis plerumque tantum inſit per accidens, & ſolum intendatur indirecte. Reſp. S. Thomas primo loco vel tantum loquitur de peccato, prout eſt actus voluntarius, & liber: vel tantum vult, quod peccata non differant ſpecie ſecundum differentiam præceptorum qualemcunque, tantum materialem, ſed formalem, in quantum præcepta obligant ſub diverſa virtute tanquam diverſo motivo formali; nam eo ipſo loco ait: *Si vero aliqua eſſent peccata ſolum, quia prohibita, rationabile eſſet, ut ſecundum differentiam præceptorum ſpecie peccata differrent*; atqui etiam ea, quæ ſunt intrinſece mala, ſunt ſolum formaliter peccata, quia prohibita, ut rurſus ait 1. 2 q. 1 ad 1. In altero loco rurſus tantum loqui-

loquitur de peccato, prout eſt actus humanus voluntarius & liber; nam ſub iſta præciſe ratione peccatum ibi examinat. Certe difformitas a lege, peccato qua tali juxta S. Doctorem non eſt tantum accidentalis, cum ipſemet illud definiat, quod ſit dictum, factum vel concupitum contra legem æternam.

90 Dices. Juxta S. Thomam 1. 2 q. 72 art. 7 in corp. peccata cordis, oris, & operis non differunt ſpecie; atqui hæc ſunt contra diverſi præcepta Decalogi: ergo. Conf. Juxta Haunoldum aliosque deſiderium efficax e. g. furandi & opus deſideratum nunquam differunt ſpecie; ſed præceptum nonum & decimum Decalogi ſolum ideo ſpecialiter latum eſt, ut retunderetur ignorantia Judæorum, qui putabant ſola deſideria prava non eſſe peccaminoſa, niſi opere externo compleantur. Reſp. Diſt. Maj. peccata cordis, oris, & operis non differunt ſpecie ſemper & univerſaliter, Conc. Maj. aliquando, Neg. Maj. Quandoque talia peccata ad invicem ordinantur, & conſtituunt unum peccatum conſummatum: & hinc non differunt ſpecie ſaltem completa, ut ſi quis habet deſiderium fornicandi, ideo profert verba turpia, & ſine interruptione morali opus exercet: quandoque vero non ita ad ſe invicem ordinantur, ſed unum ſeorſim conſummatur corde, alterum ore, tertium opere, & tunc videntur differre ſpecie ſuo modo completa, ut indicat S. Thomas loc. cit. ad 3. Cum enim opera externa ſint longe magis nociva proximo, quam deſideria mere interna, jam videtur dari ſpeciale motivum illa prohibendi. Ad Conf. Doctrina Haunoldi ob rationem allatam multis non placet; quidquid tamen ſit, certum eſt, quod peccata cordis, oris & operis aliquando differant ſpecie

cie completa uti hæreſis, blasphemia, & homicidium.

Obj. 2. Poſſunt peccata differre ſpecie, 91
quin opponantur præceptis formaliter diverſis. Sic blasphemia, ſuperſtitio, perjurium ſunt contra idem præceptum ſecundum Decalogi, & tamen differunt ſpecie. Conf. Lex Dei eſt realiter unus indiviſibilis actus: ergo non poteſt differre ſpecie a ſe ipſa. Reſp. Neg. Ant. Rationem additam diſt. Hæc peccata ſunt contra idem realiter præceptum, Conc. contra idem etiam formaliter & æquivalenter, Neg. Religio aliæque virtutes ſæpe ſub ſe continent plures honeſtates ſpecificas, quibus opponuntur malitiæ ſpecie diverſæ: unde etiam præceptum ejusmodi peccata prohibens, formaliter & æquivalenter eſt multiplex, in quantum habet diverſa motiva prohibendi, quæ in Deo fundant diverſas diſplicentias. Sic præceptum ſecundum decalogi prohibet blasphemiam ex motivo decentiæ, ne Deus inhonoretur convitio, ſuperſtitionem ex motivo honeſtatis non inhonorandi Deum cultu falſo, perjurium ex motivo non aſſumendi Deum in teſtem falſi. Ad Conf. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo non poteſt differre ſpecie a ſe ipſa realiter, Conc. Conſ. formaliter & æquivalenter, Neg. Conſ.

Dices. Peccatum mortale & veniale diffe- 92
runt ſpecie, licet verſentur circa eandem materiam, ut furtum grave & leve, delectatio impura deliberata, & ſemideliberata; atqui hæc peccata opponuntur eidem legi ſub eodem motivo obliganti: ergo. Conf. Etſi peccata opponantur eidem legi, tamen poterunt differre ſpecie, dummodo modus oppoſitionis ſit ſpecialis, & diverſus, ut patet in prodigalitate, & avaritia, in delectatione moroſa, & deſiderio pravo. Reſp. Tranſ. Maj. quam negant Dicaſt.

Herincx & non nulli alii, Neg. Min. cum communiori, quia lex prohibens e. g. furtum grave pro motivo habet inhonestatem injustitiæ sublativam amicitiæ Divinæ, & inducentem privationem æternæ beatitudinis; lex vero prohibens furtum leve inhonestatem injustitiæ tantum leviter oppositam amicitiæ Divinæ, & inducentem longe alios effectus: adeoque lex hæc virtualiter & æquivalenter est duplex, uti aliæ similes. Ad Conf. Dist. Ant. possunt differre specie, si modus ille diversus oppositionis sit specialiter prohibitus, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. Si certus modus oppositionis specialiter prohibetur, datur prohibitio specie diversa e. g. prodigalitas prohibetur propter nimiam profusionem bonorum, avaritia propter nimiam tenacitatem, quæ sunt motiva diversa.

93 Obj. 3. Possunt dari diversa præcepta, quin peccata ipsis opposita differant specie. Sic juxta S. Thomam peccatum commissionis, & omissionis circa eandem materiam e. g. ablatio rei alienæ, & non restitutio sunt ejusdem speciei, quamvis unum sit contra præceptum affirmativum, alterum contra negativum. Conf. Licet e. g. furtum opponatur pluribus præceptis numero diversis, nempe naturali & positivo, ideo non est multiplex numero: ergo quamvis duo peccata opponantur legibus specie diversis, non sunt plura specie. Resp. Dist. Ant. si præcepta tantum sint diversa materialiter, Conc. Ant. si formaliter, Neg. Ant. Differentia præcepti affirmativi & negativi tantum est materialis, si utrumque habet idem motivum formale prohibendi, prout fit in adducto exemplo: si vero motiva prohibendi sunt notabiliter diversa, etiam peccatum commissionis & omissionis differunt specie, ut notat ipse S. Thomas 2. 2 q. 79, ponens pro exemplo, non honorare parentes,

tes, prout decet, & eos positive inhonorare. Profecto nemo facile negaverit, quod specie differant omissio amoris praecepti, & positivum odium Dei, ac multo magis omissio sacri, & furtum. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Peccatum oppositum pluribus praeceptis numero diversis manet unicus realiter & moraliter actus; sed plura peccata diversis formaliter praeceptis opposita, sunt plures oppositiones in consideratione theologica essentialiter dissimiles.

Dices. Idem numero peccatum potest esse 94
oppositum pluribus legibus specie diversis, ut patet in furto rei sacrae, opposito praecepto justitiae & religionis: ergo etiam plura ejusdem speciei peccata possunt esse opposita legibus specie diversis. Conf. Differentia legum est tantum extrinseca peccatis: ergo differentia peccatorum non consistit in differentia legum, imo de ipsis legibus redit quaestio, an & quomodo specie differant. Resp. Trans. Ant. Quia tale peccatum juxta multos moraliter est multiplex, Neg. Conf. Quomodo idem peccatum continet plures malitias specie diversas, tunc sicut illae coalescunt in unum numero actum, sic etiam constituunt unam speciem quasi 3tiam, quae simul sub utroque motivo una lege prohibetur: at si peccata numero plura sunt formaliter dissimilia, nec ratione identitatis physicae, nec alio ex capite in eadem specie conveniunt. Ad Conf. Trans. Ant. Neg. Conf. & suppositum, quod differentia peccatorum juxta nos consistat in differentia legum; consistit enim in ipsa oppositione radicali cum legibus, quae utique peccato est intrinseca. An vero haec vel illa lex differat specie, spectat tantum ad applicationem regulae in materiis particularibus, ut tamen res melius explicetur, sit

QUÆSTIO II.

Quænam leges differant specie?

95 Dicendum, Illæ leges & præcepta in consideratione theologica differunt specie, quæ habent motivum immediatum obligandi moraliter diversum. Ita passim Auctores pro nobis citati quæstione præcedente. Prob. Quælibet lex ut sit justa, rationabilis, & inducat obligationem theologicam, essentialiter debet habere aliquam rationem, motivum, seu finem prudentem obligandi; nam hic est quasi anima legis: ergo ut inducat obligationes moraliter diversas, debet habere rationem seu motivum moraliter diversum: ergo sicut lex in essentia sua constituitur per respectum ad aliquod motivum formale prudens, ita etiam specie distinguitur per respectus ad motiva moraliter diversa. Sic leges naturales, quarum una præcipit religionem, alia justitiam, alia temperantiam &c. juxta omnes differunt specie, quia pro motivo habent diversas honestates. Idem dic de legibus positivis, quarum una ex motivo temperantiæ præcipit jejunium, altera ex motivo religionis sacrum. Imo eadem materia potest præcipi diversis specie præceptis, e. g. idem jejunium ab Ecclesia ex motivo temperantiæ, a Superiore religioso ex motivo obedientiæ, a confessario ex motivo pœnitentiæ, dependenter a voto ex motivo religionis, quo casu transgressio ex quatuor diversis malitiis in confessione exprimendis coalescit.

96 Dixi, leges, quæ habent motiva immediata, moraliter diversa, nempe non præcise extrinseca aut inæqualia ratione intensionis, extensionis, & quantitatis, sed notabiliter dissimilia; alias nimium multiplicaretur differentia spe-

ſpecifica legum & peccatorum. Porro præcepta virtutum theologicarum pro motivo immediato habent perfectionem aliquam Divinam e. g. præceptum fidei, veracitatem & ſapientiam Divinam, præceptum ſpei, omnipotentiam, fidelitatem &c. quæ ipſæ perfectiones ſunt etiam motivum formale legum prohibentium actus his virtutibus oppoſitos, nempe hæreſin, deſperationem, odium Dei. 2. Præcepta naturalia virtutum moralium immediate reſpiciunt intrinſecam honeſtatem virtutis, quam præcipiunt, aut inhoneſtatem vitii, quod prohibent. 3. Pariter leges poſitivæ intendunt virtutem ad quam actus præceptus ſpeciali modo conducit, aut fugam vitii oppoſiti. 4. Quodſi materia legis ex natura ſua ſit indifferens ad plures virtutes, motivum formale colligendum erit ex circumſtantiis. Sic quia labor ſervilis ſolum prohibetur diebus feſtis & Dominicis, recte colligitur, quod lex iſta pro motivo habeat honeſtatem religionis. 5. Poſito autem quod etiam circumſtantiæ eſſent indifferentes, ſignum foret, legem pro motivo habere honeſtatem ſolius obedientiæ. Imo ſuperiores particulares Religionum, quando ſubditis etiam in aliis materiis aliquid præcipiunt, ordinarie pro motivo formali ſolent habere tantum obedientiam, excepta materia votorum.

Ut jam ipſa moralis diverſitas horum mo- 97
tivorum innoteſcat, pro applicatione noſtrarum regularum ulterius ſervire poterunt hæc ſigna. 1. Si communis Doctorum aut etiam aliorum hominum ſenſus judicat, hæc vel illa peccata & leges differre ſpecie. 2. Si peccata opponantur diverſis virtutibus, de quarum differentia ſpecifica aliunde conſtat. Idem eſt, ſi unum peccatum uni, alterum pluribus virtuti-

bus adverſatur, ut fornicatio & adulterium, homicidium, & parricidium. 3. Si peccata quidem opponuntur eidem virtuti, ſed modo notabiliter diſſimili, & diverſimode conducente ad finem legis, ſic ſpecie differunt peccata per exceſſum, & defectum, omiſſio ſacri & omiſſio breviarii. 4. Si peccata ſint contra bona diverſi ordinis e. g. unum contra bonum ſpirituale, alterum contra temporale, unum contra bona corporis, alterum contra bona fortunæ, aut famæ, aut honoris, unum immediate contra Deum, alterum contra proximum, aut ſe ipſum, quo ſubinde etiam reducitur diverſitas ſtatus, ut in percuſſione clerici & laici. 5. Si detur per ſe ac communiter inclinatio, & illicium notabiliter diverſum ad actum prohibitum, aut difficultas ad ejus omiſſionem; nam lex eſt frenum humanarum inclinationum & calcar ad ſuperandas difficultates; hinc ſpecie differunt comeſtio carnium & ſecunda refectio die jejunii. Addunt aliqui diverſitatem objecti comminationis ſeu pœnarum; quæ tamen, niſi reſtringatur ad ſolam pœnam æternam, & temporalem, ſpecies peccatorum nimium viderentur multiplicari.

Objectiones.

98 Obj. 1. Multæ leges, quæ obligant ſub eodem motivo, differunt ſpecie. Sic præceptum charitatis obligat ex motivo infinitæ bonitatis Dei, & tamen illi opponuntur plura peccata ſpecie diverſa. Præcepto ex motivo juſtitiæ opponitur furtum, detractio, cædes &c. Conf. Præceptum ſextum ex eadem turpitudine prohibet mollitiem, Sodomiam & beſtialitatem; atqui hæc differunt ſpecie, ut patet ex propoſitione 24 damnata ab Alexandro VII:

Mol-

Mollities, Sodomia, & beſtialitas, ſunt peccata ejusdem ſpeciei infimæ, adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe procuraſſe pollutionem. Reſp. Diſt. Ant. multæ leges differunt ſpecie, quæ obligant ſub eodem motivo generico, Conc. Ant. ſub eodem motivo ſpecifico, Neg. Ant. Nam ejusmodi leges ſemper reſpiciunt vel diverſas virtutes, vel diverſa bona, vel ſaltem moraliter diverſos modos, quibus actus prohibiti eidem genericæ virtuti opponuntur. Ad Conf. eadem eſt reſponſio. Quippe præter turpitudinem genericam luxuriæ naturalis Sodomia continet ſpecialem indecentiam contra naturalem verecundiam & reverentiam erga parem ſexum; beſtialitas vero adhuc majori inhoneſtate affectum naturalem hominis ad hominem turpiſſime ad beſtias detorquet.

Dices. Si ad differentiam ſpecificam legum 99
ſufficit diverſitas honeſtatum particularium, poterit dici, unicum dari præceptum obligans ex motivo charitatis, ſed reſpiciens diverſas honeſtates particulares; nam omnia peccata opponuntur charitati. Conf. Motivum præcipiendi auditionem Sacri die feſto, & prohibendi laborem ſervilem minus differunt, quam motivum prohibendi furtum duorum & 1000. florenorum: ergo. Reſp. Neg. ſequelam. Cum ex una parte finis legum ſit, homines compeſcere a vitiis particularibus, & promovere ad diverſas honeſtates: ex altera parte pleraque peccata tantum materialiter opponantur charitati, ejusque motivo formali, quod tantum eſt velle Deo bonum propter ſe, & proximo propter Deum; neceſſe erat dari alias leges particulares, quarum fines immediate & per ſe promoverent illas honeſtates, quæ formaliter per charitatem, ejusque proprium motivum non habentur. Sic licet aliquis non ſit pronus ad

furandum ex odio Dei, vel proximi, poteſt tamen inclinari ex cupiditate divitiarum, cui proin coercendæ ſpecialis lex opponenda fuit. Ad Conſ. Diſt. Ant. motivum prohibens auditionem ſacri minus differt, id eſt minus eſt inæquale, Conc. Ant. minus eſt diſſimile, Neg. Ant. & Conſ. Nam hic procedit illud vulgare: magis & minus non mutat ſpeciem.

100 Obj. 2. Multæ leges non differunt ſpecie, etſi habeant motiva moraliter diverſa. Sic præceptum audiendi Miſſam die Dominica obligat ex motivo latriæ, & die feſto alicujus Sancti ex motivo duliæ, præceptum jejunandi tempore quadrageſimæ ex virtute abſtinentiæ, in vigiliis Sanctorum ex virtute religionis. Conſ. Non eſt ratio, quare labor die feſto prohibeatur ex motivo religionis, & jejunium in vigilia e. g. natalis Domini non ex eodem motivo prohibeatur. Reſp. Diſt. Ant. etſi habeant motiva mediata & extrinſeca moraliter diverſa, Conc. Ant. motiva intrinſeca & immediata, Neg. Ant. præceptum audiendi ſacrum ſemper obligat ex motivo cultus Divini, ad cujus honorem feſta præcipue inſtituuntur, quod autem Eccleſia auditionem Sacri ordinet modo ad honorem ſolius Dei, modo etiam ad honorem alicujus Sancti, eſt motivum ſolum mediatum & extrinſecum non mutans ſpeciem. Similiter præceptum jejunii immediate ſemper intendit honeſtatem abſtinentiæ; honor autem Sanctorum eſt potius finis legislatoris quam legis; hinc qui pervigilio S. Mathiæ incidente in quatuor tempora quadrageſimæ frangit jejunium, committit tantum unum ſimplicis malitiæ peccatum. Ad Conſ. Jejunium per ſe & ex natura ſua conducit ad virtutem abſtinentiæ, ceſſatio autem a labore ſervili ad omnem virtutem eſt indifferens. Vid. num. 96.

Di-

Dices. Lex naturalis pro fine habet felici- 101
tatem naturalem, lex Divina & Ecclesiastica supernaturalem, lex civilis politicam, & tamen non differunt specie. Conf. Incestus in primo gradu jure naturæ prohibitus differt specie ab incestu in 3tio & 4to gradu solum jure positivo prohibito: ergo istæ leges habent diversos fines intrinsecos. Resp. Istos fines iterum tantum esse mediatos & extrinsecos, motivum autem immediatum harum legum, si versantur circa eandem materiam, regulariter est idem, nempe honestas virtutis, quam præcipiunt, vel inhonestas vitii, quod prohibent. Imo in statu elevationis etiam lex naturalis intendit felicitatem supernaturalem, & nequidem pro fine mediato habet tantum naturalem. Ad Conf. Transf. Ant. quod negat Filliutius, Dist. Conf. ergo habent fines diversos intrinsecos aliquando, si versantur circa materias diversas, Conc. Conf. semper & quando versantur circa eandem, Neg. Conf. Lex naturalis prohibens incestum in primo gradu habet pro motivo inhonestatem sanguini & cognationi in eodem gradu debitam, quæ juxta communiorem æstimationem est notabiliter diversa & major, quam reverentia debita sanguini & cognationi in 3tio vel 4to gradu. Propter eandem proportionaliter rationem videntur etiam specie inter se differre incestus cum filia, cum matre, cum sorore. Item incestus cum conjunctis cognatione spirituali, & cognatione orta ex aliis titulis, de quibus consulantur Casistæ.

Obj. 3. Diversitas specifica legum satis ha- 102
betur per diversitatem legislatorum: ergo frustra recurritur ad diversa motiva. Ant. Prob. Quælibet lex, utpote actus vitalis, habet essentialem respectum ad suum legislatorem, &

quando legislatores ſunt diverſi, transgreſſiones legum continent inobedientias ſpecie diverſas : ergo. Conf. Quando legislator humanus aliquid præcipit, quod jam antea præceptum eſt jure naturæ, inducit novam obligationem, alias talis lex eſſet fruſtranea & inutilis. Reſp. Neg. Ant. Ex reſpectu ad diverſos legislatores tantum ſequitur, quod leges differant in conſideratione philoſophica; inobedientia autem imbibitur in omni transgreſſione legis, nec variat ſpeciem, niſi ſit formalis, quod tunc ſolum contingit, ſi præceptum immediate obligat ex virtute obedientiæ, vel transgreſſio fit ex contemptu formali. Imo communior docet, quod etiam inobedientia formalis erga legislatorem Divinum & humanum non differant ſpecie, quia lex humana præciſe obligat in conſcientia, quatenus a lege Divina informatur, & ex poteſtate a Deo conceſſa procedit. Ad Conf. Diſt. Ant. inducit novam obligationem materialiter & phyſice, Conc. Ant. novam theologice & formaliter, Neg. Ant. Sicut Superior renovans ſæpius idem mandatum, ideo non intendit novam ſpecie obligationem, nec ideo inutiliter agit, ſed magis declarat, firmat, & urget priorem obligationem, ita idem contingit in caſu objectionis.

103 Dices. Lex naturalis & Divina rem præceptam conſtituunt in materia neceſſaria illius virtutis, ad quam aliunde habet conducentiam, non item lex humana, alias idem dici deberet de præcepto particulari, & voto. Conf. Quamvis aliqui actus ex natura ſua conducant ad unam virtutem, poſſunt tamen etiam ordinari ad alias, & ab ipſis imperari e. g. jejunium ex amore caſtitatis vel obedientiæ : ergo non eſt ratio, quare non ex motivo aliarum virtutum præcipiantur. Reſp. Neg. Ant. quoad 2 membrum.

brum. Nam quod lex humana obliget ex ſolo motivo obedientiæ, eſt contra communem ſenſum Doctorum, ut fatetur ipſe Arriaga adverſarius. Aliud eſt de Superiore religioſo, qui licet poſſet ex motivo aliarum virtutum obligare, id ordinarie non ſolet. Unde alias virtutes tantum cenſetur habere pro motivo extrinſeco, niſi ex circumſtantiis poſitive conſtet contrarium. De voto aliqui concedunt ſequelam, ſed communior docet, quod ſolum obliget ex motivo religionis; nam votum ſtricte loquendo non eſt lex, cum nemo ſit ſuperior ſui ipſius, ſed tantum eſt conditio, qua poſita lex naturalis & Divina ex fidelitate erga Deum obligat. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Nam præſumptio ſit juxta ea, quæ communiter contingunt, & magis ſunt connaturalia; jam vero leges humanæ ordinarie ſolent obligare ex illa virtute, ad quam materia de ſe ſpectat, alias vix poſſet ſciri, ex quo motivo obligent.

Ob. 4. Si diverſitas ſpecifica peccatorum 104
explicatur per diverſitatem legum & diverſitas legum per diverſitatem motivorum formalium, explicatur idem per idem, & committitur circulus. Ant. Prob. Specialis inhoneſtas peccati eſt ipſe actus peccaminoſus: ergo ſi differentia ſpecifica explicatur per ſpecialem inhoneſtatem tanquam motivum, explicatur idem per idem. Conf. Noſtra ſententia incurrit eandem difficultatem, quam aliis ſententiis objicimus; nam licet leges differant per diverſitatem objecti formalis, redit quæſtio, unde & quando hæc ipſa motiva differant. Reſp. Neg. Ant. ad Prob. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. ergo ſi differentia ſpecifica explicatur per inhoneſtatem formalem, explicatur idem per idem, Conc. Conſ. ſi tantum explicatur per inhoneſtatem radicalem, Neg. Conſ. Motivum legis non eſt malitia formalis,

malis, quæ primum per legem prohibitivam inducitur, sed radicalis & fundamentalis, quæ suo modo ad legem saltem naturalem præsupponitur, adeoque diversitas malitiæ formalis non exsplicatur per se ipsam. Ad Conf. Neg. Ant. Ut alia taceam, sententiæ refutatæ non petunt ita immediate & clare differentiam specificam ex ipsa natura rei. Adde quod etiam diversitatem objectorum satis ulterius explicaverimus, & plura alia principia dederimus, ex quibus illa possit colligi, quamvis hæc solum pertineant ad applicationem regulæ.

105 Dices. Nostra regula ad discernendam speciem peccatorum neque servit doctis, qui non obstante illa inter se sæpe litigant & contrarii sunt: neque servit indoctis, qui assequi non possunt differentiam multiplicem legum & motivorum. Conf. Licet multi habeant majorem inclinationem ad comedendas aves, quam carnem bubulam, comestio avium & bubulæ die jejunii non differt specie: ergo diversa inclinatio non est motivum moraliter diversum. Resp. Neg. Ant. Etsi differentia specifica peccatorum, legum, & motivorum in quibusdam casibus adhuc maneat dubia, id non provenit ex defectu regulæ, sed applicationis, ad quam utique major notitia etiam materiarum particularium requiritur, uti in omni alia regula contingit. Interim non solum doctis, sed etiam indoctis nostra regula & applicatio sæpe prodest, cum diversitas motivorum non raro aliunde sit nota, & in dubiis possit recurri ad judicium prudentum tanquam regulam mediatam; quod si ipsi Docti inter se discrepent, dubia erit differentia specifica. Ad Conf. Conc. Ant. Dist. Conc. si ejusmodi inclinatio, & difficultas diversa detur per se & communiter, Neg. Cons.

Conſ. ſi tantum detur per accidens & reſpectu aliquorum, Conc. Conſ. Nam leges non attendunt ad caſus particulares, & tantum per accidens occurrentes, unde hoc diſcrimen in æſtimatione Eccleſiæ, quæ tantum attendit ad carnes ut ſic, non eſt notabile; ſicut viciſſim per accidens eſt, ſi quis æquali appetitu feratur in piſces, & carnes.

Ex dictis colliges 1. Qui violat votum, 106
juramentum ſæpius repetitum, aut legem ſub eadem ratione formali ſæpius renovatam, non committit peccatum diverſæ ſpeciei, eſto quod poſſit eſſe gravius. 2. Qui violat votum in materia aliunde non præcepta, tantum peccat contra religionem, neque ipſam materiam in confeſſione tenetur explicare; ſi vero materia voti aliunde eſt præcepta, transgreſſio voti continet duplicem malitiam, & ipſa materia debet exponi e. g. Violavi votum in materia caſtitatis, in jejunio præcepto &c. 3. Idem ordinarie dicendum, ſi violetur præceptum Superioris particularis, qui tantum obligat ex motivo obedientiæ. Debet nihilominus in utroque caſu dici, an transgreſſio fuerit in materia gravi, vel levi. 4. Qui vovet obedientiam alteri, qui non habet in ipſum jurisdictionem e. g. Confeſſario, & transgreditur illius præceptum, vel quaſi præceptum, ſolum peccat contra religionem, quia hoc præceptum non eſt vere tale, ſed tantum conditio, qua poſita votum obligat. 5. Sicut ſecunda refectio die jejunii ſpecie differt a comeſtione carnium, ſic a comeſtione carnium differt comeſſatio, quæ nocet valetudini, & ebrietas, quæ inſuper privat uſu rationis; nam effectus adeo diverſi fundant motiva moraliter diverſa.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quando detur differentia numerica peccatorum ratione actuum.

107 Actus morales tam interni, quam externi dividuntur 1 in homogeneos, qui sunt ejusdem rationis, & versantur circa idem objectum, & personam, uti plures delectationes turpes circa idem objectum: & in heterogeneos, qui sunt diversæ rationis, quia versantur circa diversa objecta & personas, vel procedunt a diversa potentia, vel ab eadem diverso modo, uti delectatio turpis, desiderium, tactus &c. 2. In consummatos, qui de se non ordinantur ad aliud opus vel actum complendum, uti hæresis, odium Dei, homicidium: & non consummatos, qui vel ex natura sua, vel ex communi usu & modo operandi ordinantur ad aliud opus vel actum complendum, uti desiderium vindictæ, præparatio armorum, inquisitio inimici in ordine ad homicidium. 3. In continuos & discontinuos seu interruptos, quæ interruptio tripliciter fieri potest. 1. Per voluntatem contrariam, vel retractationem seriam prioris actus. 2. Per cessationem voluntariam & liberam sine retractatione, ut si quis libere se convertit ad alia negotia. 3. Per cessationem involuntariam & necessariam e. g. per distractionem involuntariam, somnum, ebrietatem &c. quæ mentem sopiunt, vel alio avertunt.

108 Dicendum 1. Actus peccaminosi physice inter se distincti tam similes, quam dissimiles sunt plura numero peccata, si interrumpuntur per voluntatem contrariam, vel retractationem absolutam & efficacem. Ita communissima Auctorum, quæ ipsa auctoritas est gravissimum in hac materia morali argumentum. Ratio ulterior est, quia actus peccaminosus absolute

&

& efficaciter retractatus non amplius habet unitatem moralem cum actu subsequente, sed posita tali retractatione prior actus ita fuit completus, ut nec formaliter, nec virtualiter, nec habitualiter perseveret, adeoque non amplius potest coalescere in unum actum cum subsequente, ad quem prorsus nova deliberatio & determinatio voluntatis requiritur. Conf. Qui post conceptum desiderium vindictæ se reconciliat cum inimico, post horam vero de novo desiderium vindictæ repetit, juxta communem committit duo numero distincta peccata. Idem est, si fur post effractas jam arcas ex timore pœnæ serio retractet intentionem furandi, postmodum vero redeat & furetur &c. nam etiam hic dantur plura numero peccata; ratio autem non est alia, quam quod actus priores & posteriores per efficacem retractationem & voluntatem contrariam sint interrupti, nec amplius uniantur in eadem voluntate in ordine ad idem objectum totale.

Dicendum 2. Actus peccaminosi physice distincti, quando interrumpuntur per cessationem voluntariam, vel involuntariam, absque retractatione aut voluntate contraria, sæpe fiunt plura numero peccata, non raro tamen etiam coalescunt in unum. Ita rursus communis. Prob. prima pars. Quia tales actus tum ob suam naturam, & diversitatem personarum ac circumstantiarum, tum ob ordinarium operandi modum, & moram temporis per solam cessationem ita discontinuantur, ut nec physice, nec moraliter maneat eadem voluntas & inclinatio, sed omnino nova determinatio voluntatis requiratur: ergo non amplius manent moraliter uniti inter se vel in eadem voluntate, consequenter sunt plura numero peccata. Conf. Juxta communis- 109

mu-

munem sensum Doctorum & praxin tam consistentium, quam confessariorum committit plura peccata 1 qui delectationem morosam de re turpi, etiam nullo modo retractatam, iterum resumit post diuturniorem somnum, vel distractionem seu applicationem animi ad aliud negotium e. g. ad scribendam epistolam. 2. Qui per unum vel plures annos fovet desiderium occidendi, furandi &c. & ad hos fines interruptim adhibet media, ac diu postea opus consummat, etsi isti actus solum fuerint interrupti per cessationes sive liberas sive necessarias. 3. Qui quotidie semel blasphemat, proximo detrahit &c. etsi blasphemiam & detractionem praecedentem non retractaverit.

110 Probatur 2 Pars. Si interruptio per solam cessationem voluntariam aut involuntariam semper induceret differentiam numericam peccatorum, actus peccaminosi physice plures rarissime coalescerent in unum moraliter peccatum, cum rarissime contingat, ut ejusmodi cessationes non intercedant per inadvertentiam, distractionem, conversionem ad alia objecta, confabulationem, sumptionem cibi &c. sed hoc non potest admitti, quia alias plerumque in confessione deberet exponi numerus actuum physice distinctorum, quod esset nimis difficile, imo moraliter impossibile, ut adverti num. 83; hinc juxta communem tantum unum moraliter peccatum censetur admittere 1. Qui per semihoram fovet odium vel delectationem morosam, etsi aliquoties libere vel necessario aliquantum cesset e. g. si excitato forte strepitu per fenestram prospiciat, vel alia opera breviter immiscеat statim redeundo ad priorem actum. 2. Qui mane incipit arma expedire, hostem inquirere &c. etsi non nunquam brevi colloquio actum interrumpat. 3. Qui in statu peccati mortalis

talis accedit templum, ſacras veſtes induit, ſacrificium celebrat, quamvis illud concione ſatis longa interrumpatur. Imo licet poſt S. Euchariſtiam aliis diſtributam reſiduas particulas conſecratas ſumat, cenſetur adhuc unica communio ſacrilega.

Objectiones.

Obj. 1. Qui die jejunii ſurgit a ſecunda refectione cum propoſito non amplius comedendi, ſi brevi redeat & comedat, tantum committit unum peccatum, uti etiam, qui legit librum obſcœnum, & ab alio reprehenſus aliquantum ceſſat, poſtea vero iterum pergit: ergo interruptio per contrariam voluntatem non facit plura numero peccata. Conf. Qui ab initio tantum intendit exercere tactus turpes, poſtea vero aucta libidine ſuperaddit fornicationem, tantum committit unum peccatum, licet intercedat mutatio voluntatis: ergo a pari. Reſp. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. ergo interruptio per retractationem ſolum conditionatam aut inefficacem non facit plura peccata, Conc. Conſ. Interruptio per retractationem abſolutam & efficacem, Nego Conſ. Si antecedens verum eſt, tunc quia in primo caſu propoſitum non amplius comedendi ſolet tantum eſſe conditionatum ſaltem virtualiter & implicite, ſub hac nempe conditione, niſi apponantur adhuc alia fercula ſapidiora. In altero autam caſu retractatio cenſetur tantum eſſe inefficax. Ad Conf. Diſt. Ant. Tantum committit unum peccatum, ſi prius habuit ſeriam voluntatem & firmum propoſitum ſiſtendi in ſolis tactibus, Neg. Ant. Si tales tactus exercuit quaſi præſcindendo a fornicatione, Conc. Ant. Si verum eſt antecedens tunc ideo, quia ejusmodi tactus ex 111

ex natura ſua, & intentione interpretativa ac indirecta ordinantur ad fornicationem; hinc qui illos exercet, indirecte cenſetur etiam velle opus ultimum, quin requiratur nova moraliter voluntas, niſi ſerium adfuerit propoſitum non fornicandi.

112 Dices 1. In actibus præſertim externis ſpecialiter invicem ſubordinatis interruptio per retractationem etiam abſolutam & efficacem nunquam videtur ſufficere ad multiplicitatem numericam peccatorum. Sic ſacerdos, qui poſt ſumptam ſacrilege S. Hoſtiam ſacrilegium retractaret, ſed mutato rurſus animo etiam S. ſanguinem ſacrilege ſumeret, reus fieret tantum unius communionis ſacrilegæ, quia ſumptiones hoſtiæ & calicis in eodem ſacrificio independenter ab intentione operantis habent unitatem moralem, & ex ipſa inſtitutione Chriſti ſunt una communio. Idem proportionaliter dic de illo, qui poſtquam alterum oneravit convitiis voluntatem convitiandi ſerio retractavit, mox vero iterum concitatus ad iram nova ſuperaddit convitia; nam ejuſmodi actus ex communi conſuetudine ſolent conjungi. Reſp. Neg. Ant. cum Navarro, Bonac. Hurtad. Averſ. &c. longe communiori. Quamvis enim ejuſmodi actiones vel ex natura ſua, & inſtitutione Chriſti, vel ex communi modo operandi aliquam unitatem moralem habeant, nihilominus per retractationem efficacem & abſolutam invicem ſeparantur, ſicut aliæ actiones alias de ſe ſibi invicem ſubordinatæ.

113 Dices 2. Voluntas depoſita, & ſtatim reſumpta eſt una moraliter voluntas: ergo actiones de ſe unitæ per brevem retractationem non ſeparantur. Conſ. Interruptio per retractationem ſolum internam voluntatis non eſt ſatis diſcer-

ſcer-

ſcernibilis: ergo non inducit obligationem in ordine ad confeſſionem. Reſp. Neg. Ant. intellectum de retractatione abſoluta, & efficaci; quod enim hæc actiones & ipſam voluntatem moraliter dividat, fateri debent omnes, ſi retractatio fiat per medium juſtificativum e. g. contritionem perfectam, quæ licet in ratione meriti & aliis prædicatis, huc non pertinentibus, ſit æſtimabilior, in ratione tamen retractationis non eſt fortior, quam alia non juſtificativa. Ad Conf. Neg. Ant. Ordinarie loquendo quivis facile advertit ſe immutare deliberate voluntatem, & experimentaliter ſentit, quod jam poſitive nolit, jam poſitive iterum velit. Quod ſi in caſu quodam particulari hoc ſatis diſcernere nequeat, eſt per accidens, ſicut ſi quis neſcit diſcernere ſpeciem, vel obliviſcitur numeri ſuorum peccatorum.

Obj. 2. Nulla interruptio ſive voluntaria 114 ſive involuntaria, quantumvis longa, absque retractatione immutat priorem voluntatem: ergo nulla ſufficit ad multiplicanda peccata. Conf. Actus præcedentes, quamdiu non retractantur, manent habitualiter voluntarii: ergo moraliter uniuntur cum ſubſequentibus in eadem voluntate. Reſp. Diſt. Ant. Nulla talis interruptio immutat priorem voluntatem habitualiter, Tranſ. Ant. Actualiter, virtualiter, & moraliter, Neg. Ant. & Conſ. Quamvis doctrinam in objectione propoſitam tradat Canus, & eandem ſaltem quoad interruptionem involuntariam admittat Dicaſt. & Tamburin. merito contrarium ſentiunt plerique alii, ut patet ex noſtra probatione & exemplis ibi adductis. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. univerſaliter acceptam. Actum præcedentem manere habitualiter voluntarium, nihil aliud ſignificat, quam illum non fuiſſe retractatum; hoc autem non obſtan-

te ſæpe contingit, ut voluntas ad actum ſubſequentem indigeat prorſus nova determinatione, adeoque iſti actus nullo modo moraliter coaleſcunt, præſertim ſi nullum detur medium in quo interea continuentur.

115 Dices. Qui die feſto ſtatuit non audire Miſſam, & ſæpius repetit hoc propoſitum, tantum peccat ſemel, etſi aſſumat plura opera cum auditione ſacri incompoſſibilia, modo primum propoſitum nunquam retractet: ergo. Conf. Qui longo tempore e. g. integro anno rem injuſte ablatam non reſtituit, & interea ſæpius interruptim habet voluntatem non reſtituendi non committit multiplex peccatum: ergo etiam qui eodem anno interruptim repetit voluntatem occidendi inimicum. Reſp. Diſt. Ant. interea nullum ſpeciale motivum ab omiſſione ſacri abſterrens ipſi occurrat, & opera diverſa ſtatim ab initio aſſumat per modum unius in ordine ad eandem omiſſionem, tranſ. Ant. ſecus, Neg. Ant. Quamvis volitiones dicto modo interruptæ videantur moraliter coaleſcere in eadem omiſſione ſacri toto illo tempore debiti, ſi tamen ſucceſſive occurrerent alia motiva abſterrentia, vel ſi quis primo ſolum ſtatueret tempore ſacri ludere, dein mutatâ voluntate venari, probabilius opus eſſet nova determinatione voluntatis, quæ conſtituere ſolet novum peccatum. Imo plerique judicant ejuſmodi volitiones notabiliter interruptas ſemper fore plura peccata, ſi præcederent diem feſtum quia tunc nondum datur omiſſio ſacri prohibita, in qua tanquam actu externo negativo uniantur. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Plures volitiones non reſtituendi rurſus poſſunt coaleſcere in eadem omiſſione prohibita; ſed reſpectu voluntatum occidendi nullum continuatur medium, in quo uniantur.

Obj.

Obj. 3. Quævis interruptio phyſica ſuffi- 116
cit ad diſtinctionem numericam peccatorum : ergo peccata phyſice interrupta nunquam coaleſcunt. Ant. prob. Quivis actus phyſice interruptus propriam habet malitiam moralem, quæ non dependet a longitudine vel brevitate temporis, ſed ab oppoſitione cum lege Dei : ergo Deus tot peccata nobis imputat, quot dantur actus phyſice interrupti. Conf. Qui voluntarie animum convertit ad aliquid cum priore actu incompoſſibile, hoc ipſo virtualiter retractat priorem voluntatem : ergo omnis interruptio voluntaria multiplicat numerum peccatorum. Reſp. Diſt. Ant. Sufficit ad diſtinctionem numericam peccatorum in ſenſu phyſico, Conc. Ant. in morali, Neg. Ant. ad prob. iterum diſt. Ant. Quivis actus phyſice interruptus habet propriam malitiam moralem in judicio divino in ordine ad reatum pœnæ, & culpæ, Conc. Ant. in ordine ad obligationem confitendi, Neg. Ant. & ſub eadem diſtinctione Conſ. ad Conf. Diſt. Ant. Si ſit aliquid incompoſſibile cum priore actu moraliter ſumpto, Conc. Ant. ſi tantum cum priore actu phyſice ſumpto, Neg. Ant. Qui habet propoſitum hac nocte occidendi ſuum inimicum, ſed poſtea memor hujus propoſiti cubitum concedit, utique virtualiter ſuam voluntatem retractat, eoquod ſomnus cum executione ſui propoſiti omnino eſſet impoſſibilis ; at ſi e. g. tantum ſurgat a menſa, & ſic comeſtionem aliquantum interrumpat, nihil facit cum una comeſtione moraliter ſumpta incompoſſibile.

Dices. Si peccata per ceſſationem interru- 117
pta interdum ſunt plura numero, interdum vero coaleſcunt, inutilis eſt noſtra concluſio, cum nulla poſſit oſtendi regula univerſalis, ex qua

poſſit colligi, quænam interruptio ad multipl canda peccata ſufficiat. Reſp. Noſtram co clusionem eſſe bonam, & in multis caſibus ſe vire pro praxi, quamvis applicatio non nu quam graves habeat difficultates. Interim mu ti pro ulteriore regula aſſignant mutatione actus primi proximi, ajuntque, tunc fieri plu numero peccata, ſi actus per ceſſationem i interrumpuntur, ut ad ſubſequentes requirat notabiliter alius actus primus proximus vel o occurrentia alia motiva & circumſtantias, v quia ſucceſſu temporis animus notabiliter fu immutatus, & prioris intentionis impetus propoſitum enervatum. Sic ordinarie plu committuntur peccata, 1. ſi mora temporis nimis magna. 2. Si durante ceſſatione inte venit notabilis aliqua mutatio e. g. ſi hoſtis i terea veniam precatus fuerit. 3. Si volunt prius fuit affixa certo tempori & loco, & po ea ad aliud tempus vel locum ſe determin 4. Quando aliquis e. g. fur, totum ſuum natum ad furandum irrito peregit, vel ab e dem ex tædio & laſſitudine deſtitit, poſtea v ro priorem voluntatem iterum reſumit.

118 Verum hæc omnia nondum ſufficienter v dentur tollere difficultatem; redit enim quæſti quando mutatio animi vel actus primi proxi ſit notabilis, quæ mora temporis debeat cenſ ri magna &c. Hinc alii in caſibus particula bus malunt recurrere ad judicium viri pruden tis, qui conſideratis circumſtantiis præſerti natura actuum & communi modo operandi loquendi numerum peccatorum determinet nam actus interni citius moraliter interrumpu tur quam externi, & actus diſſimiles citius quam ſimiles. Circa actus internos Lugo d pœnit. diſp. 16 ſect. 14 n. 569. exiſtimat illo

ultra

ultra duas vel tres horas non coalescere, aliis ad interruptionem moralem sufficit horæ quadrans, vel saltem hora media, ego existimo non posse pro omnibus assignari tempus æquale, sed statuendum esse inæquale pro diversitate actuum, maxime pro majore vel minore intensione actus præcedentis, qui cæteris paribus eo diutius solet durare, quo magis initio fuit intensus.

Pariter pro actibus externis tempus coale- 119
scentiæ moralis aliqui nimis laxe extendunt ad integras septimanas, menses & annos, alii nimis rigide contrahunt ad diem & horas; sed hic rursus consideranda est intensio actus antecedentis, qui imperabat exsecutionem, natura occupationis, quæ animum alio abstraxit, & præcipue communis modus operandi hominum juxta diversitatem actionum, ad quas sæpe plura vel pauciora media requiruntur. Sic quia exspoliatio domus indiget pluribus mediis, repetitæ tota nocte ablationes censentur unum peccatum, econtra in blasphemiis, detractionibus tanta mora non requiritur. Quod si his omnibus consideratis probabilis numerus peccatorum deprehendi nequit, ut fit in rudibus præsertim consuetudinariis, quando confitentur a pluribus annis, satisfacient, si exprimant consuetudinem, & quanto tempore illa duraverit, quoties circiter intra diem, hebdomadem, mensem lapsi fuerint in hoc vel illud peccatum, quod circa actus externos facilius poterit fieri, quam circa internos, qui solent esse frequentiores; quare si plus probabiliter circa illos determinari nequeat, sufficiet se hoc vel simili modo accusare: per tres vel quatuor annos fovi delectationes turpes & desideria toties, quoties tale quid incidit, paratus ipsum etiam opus consummare, quoties oblata fuisset occasio.

Vel: per tot annos obvias perſonas concupivi, exprimendo tamen ſpecies notabiliores, ſæpius ſolutas, interdum conjugatas, ſacras ſubinde, indiſcriminatim quaſcunque.

QUÆSTIO IV.

Quando detur differentia numerica peccatorum ratione objectorum.

120 Objecta immediata actuum internorum ſunt ipſi actus externi, ad quos ordinantur. Objecta vero actuum externorum ſunt res illæ, circa quas actus iſti verſantur. Ex utriusque his objectis aliqua ſunt totalia completa & diſparata, quæ nec ex natura rei, neque ex communi hominum uſu, conſuetudine, genio &c. ita conjungi ſolent, ut unum totum morale conſtituant, cujusmodi ſunt plura homicidia, fornicationes &c. Alia ſunt objecta partialia, incompleta, & cohærentia, quæ vel ex natura ſua, vel communi hominum uſu, conſuetudine, aut genio invicem ſolent conjungi in unum totum morale, in quantum ſcilicet ordinantur vel tanquam media ad eundem finem, vel tanquam partes ad idem totum, vel tanquam diſpoſitiones, proprietates & complementa ad unum actum conſummatum, uti delectatio turpis, deſiderium, colloquia, tactus ad unam fornicationem, item odium inimici, deſiderium vindictæ, præparatio armorum ad homicidium.

121 Dicendum 1. Actus mali phyſice inter ſe diſtincti, quando verſantur circa plura objecta totalia, ſunt plura numero peccata. Ita communis. Prob. Quia tales actus neque habent unitatem phyſicam, cum ponantur eſſe phyſice diſtincti: neque unitatem moralem, quia neque ex natura ſua, neque ex communi conſuetudine &

& modo operandi solent conjungi in unum totum morale. Sicut ergo objecta specie morali differentia refundunt in actus diversitatem specificam, ita objecta numero morali distincta in actus realiter distinctos refundunt differentiam numericam moralem. Conf. Juxta communem doctorum & fidelium persuasionem committit plura peccata distincte in confessione exponenda. 1. Qui habet desiderium occidendi Petrum, & mox etiam concipit desiderium occidendi Paulum, vel qui ex eodem impetu successive Petrum & Paulum occidit. 2. Qui eadem nocte vel hora bis habet copulam sive cum eadem, sive cum diversis, quod Castropalao ait esse indubitatum apud omnes. 3. Qui in eodem colloquio pluribus disparatis personis successive detrahit, vel ex eodem æstu successive plures verberat &c. atqui ratio hujus differentiæ numericæ non habetur aliunde, quam ex respectu ad diversa objecta totalia & disparata : ergo.

Dicendum 2. Actus mali, licet physice di- 122
stincti & dissimiles, si versantur circa plura objecta tantum partialia, non sunt plura numero peccata, modo non sint moraliter interrupti. Ita rursus communis. Prob. Quia tales Actus vel ex natura sua, vel ex communi usu hominum & intentione operantis ordinantur ad unum actum consummatum, in quo moraliter uniuntur, sicut uniuntur ipsa objecta partialia, circa quæ versantur, nisi aliunde interruptio moralis intercedat. Conf. Qui animo exspoliandi officinam mercatoris præparat claves furtivas, explorat opportunam occasionem, applicat scalam, illabitur per fenestras, aperit cistas, & tota nocte per actus repetitos effert plures merces, statimque de hoc furto gaudet, juxta communem Doctorum committit unum peccatum, & satisfacit in confessione dicendo : Commisi fur-

furtum grave. Simile exemplum dedi num. 111. de fornicatione, imo probabilius etiam oscula & tactus obscœni immediate copulam subsequentes, si non sit periculum novæ copulæ vel pollutionis, non sunt novum peccatum, sed tantum complementum præcedentis actus consummati, ut docet Navarr. Azor & communis aliorum contra Vasquez, Suarez, qui tamen simile quid admittere debent de gaudio & delectatione ex peccato carnis immediate consequentibus.

Objectiones.

123 Obj. 1. Si actus peccaminosi physice distincti & versantes circa plura objecta totalia universim essent peccata numero distincta, tum plura numero peccata in confessione exponere deberet, qui uno quasi impetu evomit plures blasphemias, detractationes, juramenta; nam isti actus non minus versantur circa plura objecta totalia, quam plura homicidia, vel fornicationes ex eodem æstu commissæ. Conf. Qui eandem personam modo verberat, modo eidem detrahit, modo contumelia afficit, sæpius peccat: ergo a pari. Resp. Dist. Maj. Si detractiones, blasphemiæ &c. sint diversæ rationis vel tendant in personas disparatas, Conc. Maj. secus, Neg. Maj. Blasphemi, detractores &c. ordinarie non satiantur unico actu physico, hinc plures ejusmodi actus ejusdem rationis & circa eandem personam ex communi usu hominum solent conjungi ad exsaturandum eundem æstum iræ, vindictæ &c. Aliud est de homicidis, fornicatoribus; nam cupiditati ordinarie jam satisfit per unam fornicationem, & furor homicidæ ordinarie satiatur per unum homicidium. Id communiter admittunt, quod plura tur-

turpiloquia de eadem re & in uno colloquio, plura oſcula impudica ejusdem & in eadem occaſione, plura verbera, vel vulnera in eadem rixa &c. in unum moraliter peccatum coaleſcant. Ad Conf. eadem eſt reſponſio, quod nempe peccata in antecedenti enumerata ſint diverſæ rationis, & neque ex natura ſua, neque ex communi uſu hominum conjungi ſoleant.

Dices 1. Quamvis aliqui actus ex natura ſua vel communi modo agendi ad ſe invicem ordinentur, ſiunt tamen plura peccata, ſi intercedat efficax retractatio, ut diximus num. 108: ergo viciſſim plures actus conſummati, & verſantes circa plura objecta totalia ſiunt unum numero peccatum, ſi per intentionem operantis ad invicem ordinantur, vel ad eundem ſinem referuntur. Conf. Poteſt contingere, ut unum homicidium ſit medium neceſſarium ad committendum alterum, e. g. cædes famuli ad occidendum herum: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quod actus alias ad ſe invicem ordinati poſſint per retractationem ſeriam moraliter interrumpi, patet in retractatione juſtificativa, & cum ſint phyſice diſtincti, in libera poteſtate hominis eſt, illos vel moraliter continuare, vel ſeparare. At quod Actus conſummati verſantes circa plura objecta totalia per intentionem operantis moraliter uniri poſſint, aliunde non conſtat, ſed ſicut ſola intentio operantis non poteſt impedire, quo minus illorum objecta ſint totalia, ita non poteſt impedire, quo minus hæc objecta differentiam moralem in ſuos actus refundant. Ad Conf. Diſt. Ant. Ut unum homicidium ſit medium neceſſarium ad alterum per ſe, Neg. Ant. medium neceſſarium præciſe per accidens, Tranſ. Ant. & Neg. Conſ. Quia nihilominus utrumque 124

que homicidium manet actus de se consummatus, qui circa aliud objectum totale versatur.

125 Dices 2. Qui in statu peccati mortalis continuatim pluribus distribuit S. Eucharistiam, vel eadem sessione plures pœnitentes absolvit, committit tantum unum numero peccatum; atqui ejusmodi actus versantur circa plura objecta totalia, quia quilibet est completa administratio Sacramenti & aliam personam respicit. Conf. Qui festo natalis Domini in statu peccati mortalis continuatim celebrat tres Missas, tria peccata committit. Idem est de judice politico, si continuatim fert plures sententias iniquas: ergo a pari. Resp. Transf. Maj. Neg. min. Si enim vera est major, ut contra Bonac. Dicast. &c. concedit Lugo, Stoz, Sporer &c.; tum ideo, quia licet plures distributiones Eucharistiæ & absolutiones non ordinantur ad se ex natura sua, ordinantur tamen ex communi consuetudine & modo agendi hominum defacto usitato, adeoque videntur coalescere in unam administrationem Sacramenti, prout communiter exerceri solet, & constituere unam quasi continuatam irreverentiam eidem Sacramento factam. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Cons. Quod festo nativitatis Domini plures Missæ legantur, est mere per accidens, & neque istæ vi rubricarum deberent in uno continuo legi. Sed neque plura judicia in foro externo per se continuatim exerceri solent. Adde, quod per plures sententias iniquas lædantur plurium jura, & pluribus damnum inferatur.

126 Obj. 2. Qui ad perpetrandum homicidium adhibet socios, vel ad obtinendam copulam maleficium & artes magicas, committit plura peccata non solum numero, sed etiam specie, etsi dicta media ordinet ad unum actum consumma-

matum: ergo actus physice distincti non coalescunt, etsi versentur circa objecta partialia. Conf. Qui tantum voluit verberare hostem, dein occidit, dupliciter peccat: ergo etiam qui ab initio tantum voluit exercere tactus turpes, & deinde fornicatur. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. & suppositum, quod ista objecta tantum sint partialia. Nam ut objecta possint dici cohærentia, juxta superius dicta, non sufficit præcise privata intentio operantis, sed debent ad invicem ordinari vel ex natura sua, vel ex usu & consuetudine communi; alias sunt potius objecta totalia & disparata. Hinc etiam duo peccata committit, qui ex intentione fornicationis procurat pollutionem, & dein fornicatur. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. saltem nisi ab initio positive in solis tactibus sistere voluerit. Verbera per se non ita ordinantur, & inclinant ad homicidium, sicut tactus obscœni ad fornicationem, unde si voluntas initio in sola verberatione sistit, illa jam est objectum totale habens malitiam completam, distinctam ab actu consummato, sicut si voluntas occidendi prius positive per propositum serium fuisset exclusa, dein vero iterum assumpta.

Dices. Etsi desiderium, tactus, fornicatio 127
sint objecta partialia, sunt tamen specie distincta, ergo etiam actus versantes circa plura objecta partialia sunt multiplex peccatum, quod in confessione debet exponi. Conf. Qui sæpius furatur aureum, peccat sæpius: ergo etiam qui in eodem æstu plura dicit convitia; alias in confessione satisfaceret dicendo: dixi alteri convitium. Resp. Dist. Ant. Sunt distincta specie completa, Neg. Ant. Incompleta, & moraliter in unam completam coalescente, Conc. Ant. & Neg. Conf. Utrum in tali casu etiam objecta partialia debeant exponi, viderint illi, qui asserunt circum-

cum-

cumſtantias in eadem ſpecie aggravantes exponendas eſſe: reliqui dicunt ſufficere, ſi exponatur numerus & ſpecies completa, præſertim quia ejusmodi objecta partialia actui conſummato addita ordinarie non multum variant judicium confeſſarii. Ad Conf. Diſt. Ant. Si talis ſæpius furatur cum intentione auferendi totam ſummam, & ſine interruptione morali, Neg. Ant. Si ſingulis vicibus tantum habuit intentionem auferendi aureum, vel id fecerit vicibus moraliter interruptis, Conc. Ant. & Neg. Conſ. Quia tunc ejusmodi furta neque ex natura ſua, neque ex communi modo operandi ſibi videntur eſſe ſubordinata, ſicut tamen ſibi ſubordinantur plura convitia. Porro qui in tali caſu diceret: convitium dixi, non confiteretur peccatum ſuum, & implicite reliqua convitia negaret, quod non licet: aliud eſt, ſi diceret: convitiatus ſum, quod eſt indifferens ad unum vel plura.

128 Quæres. An actus phyſice unus ſit multiplex moraliter peccatum, ſi tendat in plura objecta totalia & diſparata? ut ſi per unum realiter indiviſibilem actum voluntatis velles occidere integrum exercitum, aut fornicari cum tribus, vel cum eadem ter. Item ſi unica exploſione tormenti occideres tres homines. Reſp. cum Bonac. Suarez, Lug. Laym. &c. contra Vaſquez, Dicaſt. aliosque multos præſertim antiquos negative. Ratio eſt, quia ubi datur unicus indiviſibilis actus & unica lex ſub eodem motivo obligans, tantum datur unica difformitas cum lege divina, præſertim quia peccatum eſt concretum accidentale, quod non multiplicatur, niſi multiplicato ſubjecto. Sic licet aliquis calleat plures ſcientias, vel laboret pluribus morbis, unicus tantum datur doctus, unicus æger; hinc jam ſupra num. 49 adverti, quod

quod idem actus, qui verſatur circa plura objecta ſpecie diverſa e. g. furtum rei ſacræ, proprie loquendo non ſit multiplex ſpecie peccatum: neque concilium Tridentinum dicit, quod ejusmodi circumſtantiæ ſpeciem multiplicent, ſed tantum, quod eandem mutent. Imo quod etiam actus phyſice diſtincti poſſint in idem moraliter peccatum coaleſcere, hucusque probavi. Quod autem viciſſim idem phyſice actus poſſit fieri peccatum moraliter multiplex, ex nullo capite poteſt ſufficienter oſtendi.

Nam 1. Talis actus phyſice indiviſibilis non 129
ſit moraliter multiplex, quia tendit in objecta realiter diſtincta; quamvis enim in poſitis caſibus dentur plura objecta volita, aut plura homicidia paſſiva; datur tamen unica volitio, & unicum homicidium activum, quibus ſolis proprie ratio peccati convenit. 2. Non ſit moraliter multiplex, quia iſta objecta ſunt totalia & diſparata; alias etiam actus bonus, quo aliquis vellet dare eleemoſynam pluribus pauperibus, eſſet moraliter multiplex, & ſi reſpiceret objecta infinita, contineret bonitates infinitas. Nam licet talis actus eſſet inefficax, hoc ſe haberet mere materialiter in ordine ad unitatem & multiplicitatem numericam. 3. Denique non ſit moraliter multiplex, quia æquivaleret pluribus actibus diſtinctis, quorum quilibet tantum tenderet in unum objectum; nam eſto, quod illis æquivaleat quoad damnum, non æquivalet quoad exercitium libertatis & demeritum, tum quia in omnia objecta tendit per modum unius, tum quia in æſtimatione morali plus facit, qui idem peccatum e. g. voluntatem occidendi ſæpius repetit, quam qui ponit unicum actum plura objecta reſpicientem. Certe etiam furtum 100 florenorum æquivalet pluribus aliis

furtis

furtis gravibus, nec tamen juxta ipſos Adverſarios eſt moraliter multiplex peccatum.

130 Si dicas, plures floreni ſunt tantum objecta partialia, & moraliter coaleſcunt in unam ſummam: ergo non eſt paritas cum noſtris caſibus. 2. Qui vellet committere infinitas ſpecies peccatorum, non contraheret infinitas malitias: ergo neque qui vellet infinita numero peccata committere. 3. Juxta nos non poteſt explicari, quam determinate malitiam contrahat actus indiviſibilis in plura objecta tendens. Reſp. ad 1. Paritatem a nobis tantum inſtitui in hoc, quod ſicut furtum 100 florenorum non fiat peccatum moraliter multiplex, præciſe ideo quia æquivalet pluribus, ſic etiam una volitio aut occiſio non fiat multiplex peccatum per hoc, quod æquivaleat pluribus, cum etiam reſpiciat objecta indiviſibiliter & per modum unius. Ad 2. Juxta noſtra principia actus non ſpecificantur ab objectis ſecundum ſe, ſed prout illa repræſentantur. Cum igitur infinitæ ſpecies tantum repræſententur in confuſo, actus habebit unicam malitiam indiviſibilem ſpeciei innominatæ; at juxta adverſarios ipſa objecta multiplicant numerum, etſi tantum confuſe cognoſcantur, ut patet ex rationibus, quibus ſuam ſententiam probare conantur. Ad 3. Quæro ex adverſariis, quot numero peccata committat, qui vult occidere integram turbam tantum confuſe cognitam? Juxta nos talis actus continet quidem malitiam majorem, quam ſi tenderet in unicum objectum, quia autem malitia juxta numerum objectorum, præſertim ſi tantum confuſe cognoſcuntur, ſolum creſcit geometrice, determinatum illius gradum ſolus novit Deus.

131 Colliges. Quamvis in confeſſione debeant exprimi omnia objecta totalia ſpecie diverſa, in

quæ

quæ actus indivisibilis tendit, quia alias non posset sufficienter explicari species mixta talis actus peccaminosi; supposito tamen, quod non detur obligatio confitendi circumstantias intra eandem speciem aggravantes, sufficit, si plura objecta totalia solo numero distincta exponantur confuse e. g. dicendo : Volui uno actu voluntatis sæpius fornicari, occidi uno actu externo plures ; quia numerus objectorum totalium nec speciem mutat, nec numerum auget respectu unius ejusdemque actus. Interim non sufficeret præcise dicere : Volui committere fornicationem, patravi homicidium ; nam ejusmodi verba exclusiva significant voluntatem committendi unicam fornicationem, & occisionem tantum unius, adeoque pœnitens non exponeret peccatum suum, sed aliud quoad gravitatem malitiæ notabiliter diversum, quam gravitatem non tenetur quidem explicite exponere, sed etiam non licet illam negare, ut rursus patet ex paritate cum furto 100 florenorum, quod non rite exponeretur dicendo : Abstuli 10 florenos. Imo neque isti modi confitendi valerent : semel habui voluntatem fornicandi, semel occidi ; quamvis enim in sensu logico non sint exclusivi, nihilominus sensum exclusivum pariunt practice & in humano commercio, uti etiam in foro pœnitentiæ juxta communem pœnitentium, & confessariorum acceptionem.

DISPUTATIO III.

De causa & effectu peccati actualis.

Quamquam antiqui hæretici Cerdonistæ, Mar- 132
cionistæ, Manichæi &c. qui duo prima rerum principia admittebant, primariam peccati causam in Deum malum retulerint ; id tamen nemo de Deo vero & bono asserere ausus est ante Florinum, qui ex Montani discipulo per novam

hanc doctrinam Hæresiarcha fieri meruit. Hunc ipsum errorem non quidem disertis verbis, re ipsa tamen amplexi sunt Lutherus & Melanchton; eundem apertius & pertinacius tuentur Libertini, item Calvinus, Beza, Petrus martyr, & Zwinglius, cum aliquo tamen discrimine; nam Libertini ita Deum malarum actionum e. g. furti, adulterii auctorem faciunt, ut negent eas esse vere malas, eoquod peccata tantum consistant in falsa & inani opinione. At Calvinus cum suis fatetur peccatum reipsa magnum esse malum, & nihilominus lib. 1 Instit. c. 18 contendit, Deum ita nobiscum effective & physice peccata producere, ut dici possint opera Dei, quorum ipse sit principalis causa, diabolus autem & homines instrumentalis. Nec obstat, quod in præfatione libri de æterna prædestinatione Libertinorum convitiis deterritus hanc blasphemiam a se avertere conetur; quippe diu hæreticorum mos fuit, idem modo affirmare, modo pro libitu negare.

133 Tam impiam de Deo doctrinam de facto aversantur ipsi sectarii, præsertim Lutherani. Multo magis eandem semper detestati sunt Catholici, in modo tamen explicandi non conveniunt. Thomistæ communiter docent, Deum causare quidem materiale peccati, & saltem ad entitatem illius physicam prædeterminare, non item ad formale peccati; intelligunt autem per materiale peccati actum peccaminosum libere & advertenter contra legem positum, & per formale peccati malitiam formalem realiter a materiali peccati distinctam. Econtra nostri, qui malitiam formalem peccati commissionis communius constituunt in ipso actu libere & advertenter contra legem posito, admittunt quod Deus physice concurrat ad ipsam malitiam peccati, non tamen moraliter & ex propria in-

inclinatione, sed solum permissive, & ex determinatione voluntatis creatæ, quin actionem malam amet, approbet, aut positive velit, licet eandem neque teneatur impedire ex supposito, quod creaturæ concesserit libertatem indifferentiæ ad bonum, & malum.

Effectus peccati quod attinet, tres a nobis hic considerandi sunt, reatus culpæ, reatus pœnæ, & macula a peccato actuali præterito in peccatore relicta. Reatus pœnæ & culpæ, si active & minus proprie accipiatur, est duplex illud jus, quod ex peccato tam mortali, quam veniali in Deo resultat ad displicentiam & pœnam peccatori infligendam. Si vero accipiatur magis proprie, reatus culpæ est obligatio passiva seu debitum peccatoris ad sustinendam indignationem & præstandam satisfactionem pro qualitate delicti; reatus pœnæ vero est dignitas vel debitum ad pœnam pro peccato luendam, quamdiu per satisfactionem, satispassionem vel gratuitam remissionem non tollitur. Macula ex peccato actuali relicta duplex est, una privativa consistens in privatione gratiæ sanctificantis & nitoris animæ justæ debiti: altera positiva, quæ animam per se reddit Deo displicentem, abominabilem, & exosam, hæc communiter vocari solet peccatum habituale, & consistit in peccato præterito nondum deleto, sed moraliter adhuc perseverante. 134

Quod post peccatum commissum maneat reatus pœnæ ostendi de statu animæ post mortem, & manifeste patet ex S. Scriptura, quæ peccatoribus passim supplicia minatur, imo non raro peccatores etiam remissa culpa adhuc pœna temporali affliguntur. Sic David post impetratam veniam adulterii & homicidii punitus est morte filii 2 Reg. 12 v. 14. imo omnes etiam justi de facto adhuc sustinent mortem aliaque mala 135

ob peccatum originale generi humano inflicta. Interim novatores, ficut contendunt peccata homini tantum extrinfece imputari, ita nullam in peccatore agnofcunt maculam, quæ illum post peccatum præteritum vere ac intrinfece odio Dei ac pœna dignum conftituat. Certe Bajus propofitione 53 & 54 docuit, poft commiffum peccatum tantum remanere reatum pœnæ, eumque folum tolli per Sacramentum pœnitentiæ. Eandem opinionem aliqui tribuunt Scoto & Scotiftis; fed immerito, nam licet peccatum habituale in reatu pœnæ conftituant, neutiquam negant, quod etiam reatus culpæ maneat, imo hos duos reatus dicunt effe realiter identificatos.

QUÆSTIO I.

Quis fit caufa per fe, & auctor peccati?

136 Dicendum 1. Deus non eft caufa per fe, & auctor peccati. Prob. Deus neque vult, neque imperat peccata, fed ea averfatur, prohibet, eorumque fugam fub graviffimis pœnis inculcat: ergo non eft auctor peccati. Ant. patet ex Scriptura: *Non Deus volens iniquitatem, tu es*, Pfal. 5 v. 5. *Deus neminem tentat*, Jacob. 1 v. 13. *Odio eft Deo impius & impietas ejus*, Sap. 14 v. 9. *Numquid voluntatis meæ eft mors impii, dicit Dominus*, Ezech. 18 v. 23. Hinc concilium Tridentinum feff. 6 can. 6 contra Lutherum & Melanchtonem ita ftatuit: *Si quis dixerit non effe in poteftate hominis vias fuas malas facere, fed mala opera ita ut bona Deum operari; non permiffive folum, fed etiam proprie & per fe, adeo ut fit proprium ejus opus non minus perditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema fit.* Conf. unanimi auctoritate Patrum apud Bellarm. tom. 3 lib. 2 cap. 9. Ex his S. Bafilius integra homilia ex inftituto probat,

bat, quod Deus non sit auctor malorum. S. Augustinus lib. 2 de peccator. meritis & remissione cap. 17 ait: *Nullius culpæ humanæ in Deum referas causam.* & cap. 14: *Nefas est dicere, quod Deus auctor sit malæ voluntatis.* S. Prosper in responsione ad capitula Gallorum: *Bonorum Deus auctor est, non malorum.*

Probatur 2. Deus neque physice, neque 137
moraliter, neque indirecte ad peccatum determinat: ergo peccatum in genere moris nullo modo ipsi est imputabile. Ant. prob. 1. Deus homini relinquit totam libertatem indifferentiæ & in peccatum tantum influit ut determinatus contra suam inclinationem: ergo ad illud non determinat physice. 2. Deus nunquam suadet, aut præcipit actionem peccaminosam, sed illam prohibet; ergo ad eandem non determinat moraliter. 3. Deus neque vult, neque ponit causam indispensabiliter cum peccato formali connexam, neque ipsum peccatum tenetur impedire; alias non posset producere ullam creaturam liberam & peccabilem, neque obtinere illa bona, quæ de facto ex peccato obtinet e. g. patientiam martyrum, conversionem pœnitentium, manifestationem justitiæ, clementiæ &c. ergo ad peccatum non determinat indirecte, aut interpretative. Conf. Ex una parte esse auctorem peccati repugnat infinitæ sanctitati, sapientiæ, & bonitati divinæ: ex altera parte, si Deus esset auctor peccatorum, non posset propter illa creaturas punire; quomodo namque Dominus juste punire valeat servum propter id, cujus Dominus ipsemet auctor est.

Dicendum 2. Solus peccator est causa per 138
se, & immediata peccati. Prob. Quia sola voluntas peccatoris ex propria inclinatione & libera determinatione contra suam obligationem ad

peccatum physice, moraliter, vel saltem indirecte determinat. Nam licet Deus offerat concursum suæ omnipotentiæ indifferentem ad bonum & malum, tamen quantum ex se est, suadet & præcipit bonum, ut adeo sola voluntas creata omnipotentiam Dei immediate libere determinet potius ad influendum in malum, quam in bonum. Conf. Nec diabolus, nec alius homo directe potest agere in voluntatem & intellectum peccantis, aut directe inducere necessitatem ad peccandum; si ergo non obstante quacunque tentatione & inductione adhuc salva stat ratio & libertas, determinatio ad peccatum immediate manet libera peccanti, licet etiam causæ morali extrinsecæ possit imputari: si vero libertas & ratio non manet salva, operans non committit peccatum formale: ergo solus peccator est causa per se & immediata peccati.

Objectiones ex auctoritate.

139 Obj. 1. S. Scriptura Deo tanquam auctori tribuit omnia nostra opera tam bona quam mala. *Omnia per ipsum facta sunt,* Joan. 1 v. 3. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*, ad Ephes. 1 v. 11. Conf. *Deus diligit omnia, quæ sunt, & nihil odit eorum, quæ fecit*, Sap. 11 v. 25. ergo diligit peccata. Resp. Neg. Ant. Quando Scriptura videtur indicare, quod Deus sit causa peccati, intelligi debet de causa mere physica & permissiva, in quantum scilicet physice influit in actum peccaminosum, sine quo influxu, & permissione nullus actus creaturæ posset dari; in hoc enim sensu Scriptura, ne sibi contradicat, intelligitur ab Ecclesia, cujus mentem declarat Tridentinum, quod aperte ait, Deum opera mala operari solum permissive. Id ipsum tradunt SS. Patres, ex quibus S.

S. Damascenus lib. 4 de fid. Orthodox. cap. 20 ait : *Scire illud attinet in Scripturæ more positum esse, ut Dei permissionem actionem illius appellet.* Quod etiam contingit in communi modo loquendi : sic venator dicitur canem immittere in feram, etsi illum tantum dimittat liberum. Unde textus objecti exponendi sunt de iis, quæ Deus fecit ex propria sua determinatione. Ad Conf. Dist. Ant. Deus diligit omnia, quæ sunt ex propria ipsius voluntate, & determinatione, Conc. Ant. Quæ sunt ex determinatione humana & contra voluntatem Dei, Neg. Ant. Nam Sapiens statim addit : *Nec enim odiens aliquid fecisti, aut constituisti.*

Dices 1. Deus ex propria voluntate operatur mala; nam Luc. 2 v. 34. de Christo dicitur : *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum*, & ad Rom. 9 v. 33 Apostolus de Deo inquit : *Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali.* Conf. 2 Reg. 12 v. 12 de incesto coitu Absalonis cum uxoribus Patris sui Deus ad Davidem dixit : *Tu enim fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel*; ergo Deus facinus Absalonis agnoscit tanquam suum opus. Resp. Neg. Ant. Deus Christum non misit ex intentione, ut sit lapis offensionis, & ruina multorum, sed ut omnibus sit in salutem; cum autem multi hoc Dei beneficio per suam incredulitatem, & perfidiam abutantur ad suam ruinam, Scriptura simul indicat, quid Deo permittente sit futurum. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Neque enim Deus Absalonem ad hoc malum impulit, sed illud prohibuit, & solum permisit, ita tamen, ut supposita libera determinatione Absalonis ejus scelus ordinaverit ad

puniendum Davidem, quod voluntate consequente justissime potuit facere.

141 Dices 2. Tamen ipse Deus ab æterno decrevit, ut fiant mala opera. Sic Christus Actor. 2 v. 23 dicitur Judæis traditus *definito consilio, & præscientia Dei.* Genes. 45 v. 8 Joseph ad fratres ait: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum*, & cap. 50 v. 19: *Nolite timere, non possumus resistere Dei voluntati.* Conf. Deus Judæos & fratres Josephi posuit in iis circumstantiis, in quibus prævidebat illos peccaturos: ergo. Resp. Dist. Ant. Deus ab æterno decrevit voluntate antecedente & positiva, ut fiant mala, Neg. Ant. voluntate consequente, & permissiva, Conc. Ant. Deus neque rabiem Judæorum, neque venditionem Josephi positive voluit, sed postquam per scientiam mediam prævidit ex propria Judæorum & fratrum malitia hæc peccata in certis circumstantiis ponenda esse, illa permisit, eaque voluntate consequente ordinavit ad exaltationem Josephi & redemptionem generis humani. Hinc ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Nam in his circumstantiis peccatum adhuc libere potuit vitari, & Deus præcepit, ut vitetur. Porro quando Joseph dixit: *Non possumus resistere Dei voluntati*, sermo non erat de venditione, sed de venia fratribus danda; hinc juxta S. Chrysost. Homil. ult. in Genes. sensus est: Deum timeo, & ideo illi debeo obedire, eumque in danda vobis venia imitari, ne propter tot beneficia ingratus sim.

142 Dices 3. Deus ideo creavit peccatores, ut postea ex eorum pœnis divina justitia eluceat: ergo peccata impiorum intendit voluntate antecedente. Ant. prob. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum*, Proverb. 16 v. 4. *In hoc ipsum excitavi*

vi te, ut oſtendam in te (*nempe Pharaone*) *virtutem meam*, ad Rom. 9 v. 17. *An non habet poteſtatem figulus facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam*, ad Rom. 9 v. 21. Conf. Si Deus non intenderet peccata, non faceret vaſa in contumeliam, ſed illa tantum permitteret, nec Apoſtolus ita deberet laborare in aſſerenda divina juſtitia. Reſp. diſt. Ant. Ut divina juſtitia eluceat ex eorum pœnis ob peccata jam aliunde præviſa, Conc. Ant. Ob peccata a Deo poſitive intenta, Neg. Ant. & Conſ. Deus creat impios ſolum materialiter, id eſt eos, quos videt futuros impios ex propria malitia, neque illorum peccata intendit, ut illa punire poſſit, ſed pœnas ob peccata aliunde præviſa ſtatutas ordinat ad oſtendendam ſuam juſtitiam. Ad Conf. Neg. Ant. Nam Deus peccatores ex maſſa originalis peccati vitio jam corrupta producit, neque Apoſtolus laborat in aſſerenda Dei juſtitia quoad reproborum exitium, ſed quoad hoc, cur in pari cauſa unius miſereatur, non autem alterius, quod utique ad inſcrutabilia Dei judicia, & ſolam illius voluntatem pertinet, ferme ſicut ex ſola voluntate figuli pendet, cur aliud vas ornet auro, & pictura, aliud vero luteum, ut eſt, relinquat.

Obj. 2. Deus ipſemet homines ad malum 143
impellit. Sic 3. Reg. 22. v. 23 dicitur, *dediſſe ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum*. Pſal. 104 v. 25, *Convertiſſe cor Ægyptiorum, ut odirent populum ejus*. Pſal. 43 v. 19, *declinaſſe ſemitas noſtras a via recta ad malam*. Conf. *Deus præcepit Semei, ut malediceret David*, 2 Reg. 16 v. 10. ergo. Reſp. Diſt. Ant. Deus homines impellit ad malum poſitive, Neg. Ant. permiſſive, Conc. Ant. Deus peccata variis modis permittit. 1. Subtrahendo gratias congruas & ſolum præbendo ſufficientes. 2. Removendo oc-

occasiones, in quibus peccata facilius vitarentur. 3. Permittendo illicia ad peccandum. 4. Faciendo res in se bonas, largiendo beneficia &c., quibus impii dein abutuntur ad malum. 5. In pœnam peccatorum præcedentium permittendo graviores tentationes vel nova peccata &c. ex quibus facile colligitur, quomodo objecti textus exponi possint de mera permissione. Ad Conf. Non est novum in Scriptura, ut permissio vocetur præceptum vel imperium. Sic Christus Matth. 23 v. 32 Judæis quasi præcipiendo dixit: *Implete mensuram patrum vestrorum.* In tantum igitur Deus dicitur præcepisse Semei, ut malediceret David, in quantum maledictionem illam permisit, & ordinavit ad exercendam patientiam Davidis.

144 Dices 1. Exodi 9 v. 12 de Deo dicitur quod *induraverit cor Pharaonis*, & Joann. 12 v. 40, quod *excæcaverit oculos Judæorum*; at qui excæcare, indurare non est tantum permittere peccatum; alias omnis, qui vel semel peccaret, posset dici excæcatus & induratus. Cons. Qui adhuc potest videre, & cedere Deo moventi, nondum est excæcatus, & obduratus: ergo peccata hominis obdurati, & excæcati non ipsi sed Deo adscribi debent. Resp. Conc. Maj. Dist. min. non est tantum permittere quomodocunque, Conc. Maj. permittere modo speciali, Neg. min. Permissio specialis, per quam homines excæcari, & indurari dicuntur, tunc datur, quando Deus dat auxilia sufficientia quidem, sed valde debilia, vel quando sua longanimitate peccatorem tamdiu sustinet, donec vehementem contrahat habitum peccandi, & semper incidat in plures & graviores tentationes, donec durante sua prava voluntate moraliter non amplius possit divinas illustrationes videre, & admonitionibus cedere; quamvis hanc ipsam impo-

po-

potentiam cum divina gratia possit removere; non enim Deus hominem ita destituit, quin roganti saltem det gratias & vires, quibus cæcitatem suam & obdurationem possit tollere, quando ad justitiam converti tenetur. Ad Conf. Conc. Ant. Nego Cons. Tum quia homo obduratus saltem habet potentiam physicam ad vitanda peccata, tum quia etiam potest acquirere potentiam moralem, ut cæcitatem suam deponere valeat.

Dices 2. Deus sæpe unum peccatum punit 145
altero, ut docent SS. Patres, & indicat Apostolus ad Rom. 1 v. 21, ubi exaggerans ingratitudinem eorum; *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*, v. 24. ait: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam*: ergo Deus peccatum positive intendit; nam pœna debet intendi a judice, & esse contra voluntatem patientis. Conf. Si peccatum posterius adhuc esset liberum homini, hæc pœna tantum esset incerta. Resp. Conc. Ant. Nego Cons. rationem additam Dist. pœna stricte dicta debet intendi a judice, & esse contra voluntatem patientis, Conc. minus stricte dicta, Neg. Peccatum non est pœna per se & immediate ratione sui a Deo intenta, sed per accidens & mediate, quatenus est aliquod malum a Deo judice per subtractionem gratiæ congruæ permissum, quod Deus non permitteret, nisi homo antecedenter jam peccasset. Ad Conf. Neg. Ant. Nam Deus certo prævidet, quod homo cum his gratiis, quæ in talibus circumstantiis illi confert, sit peccaturus, licet potentia antecedente peccatum vitare potuisset.

Dices 3. Deus fuit auctor illius prophetiæ: 146
Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat, Joann. 11 v. 50.

Nam

Nam ut ſtatim ſubjungitur : Caiphas *Hoc a ſ metipſo non dixit , ſed cum eſſet Pontifex illi anni , prophetavit.* Atqui hæc prophetia fuit pe caminoſa, utpote ordinata ad perſuadendam J dæis occiſionem Chriſti. Conf. Deus utitur h minibus ad opera mala tanquam ſuis miniſtr & inſtrumentis. Sic Iſai. 10 v. 5 & 15. Senach rib dicitur *ſerra in manu Domini*, item *virga ſ roris, & baculus iræ ejus.* Reſp. Diſt. Maj. Deu fuit auctor illius prophetiæ, quoad entitatem ſua & veritatem, Conc. Maj. quoad malam inte tionem, qua fuit prolata , Neg. Maj. & Di min. Illa prophetia erat peccaminoſa intrinſe & ratione tenoris verborum, Neg. min. rati ne malæ intentionis realiter ab ipſa diſtinctæ a Deo nullo modo intentæ , Conc. min. & N Conſ. Imo S. Chryſoſtomus Hom. 64 pu hanc prophetiam non fuiſſe prolatam libere, que colligere vult ex verbis : *A ſemetipſo n dixit.* Ad Conf. Diſt. Ant. utitur homini tanquam ſuis miniſtris & inſtrumentis eor opera mala intendendo, Neg. Ant. Illa perm tendo, & ſimul deſerendo eos, a quibus af guntur , ne illis poſſint reſiſtere , Conc. An & Neg. Conſ.

147 Obj. 3. Juxta S. Auguſtinum in Enchiridi cap. 100 : *Non fit præter voluntatem Dei, qui etiam contra ejus fit voluntatem ; quia non fiere ſi non ſineret, neque utique nolens ſinit , ſed vo lens :* ergo Deus vult peccata ; nam velle pe mittere eſt velle fieri, alias maxima pars actio num humanarum fieret ſine Dei providentia Conf. In eodem libro cap. 101 ait : *Fieri poſſe ut velit homo hac voluntate mala, quod Deus vul bona :* ergo Deus peccata ſaltem vult ex fine bono. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo Deus vult peccata voluntate permiſſiva , Conc. Conſ. Poſitiva illa deſiderando vel amando, Neg. Conſ.

Uti-

Utique Deus non ſe habet mere negative, ſed habet actum poſitivum voluntatis, non quo peccatum abſolute vult non eſſe, ſed quo illud vult permittere, id eſt, non impedire, adeoque etiam actiones malæ cadunt ſub providentiam Dei permittentem. Ad Conf. Diſt. Ant. Hoc fieri poteſt in iis rebus, quæ non ſunt intrinſece malæ, Conc. Ant. quæ ſunt intrinſece malæ, Neg. Ant. Quamvis contingere poſſit, ut Deus juſte velit mortem alicujus hominis, homo autem eandem mortem velit injuſte, quod eſt exemplum S. Auguſtini, ipſam tamen occiſionem intrinſece malam Deum ex nullo fine poteſt velle, cum nullus finis bonus actionem ex ſe malam excuſare, aut honeſtam reddere valet.

Dices 1. S. Doctor de gratia & libero arb. 148 cap. 20 & 21 docet, *quod Deus corda hominum & eorum voluntates inclinet, quocunque voluerit, ſive ad bona pro ſua miſericordia, ſive ad mala pro meritis eorum.* Conf. Lib. confeſſ. cap. 8 de S. Monica, quæ in pueritia per convitium famulæ a vinolentia curata eſt, ita loquitur: *Quid egiſti Deus meus? unde ſanaſti? nonne protuliſti durum & acutum ex altera anima convicium &c.* Reſp. Diſt. Ant. Deus inclinat hominum voluntates ad bona & mala eodem modo, Neg. Ant. diverſo, Conc. Ant. Quod Deus hominem ad mala tantum inclinet permiſſive, docet S. Auguſtinus eodem loco, ubi peccatum Semei neutiquam voluntati Dei, ſed proprio maledicentis vitio adſcribendum eſſe dicit. Ad Conf. Deus Monicam per convitium famulæ ſanavit, non quaſi famulam ad convitiandum incitarit, ſed quia convitium jam animo conceptum ad curandam Monicam ordinavit, nec permiſit, ut famula alio loco, alio tempore, aliudve convitium proferret, quam quod ad iſtam curationem utile eſſet. Nempe ut Hug. Victor. advertit, Deus

vo-

voluntatem ad vitium in genere jam inclinatam quandoque impedit, ne feratur in aliud, vel in aliam personam, & non impedit, ne feratur in istam.

149 Dices 1. S. Augustinus lib. 5 contra Julian. cap. 2, tractans illud ad Rom. 1: *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ*, reprehendit Julianum, quod dicat, *Deum tradere homines in peccata deserendo.* 2. ait, quod *non tantum per patientiam, sed etiam per potentiam tradantur.* 3. Denique addit, quod *per potentiam in peccatum compulsi sint.* Resp. Ad 1. Julianum a S. Doctore reprehendi, non quod simpliciter dicat Deum tradere deserendo, sed quia negavit unum peccatum esse pœnam alterius, quod Augustinus ex allato Scripturæ loco se probasse putavit. Ad 2. Deus etiam per potentiam tradit permissive, in quantum producit auxilia minus congrua, vel aliquid ex se bonum, ex quo videt homines sumpturos occasionem ad peccandum &c. Ad 3. verba *per potentiam in peccatum compulsi*, non sunt S. Augustini, sed Juliani, qui eidem voluit creare invidiam. Quod autem contra hanc calumniam non sit conquestus, ratio esse potest, ne quæstionem ibi agitatam alio divertere cogatur, & quia ipsemet tum ibi, tum alibi sæpius contrarium jam docuerat. Sic Epist. 194 ad Sixtum ait: *Nec obdurat Deus impertiendo malum, sed non impertiendo gratiam.*

150 Dices 3. Cur ergo lib. de corrept. & grat. cap. 17 ait, *Christum elegisse Judam ad fundendum sanguinem suum.* Cur Enchir. cap. 96. docet *bonum esse, quod sint mala*, & q. 21 inter 83 quæst. *Mali auctor non est, qui omnium, quæ sunt, auctor est, quia in quantum sunt, bona sunt.* Resp. Ad 1. Christum ad fundendum suum sanguinem Judam elegisse voluntate tantum permissiva,

ſiva, & conſequente; poſtquam nempe prævidit tam Judam, quam multos alios ſui ſanguinis venditores futuros, potius permiſit talem eſſe Judam, quam alios. Ad 2. Quamvis bonum ſit, quod ſint mala Deo permittente, quod eſt per accidens eſſe bonum, ideo mala non poſſunt eſſe Deo volente, cum per ſe nihil afferant ornamenti rębus cæteris, ſed tantum per accidens faciant, ut res bonæ magis emineant, ut explicat eodem libro cap. 11. Ad 3. ſenſus eſt, quod Deus non velit peccatum, licet tanquam primum omnium rerum principium in omnia phyſice influat, quia in quantum exiſtunt, ſunt aliquod bonum phyſicum, & a Deo aliquas perfectiones participant e. g. eſſe ens, actum vitalem &c. ex quo neutiquam ſequitur, quod Deus proprie ſit auctor omnium rerum, etiam malarum.

Objectiones ex Ratione.

Obj. 4. Deus peccatum & ipſam malitiam formalem determinat ad exiſtendum; influit enim per eandem actionem cum creatura: ergo phyſice ad peccatum determinat. Ant. prob. Ideo creatura phyſice determinat ad peccatum, quia phyſice efficit determinationem & electionem ad peccatum: ergo a pari. Conf. Habitus charitatis eſt cauſa per ſe actus amoris, etſi illum non efficiat elective, & vitaliter: ergo. Reſp. Diſt. Ant. Deus peccatum determinat ad exiſtendum mere per accidens & ex determinatione aliena, Conc. Ant. ex propria determinatione & electione, Neg. Ant. Ad prob. iterum Diſt. Ant. Ideo ſolum, Neg. Ant. ſimul etiam, quia creatura hanc determinationem efficit elective & vitaliter, Conc. Ant. & Neg. Conſ. Aliud eſt phyſice & immediate determinare peccatum ad exiſtendum, aliud ad peccatum phyſice & immediate determi- 151

na-

nare : primum nihil aliud ſignificat, quam phy
ſice influere in determinationem & electione
peccati : ad alterum requiritur, ut hæc determ
natio & electio fiat vitaliter & cum immedi
jure eligendi, quod Deus reſpectu peccati ta
parum facit, quam habitus charitatis reſpec
amoris. Hinc ad Conf. Diſt. Ant. Actus cha
tatis eſt cauſa peccati mere phyſica, Conc. A
moralis, Neg. Ant. Cauſa per ſe in genere phy
ſico dicitur illa, quæ effectui debet dare ſuu
eſſe phyſicum; hinc licet Deus dicatur cau
phyſica peccati, nulla in illum redundat impe
fectio, ſed potius ejus omnipotentia & dom
nium in creaturas commendatur.

152 Dices 1. Ex una parte qui poſitive inf
in peccatum, illud non præciſe permittit, c
permiſſio ſtare poſſit ſine poſitiva cooperatio
ex altera parte Deus immediate determina
permiſſionem peccati : ergo. Conf. Deus eſt ca
ſa moralis per ſe actus boni, etſi in illum tant
influat ut determinatus a creatura : ergo a p
Reſp. Diſt. Ant. quoad 1 membr. non præciſe p
mittit peccatum in genere phyſico, Conc. A
in morali, Neg. Ant. Si influat contra ſuam i
clinationem, & peccatum non teneatur impedi
Nam licet permiſſio ſæpe præſertim apud creat
ras, dari poſſit ſine poſitivo influxu, id neutiqua
fieri poteſt in noſtro caſu; cum enim Deus ſit e
ſumme neceſſarium, nullum actum poſitivum p
teſt permittere, quin ſimul in illum influat. A
terum membr. autem etiam Diſt. Deus imme
diate determinat, id eſt, immediate libere d
actum primum proximum indifferentem & no
vult impedire peccatum, Conc. Ant. quaſi p
ſitive intendat peccatum, Neg. Ant. Ad Con
Neg. Conſ. Deus in actus bonos influit cum inc
natione illos præcipiendo, ſuadendo, & per gr
tiam

tiam præmonendo, adeoque affective & moraliter ad illos determinat, non tamen per eos vitaliter se exercet, quia illos non elicit immediate libere.

Dices 1. Deus immediate libere producit potentiam peccatricem, dat illi actum primum proximum, conservat vitam longam, quæ moraliter est connexa cum peccato veniali: ergo immediate libere causat peccatum; quod enim est causa causæ, etiam est causa causati. Conf. Stante actu primo proximo Deus adhuc est indifferens, ut influat, vel non influat in peccatum: ergo propter libertatem creaturæ non influit tantum mediate libere. Resp. Transf. Ant. nego Conf. rationem additam Dist. Est causa causati immediata, Neg. mediata, Subdist. si illud causatum per se sequitur ex causa, Conc. secus Neg. Ex potentia libera ad peccandum non sequitur necessario peccatum; hinc Deus non est causa immediate libera potentiæ peccatricis in actu 2do, & qua talis; illius vero necessitatis moralis, quam habet vita longa cum peccato veniali, est tantum causa physica permissiva; oritur enim ex ipsa debilitate creaturæ, quin Deus illam teneatur impedire. Idem est de necessitate peccandi, quam secum affert status damnationis, ortus ex supposito peccati jam antea commissi. Ad Conf. Dist. Ant. Est adhuc indifferens, ut influat, vel non influat mediate libere, Conc. Ant. immediate libere, Neg. Ant. Actus primus proximus nondum est exercitium formale libertatis divinæ mediatæ, posito tamen, quod Deus libertatem creaturæ concesserit, hoc ipso non amplius est immediate liber, ut cum creatura hoc vel illud agat. 153

Dices 3. Deus immediate libere determinat ad individuum actus peccaminosi: ergo etiam ad peccatum. Conf. Species & individuum sunt re- 154

aliter idem : ergo ſi Deus immediate libere determinat ad individuum peccati, etiam libere determinat ad ſpeciem. Reſp. Diſt. Ant. Determinat ad individuum actus peccaminoſi determinatione poſitiva, Neg. Ant. Negativa & pure permiſſiva, Subdiſt. ante peccatum conditionate præviſum, Neg. Ant. poſtea, Tranſ. Ant. Deus individuum actus peccaminoſi non vult abſolute & poſitive poni, ſed poſtquam per ſcientiam mediam prævidit, quod creatura libere eſſet electura ſpeciem peccati, vult impedire omnia alia individua, & ſolum individuum A non impedire ; conſequenter non determinat, ut potius exiſtat peccatum quam non peccatum ; ſed tantum ex ſuppoſito quod peccatum a creatura ſit eligendum, permittit unum individuum præ altero, cum neutrum teneatur impedire. Ad Conf. Diſt. Ant. ſpecies & individuum ſunt realiter idem inadæquate Conc. Ant. adæquate, Neg. Ant. & Diſt. Conſ. ergo Deus etiam determinat ad ſpeciem completam, Neg. Conſ. incompletam, ſubdiſt. eo modo quo determinat ad individuum ſcilicet permiſſive Conc. Conſ. alio modo & poſitive, Neg. Conſ.

155 Obj. 5. Deus vult ſuum concurſum in peccatum : ergo moraliter ad peccatum determinat. Ant. prob. Quia iſte concurſus eſt honeſtus & decens Deum, utpote impletivus muneris cauſæ primæ. Conf. Deus vult actum primum proximum indifferentem : ergo vult abeſſe omnia impedimenta actionis ; atqui inter iſta eſt negatio ſui concurſus : ergo vult abeſſe negationem ſui concurſus : ergo vult ſuum concurſum. Reſp. Diſt. Ant. Deus vult ſuum concurſum in actu primo, Conc. Ant. Concurſum in actu ſecundo, Neg. Ant. Concurſus Dei in actu primo ſunt præcipua conſtitutiva actus primi proximi, quæ ex parte Dei impenduntur ad cooperandum creaturæ e. g. omnipotentia divina, formalis ejus-

dem

dem applicatio, auxilia gratiæ sufficientia &c. Concursus in actu secundo est ipsa actio peccaminosa, quæ Deum præcise decet, quia non est positive intenta, sed mere permissa; hinc quando Patres & Scriptura dicunt, quod Deus omnia agat libere, & volens, vel tantum loquuntur de voluntate permissiva, vel de iis, quæ agit ex propria determinatione. Ad Conf. Conc. Ant. Dist. Conf. Vult abesse omnia impedimenta per actum secundum inauferibilia, Conc. Conf. auferibilia, Neg. Conf. Sicut creatura libera potest ponere actum secundum, sic potest facere, ut detur concursus Dei cum actu secundo creaturæ identificatus.

Dices 1. Deus applicat suam omnipotentiam 156
ad peccatum; atqui hoc non aliter fit, quam per decretum, quo vult in actu secundo ad peccatum concurrere. Conf. Omnipotentia Dei non est minus sancta, quam voluntas Dei: ergo si Deus potest in peccatum influere, potest illud etiam velle; quilibet enim potest sancte velle, quod sancte facit. Resp. Conc. Maj. Dist. min. quo vult concurrere voluntate negativa & permissiva, Transf. min. positiva & intentiva, Neg. min. Decretum applicativum omnipotentiæ tantum vult actum primum proximum & negationem decreti, quo Deus vellet impedire omnipotentiam a concursu in actum peccaminosum; unde ita tendit: Volo dare creaturæ actum primum proximum indifferentem, & nolo impedire meam omnipotentiam a concursu in peccatum. Porro hoc decretum est tantum applicatio causalis tenens se ex parte actus remoti; applicatio autem formalis consistit partim in ipsa omnipotentia ex se parata ad concurrendum, partim in exigentia, quam habet reliquus actus primus proximus ad concursum omnipotentiæ, partim in negatione decreti miraculosi, quo Deus vellet suum concursum impedire, ut

pluribus explicatum eſt in tractatu de Deo. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Omnipotentia Dei non eſt potentia libere electiva, ſicut voluntas; ſola autem libera electio & complacentia peccati eſt mala, alias Deus neque poſſet peccatum cognoſcere. Cæterum illa tantum poſſumus ſancte velle, quæ poſſumus facere ex propria inclinatione.

157 Dices 2. Qui ſciens influit in actum peccaminoſum ad minimum indirecte determinat ad peccatum, etſi non intendat ipſam malitiam, ſed deteſtetur. Sic peccat ſervus, ſi dominum juvet ad peccandum, etſi hoc faciat contra ſuam inclinationem. Atqui Deus ſciens influit in actum peccaminoſum. Conf. Deus vult auxilium, quod per ſcientiam mediam prævidet eſſe inefficax: ergo indirecte vult peccatum cum auxilio connexum: qui enim vult antecedens, vult etiam conſequens. Reſp. Diſt. Maj. ſi teneatur hunc actum impedire, Conc. Maj. ſecus, Neg. Maj. Ad inſtantiam additam diſparitas eſt, quia ſervus immediate libere herum adjuvat, & voluntas creata non ſolum obligatur, ut non intendat malitiam, ſed etiam, ut ad nullum concurrat actum cum malitia identificatum vel connexum, niſi ex graviſſima cauſa, ut ſi Sacerdos in publica communione præbeat ſacram hoſtiam peccatori occulto, ne infametur. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. de voluntate intentiva; Deus enim non dat auxilium inefficax, ut ſit inefficax, neque vult ſcientiam mediam de peccato futuro, niſi ex ſuppoſito, quod peccatum conditionate futurum eſſet ex libera determinatione creaturæ, quæ libertate antecedente cum hoc auxilio potuiſſet bene agere; hinc ratio addita poteſt ſic diſtingui. Vult etiam conſequens, ſi velit antecedens abſolute, Conc. ſi tantum conditionate ex ſuppoſitione determinationis creatæ, Neg.

Dices

Dices 3. Qui positive alterum ponit, vel 158
tantum relinquit in occasione peccandi, illi imputatur peccatum; atqui Deus hominem positive ponit in occasione peccandi, dum illi dat gratiam, cum qua evidenter præscit peccaturum: ergo. Conf. Deus non potest permittere peccatum, quin majus vel æquivalens bonum eliciat, alias esset malus gubernator universi, ut patet in humanis; atqui nullum bonum creatum æquivalet peccato: ergo. Resp. Dist. Maj. si simul intendat peccatum, vel saltem illud teneatur impedire, Conc. Maj. secus Neg. Maj. Minor quoque falsa est, si non accipiatur in sensu mere physico, sed morali, quasi Deus ideo ponat creaturam in his circumstantiis, ut peccet. Ad Conf. Dist. Maj. quin eliciat majus vel æquivalens bonum reipublicæ humanæ, Transf. Maj. æque placens Deo, Subdist. in quantum illud bonum procedit a voluntate creata, Neg. Maj. in quantum procedit ab ipsa voluntate divina, Conc. Maj. Deus ex peccatis elicit bona, quæ electis & universo magis prosunt, quam peccata noceant. Dein potest ipse sua voluntate ponere talia, in quibus sibi infinite adeoque magis complacet, quam displiceant peccata, ut sunt justificatio impii, manifestatio suarum perfectionum &c. quamvis neque ista necessario faciat, cum sibi ipsi plenissime sufficiat, nec indigeat bono creato; hinc non est paritas cum gubernatore humano, qui ad rempublicam ordinatur, ejusque bono indiget.

Obj. 6. Si creatura determinaret Deum ad 159
influxum in peccatum, actio creaturæ deberet esse prior ad influxum Dei; hoc falsum, quia Deus influit per eandem actionem. Conf. Vel Deus a creatura determinaretur violenter, vel naturaliter? non primum, quia actio procedit ab omnipotentia tanquam principio naturali: non 2dum,

quia Deus per ſuum influxum intendit aliquem finem, ad quem a creatura nec dirigi, nec ordinari poteſt. Reſp. Diſt. Maj. actio creaturæ deberet eſſe prior logice & formaliter, Conc. Maj. tempore aut natura, Neg. Maj. Deus ad influxum ſuum determinatur cauſaliter per omnipotentiam applicatam, formaliter vero per ipſam actionem creaturæ; cum enim creatura poſt acceptam libertatem habeat prioritatem eligibilitatis, actio creaturæ formaliter & logice eſt prior, & ſimul denominat creaturam determinantem & Deum determinatum. Sic quando habitus charitatis cum homine juſto influit in actum amoris, cauſaliter determinatur a propria ſua natura, formaliter vero per actionem voluntatis, quæ ſimul denominat voluntatem determinantem, & habitum determinatum. Ad Conf. dico, Deum determinari naturaliter, in quantum ipſi creatura non infert violentiam ſimpliciter talem, quamvis agat contra voluntatem Dei reſiſtentem, quantum hic & nunc tenetur. Porro Deus a creatura ſolum in actu ſecundo dirigitur ad finem ipſius creaturæ, non vero ad finem proprium, qui eſt e malo bonum eruere.

160 Dices 1. Non eſt paritas inter habitum charitatis, & inter Deum; nam habitus non eſt agens liberum, ſed ex natura ſua determinatus, ut potius influat in hanc ſpeciem actus, quam in aliam. Conf. Qui vult finem, vult etiam media neceſſaria ad finem: ergo ſi Deus concurrendo ad peccatum pro fine ſuam habet gloriam, hoc ipſo vult peccatum tanquam medium. Reſp. Hanc diſparitatem tantum eſſe materialem; nam 1. Deus in actionem creaturæ non influit immediate libere, ſed ex neceſſitate conſequente, & ut determinatus a creatura. 2. Etiam habitus charitatis non eſt ex natura ſua determinatus, ut potius influat in actum amoris intenſum quam remiſſum; imo

imo potius de Deo poſſet dici, quod jam ſit determinatus ad ſpeciem actus, quatenus illam prius conditionate prævidit, & decrevit permittere. 3. Si aliquando poteſt capi, quomodo una cauſa per eandem actionem determinet alteram, ut hic & nunc actu agat, facile etiam capi poterit, quomodo una poſſit determinari ab altera, ut ſecum concurrat ad certam ſpeciem actus. Ad Conf. Diſt. Ant. qui vult finem abſolute, vult etiam media neceſſaria, Tranſ. Ant., qui finem tantum vult ex ſuppoſitione certæ conditionis, Neg. Ant. Imo peccatum proprie non eſt medium ad gloriam Dei, ſed tantum quædam occaſio & conditio deteſtabilis, quæ de ſe gloriam Dei potius imminuit.

Dices 2. Tam Deus quam creatura debet 161
eſſe natura prior ad ſuam actionem, ut per illam poſſit determinari: ergo etiam actio creaturæ debet eſſe natura prior, ut actio Dei ab illa poſſit determinari. Conf. Deus non poteſt a creatura determinari ad id, quod odio habet, & quod in ejus virtute non continetur; ſed Deus peccatum odio habet, neque illud in omnipotentia Dei continetur: ergo non poteſt ad illud concurrere; cui enim aliquid rationabiliter diſplicet, male facit illud agendo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Deus & creatura debent in ſuam actionem influere in genere cauſæ efficientis & phyſice determinantis, actio autem creaturæ actionem Dei tantum debet determinare logice & formaliter, quod fieri poteſt ſine influxu effectivo, ut rurſus patet in actione voluntatis & habitus. Ad Conf. Diſt. Maj. ſi Deus tali actioni reſiſtat abſolute, & illa nullo modo in ejus virtute contineatur, Conc. Maj. ſecus, Neg. Maj. Deus non reſiſtit actioni peccaminoſæ abſolute ita, ut illam efficaciter omnino nolit eſſe, alias nullum peccatum eſſet poſſibile. Dein actio peccaminoſa in virtute Dei

continetur quoad prædicta physica, quod autem in eodem non contineatur sub ratione formali malitiæ, & Deo rationabiliter displiceat, solum probat Deum non posse in illam influere ex determinatione & inclinatione propria.

162 Dices 3. Si Deus influeret ut determinatus a creatura, omnipotentia Dei exerceretur per actionem creaturæ moraliter malam; hoc dici non potest, quia alias Deus non amplius esset causa prima, primum agens, primum liberum. Conf. Juxta nos Deus abdicaret dominium usus suæ omnipotentiæ, eamque voluntati creatæ redderet subjectam; hoc est damnatum ab Innocentio XI. in his propositionibus: *Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, aut librum.* Item: *Deus subjicit nobis suam omnipotentiam.* Resp. Si hæc phrasis nihil aliud velit, quam quod omnipotentia physice concurrat ad actionem malam creaturæ, Conc. Maj. Neg. min. Deus tantum debet esse causa prima omnis entitatis in genere physico, in genere moris autem non potest esse causa prima peccati, utpote essentialiter oppositi infinitæ suæ sanctitati, adeoque sola creatura in genere moris peccatum causare potest. Ad Conf. Neg. Ant. creatura non potest libere uti Dei omnipotentia, ad quod vult, sed tantum ad id, quod Deus permittit vi actus primi proximi a Deo concessi. Multo minus creatura potest uti potentia Dei titulo dominii & subjectionis, sed tantum ultronei favoris & permissionis, ita ut Deo injuriam faciat abutendo, qui ideo Isai. 43 v. 24 conqueritur his verbis: *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus.*

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An Deus prædeterminet ad materiale peccati?

Dicendum. Deus non poteſt prædeterminare 163
ad materiale peccati. Prob. Si Deus prædeterminaret ad materiale peccati, vel ejus entitatem, tam materiale quam formale peccati ſoli Deo eſſet imputabile: ergo Deus eſſet auctor peccati. Ant. prob. Si Deus prædeterminaret ad entitatem peccati materialis, imprimis hominem poneret ſub inevitabili neceſſitate ponendi actum peccaminoſum, dein ex hoc actu pari neceſſitate ſequeretur malitia formalis: ergo tam materiale quam formale peccati ſoli Deo eſſet imputabile, conſequenter eſſet auctor peccati. Hæc probatio in noſtris principiis, juxta quæ prædeterminatio tollit libertatem humanam, eſt omnino ſolida; ſi enim homo ab ipſo Deo metaphyſice neceſſitatur ad ponendam entitatem actus peccaminoſi, tam parum poterit impedire malitiam formalem, quam ipſum actum peccaminoſum, ex quo cum advertentia & cognitione indifferenti poſito illa neceſſario reſultat: ergo malitia formalis ſoli Deo deberet imputari, ſi tamen actus in tali caſu formaliter malus eſſe poſſet. Verum quia controverſia circa libertatem alibi ex profeſſo examinari ſolet, illa omiſſa ulterius videbimus, an hæc prædeterminatio poſſit conciliari cum infinita ſanctitate Dei.

Probatur concluſio 2. Si Deus prædeter- 164
minaret ad entitatem peccati, illam non tantum vellet quomodocunque, ſed in his circumſtantiis, in quibus homo ſciens & volens agit contra legem Dei; alias hominem non transferret a ſtatu indifferentiæ, neque in ſuo decreto poſſet videre malitiam formalem: ergo ſciens & volens vellet peccatum formale; qui enim vult

antecedens, indirecte etiam vult consequens cum antecedente necessario connexum: adeoque Deus iterum esset auctor peccati; nam ut S. Augustinus lib. 83 Quæst. q. 5 ait: *Illo auctore cum dicimus, illo volente dicimus.* Certe homo, dum peccat, ordinarie solam entitatem actus peccaminosi intendit, fit nihilominus auctor peccati quia scit tali actioni annexam esse transgressionem legis. Sic qui vult comestionem carnis quam scit esse prohibitam, indirecte vult peccatum. Si reus fit homicidii, qui projicit sagittam prævidens inde homicidium secuturum: ergo etiam Deus volens, ut homo in his circumstantiis ponat entitatem e. g. mendacii, hoc ipso vellet peccatum, quia vellet, ut homo aliquid poneret, quod in his circumstantiis sine peccato facere non potest, præsertim juxta Thomistas, qui docent, libertatem actui esse essentialiter & adæquate intrinsecam. Con. Deus sine præjudicio suæ sanctitatis non potest præcipere, aut suadere materiale peccati: ergo neque ad illud prædeterminare, quia prædeterminatio longe certius infert peccatum, quam præceptum aut consilium.

165 Probatur 3. Quando Scripturæ & Patres dicunt, Deum nolle iniquitates, non esse auctorem malorum &c. non loquuntur de malitia formali, sed de ipsis operibus malis & eorum entitate: neque ut advertit Zummel Thomista 1 part. q. 22 art. 4. in appendice, ullus hæreticorum dixit, Deum concurrere ad formale peccati, sed tantum ad materiale præmovendo & prædeterminando arbitrium nostrum, ut clare indicat Calvin. lib. 1 c. 18 dicens: *Videmus, quod Deus perfidiam nolendo, defectionem tamen (a filio Salomonis) juste velit.* Et tamen Calvinus aliique hæretici a Concilio Trident. sess. 6 can. 6 fue-

fuerunt damnati, eo quod dicerent: *Deum mala opera non tantum operari permissive.* Quæ locutio prorſus eſſet impropria, ſi per malum opus tantum intelligeretur malitia formalis, quæ juxta prædeterminatores conſiſtit in mera privatione. Conf. S. Auguſtinus de articulis ſibi falſo impoſitis art. 10 ait: *Abominanda eſt opinio, quæ Deum cujusque, malæ voluntatis aut actionis malæ credit auctorem*, & lib. 2 de liber. arbit. cap. 20. *Ad Deum non pertinet motus ille averſionis, quam fatemur eſſe peccatum.* Conſonat S. Thomas 1. 2 q. 79 art. 3: *Dicendum, quod excæcatio & induratio duo importent, quorum unum eſt motus animi inhærentis malo, & quantum ad hoc Deus non eſt cauſa excæcationis & indurationis, ſicut non eſt cauſa peccati.*

Ex his patet, fruſtra a Thomiſtis excipi, 166
quod Deus tantum determinet ad materiale peccati materialiter & ſpecificative ſumptum, & in ſenſu diviſo, in quantum illud eſt ens & perfectio phyſica, non vero in ſenſu compoſito, in quantum eſt defectus, & actus liber fundans malitiam moralem &c. Nam contra eſt 1. Deus prædeterminans ad entitatem e. g. blasphemiæ, vult, ut homo illam ponat eo modo, quo illam in his circumſtantiis advertentiæ ad legem prohibentem poteſt ponere: ergo cum videat, quod illam in his circumſtantiis non poſſit ponere ſine malitia formali, Deus ſaltem indirecte vellet malitiam formalem. 2. Si Deus tantum determinaret ad gradum genericum entis, homo maneret indifferens ad ſpeciem: ergo gradus ſpecificus oriretur ab indifferenti ut indifferenti, quod eſt contra principia Thomiſtarum, imo impoſſibile eſt, ut entitas blasphemiæ ad aliam ſpeciem contrahatur. 3. Has exceptiones etiam potuiſſet facere Lutherus, Calvinus &c. dum econtra SS. Patres ſimpliciter dicunt

Deum

Deum non eſſe auctorem malorum. Audiamus S. Chryſoſtomum, qui Homil. 8 in Moral. clariſſime ita pro nobis loquitur: *Scitis, quia Deus omnia prævidet, quod alia quidem operatur, alia vero permittit, quod nihil mali vult fieri, quod non ex ſola ipſius voluntate fiant omnia, ſed ex noſtra quoque: mala ex noſtra tantummodo fiant, bona autem ex voluntate noſtra & ipſius adjutorio.*

Objectiones.

167 Obj. 1. Eſt de eſſentia Dei tanquam primi entis, primi moventis, & primi principii omnium rerum, ut ſit cauſa vere & proprie dicta omnis entis & actus: ergo Deus vere & proprie cauſat materiale peccati, licet non cauſet formale, ut docet S. Thomas q. 3 de malo art. 2 in corpore dicens: *Sic actio eſt peccaminoſa, id, quod eſt de actione reducitur in Deum ſicut in cauſam, quod autem eſt de inordinatione vel deformitate non habet Deum cauſam, ſed ſolum liberum arbitrium.* Conf. *Quidquid habet ideam in Deo, eſt a Deo tanquam cauſa per ſe, & debet illi aſſimilari*, ut rurſus docet Angelicus in 1 diſt. 36 q. art. 23. Reſp. Diſt. Ant. eſt de eſſentia Dei, ut ſit proprie cauſa phyſica omnis entis & actus, Conc. Ant. cauſa moralis, Neg. Ant. & ſub eadem diſt. Conſ. Quando loquimur de cauſa entis in genere phyſico, ſolemus tantum attendere ad influxum phyſicum; quando vero loquimur de ente in genere moris, potius attendimus ad cauſam moralem; hinc S. Thomas bene ait, Deum eſſe cauſam actionis peccaminoſæ quoad entitatem, non vero quoad malitiam, quia illam neque directe in ſe, neque indirecte in ſua entitate intendit. Ad Conf. eſt eadem reſponſio. Neque

que obſtat, quod Deus ex ſuppoſito, quod velit entitatem peccati permittere, illam ſibi quoad prædicata phyſica aſſimilet; quod enim hanc aſſimilationem poſitive intendat, loco citato non aſſerit S. Thomas.

Dices 1. S. Doctor Quodl. 12 q. 4 art. 4 168
expreſſe ait: *A providentia Dei omnia eſſe prædeterminata.* Rationem dat in 2 diſt. 37 q. 2 art. 2. *Quia ſi voluntas humana actionem aliquam poſſet producere, cujus auctor non eſſet Deus, voluntas humana rationem primi principii haberet.* Conf. Quæſt. 3 de verit. art. 2 ait: *Impoſſibile eſſe, quod aliquid ſit per accidens reſpectu cauſæ primæ & per ſe reſpectu cauſæ ſecundæ:* ergo Deus non poteſt eſſe cauſa tantum per accidens reſpectu entitatis peccaminoſæ. Reſp. Diſt. Ant. omnia a Dei providentia eſſe prædeterminata vel decreto intentivo vel permiſſivo, Conc. Ant. neceſſario intentivo, Neg. Ant. Noſtrum decretum permiſſivum peccati in bono ſenſu poteſt dici prædeterminativum, in quantum exiſtentia peccati dependet ab illo tanquam a primo determinante, non quidem poſitive per modum cauſæ, ſed negative per modum removentis prohibens. Neque plus vult S. Thomas in altero textu; quod enim Deus in ſenſu ſtricto non ſit auctor actionis peccaminoſæ patet ex ipſius verbis adductis num. 165. Ad Conf. Etiam juxta nos Deus non eſt cauſa per accidens in genere phyſico, imo neque in morali, ſi per cauſam per accidens intelligitur caſualis, prout in objecto textu accipitur, ut patet ex verbis ſubjunctis: *Videmus, quod ea, quæ ſunt caſualiter quoad nos, ſint Deo præcognita & ordinata ab ipſo.* Nempe decreto permiſſivo vel intentivo.

Dices 2. S. Doctor 1 part. q. 25 art. 5 ad 169
1 ait: *Nihil poteſt eſſe in potentia divina, quod*

non

non poteſt eſſe in voluntate juſta. Quia ut art. 1 ad 4 præmiſit : *Potentia importat rationem principii exequentis id, quod voluntas imperat, ad quod ſcientia dirigit.* Conf. ex lib. 3 contra gentiles cap. 97. ibi : *Deus nihil eorum, quæ facit, odio habet, eo quod naturaliter ſit rerum cauſa, & ideo ſicut placet ſibi ſua natura, ſic placet ſibi omne illud, quod ſua natura requirit.* Reſp. Utique divina omnipotentia nihil facere poteſt, niſi Deus illud prudentiſſime ac juſtiſſime decernat; nego autem, quod decretum neceſſario debeat eſſe intentivum; imo ſi ſcienter entitatem peccati intenderet, hoc ipſo voluntas juſta non eſſet; hinc imperium voluntatis hic non ſignificat præceptum poſitivum, quod ſibi ipſi proprie nemo poteſt imponere; ſed tantum actum voluntatis, per quem omnipotentia ad agendum applicatur. Ad Conf. dico, ibi ſermonem eſſe de iis, quæ Deus facit ex propria determinatione, ut patet ex exemplis ibi adductis, ſcilicet quod parentes naturaliter diligant filios, poetæ poemata, artifices ſua artificia: quod autem Deus mala ex determinatione aliena poſſit permittere, eaque odio habeat, clare patet ex Scriptura.

170 Dices 3. Ex una parte juxta S. Thomam q. 3 de verit. art. 4 : *Actiones malæ, quantum ad id, quod habent de entitate, bonæ ſunt, & a Deo ſunt.* Ex altera parte *nihil prohibet unum & idem ſecundum aliquid amari, & ſecundum aliquid odio haberi :* Sic Deus amat peccatores in quantum ſunt naturæ, & eos odit, in quantum peccatores, ut docet 1 part. q. 20 art. 2: ergo Deus peccata poteſt amare quoad ſuam entitatem. Conf. S. Anſelmus lib. de caſu diaboli, cap. 20 & alibi ſæpius ait : *Quod Deus omnia tam bona, quam mala faciat; quod omne*

illud,

illud, quod Deus facit, ſit Dei. Quod in malis faciat, quod ſunt, ſed non quod mala ſunt &c. Reſp. Diſt. Ant. quoad 1 membr. Actiones malæ ſecundum entitatem ſuam ſunt bonæ & a Deo phyſice, Conc. Ant. moraliter, & intentive, Neg. Ant. quoad hoc membrum, & diſt. etiam alterum. Deus poteſt aliquid amare ſecundum aliquid, & ſecundum aliquid odiſſe, niſi, quod amat, ſit antecedenter connexum cum malitia morali, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. Nam alias hoc ipſo etiam amaret malitiam, ut ipſemet advertit 1 p. q. 49 art. 2 his verbis: *Agens in quantum ſua virtute producit aliquam formam, ad quam ſequitur corruptio, & defectus, cauſat ſua virtute illam corruptionem & defectum.* Ad Conf. dico, S. Anſelmum intelligi debere de Deo tanquam cauſa phyſica; ſi enim Deus vellet, ut homo libere & advertenter poneret entitatem blaſphemiæ, vellet hominem peccare, & hoc ipſo homo peccando non peccaret, quia vellet, quod Deus vult, ut velit. Quemadmodum S. Anſelm. notat de liber. arbitr. cap. 8.

Obj. 2. Omne ens eſt perfectio, participa- 171
tio eſſentiæ divinæ, & eminenter in Deo præcontinetur: ergo a Deo poteſt amari & prædeterminari; ſicut enim omne verum a Deo eſt cognoſcibile, ita omne bonum eſt amabile. Conf. Omne ens phyſicum eſt bonum phyſicum: ergo omne ens morale eſt bonum morale. Reſp. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. ergo a Deo poteſt amari & prædeterminari, niſi ſit conjunctum cum malitia morali, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. Quando bonum phyſicum eſt connexum cum malitia morali, adverſatur primæ regulæ honeſtatis, adeoque a Deo infinite ſancto non eſt prudenter amabile. At nulla cognitio veri, utut imperfecti repugnat perfectioni divinæ, imo Deus potius argueretur imperfectionis, ſi non foret

eſſen-

essentialiter determinatus ad omne verum cognoscendum. Porro quamvis malitia formalis juxta nostra principia in Deo contineatur eminenter, id est, præcisis imperfectionibus, non tamen in Deo continetur sub formali ratione malitiæ, cum hæc sit summa imperfectio. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Bonitas physica est proprietas transcendentalis omnis entis; bonitas vero moralis est differentia entis moralis, quod ab omnibus dividitur in bonum & malum.

172 Dices 1. Licet Deus amet, & intendat materiale peccati, ideo non amat, nec intendit formale peccati, quia non cadit intra sphæram voluntatis divinæ. Sic voluntas potest amare objectum ut bonum, non ut verum, & intellectus cognoscere ut verum, & non ut bonum, quia verum est extra sphæram voluntatis, & bonum extra sphæram intellectus. Conf. Potest martyr velle martyrium, quin velit peccatum tyranni: ergo. Resp. Neg. Ant. Sicut voluntas, si cognosceret, tenderet in verum, & intellectus in bonum, si amaret, ita si Deus amaret materiale peccati, hoc ipso amaret formale cum illo connexum; adeoque vel deberet admitti, quod formale peccati sit intra sphæram voluntatis divinæ, vel potius quod Deus ad materiale peccati non possit prædeterminare. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Martyr solum vult tolerare martyrium & quidem ex supposito, quod tyrannus illud aliunde intendat; Deus autem vellet entitatem blasphemiæ absolute ponere; ergo etiam absolute vellet malitiam moralem connexam.

173 Dices 2. Volitio divina non est minus præcisiva quam abominatio divina, & tamen Deus abominatur actionem peccati, prout est a creatura, & illam non abominatur, prout est a se

ſe: ergo. Conf. Judex poteſt abſolute velle mortem rei impœnitentis, quin ideo velit ejus æternam damnationem. Imo ipſe Deus vult generationem prolis, quin velit peccatum originale illam conſequens: ergo a pari. Reſp. Diſt. Ant. quoad 1 membrum, non abominatur talem actionem, prout eſt a ſe, id eſt, non abominatur permiſſionem actionis, Conc. Ant. ipſam actionem, licet permiſſam, Neg. Ant. quia hæc actio nihilominus eſt contra voluntatem & inclinationem Dei, utpote repugnans primæ regulæ honeſtatis. Ad Conf. diſparitas eſt; quia damnatio æterna ſententiam judicis tantum ſequitur per accidens ex perverſitate rei, qui illam non obſtante ſententia poſſet impedire. Similiter generatio prolis tantum per accidens connexa eſt cum peccato originali, quod jam diu ante fuit commiſſum, licet primum tunc a prole contrahatur. Verum materiale peccati antecedenter & per ſe connexum eſt cum formali malitia, quæ tunc primum a peccante committitur, & in his circumſtantiis ab entitate peccati ſeparari nequit.

Dices 3. Etiam peccatum formale ex materiali reſpectu Dei tantum ſequitur per accidens; 174
nam Deus non vult, ut creatura ponendo entitatem peccet, neque determinat, ut agat defectuoſe: ergo malitia reſpectu Dei tantum ſequitur per accidens. Conf. Poteſt Deus aliquid e. g. peſtem, vel noſtram reprobationem velle, quin nos illam velle poſſimus: ergo etiam poteſt velle materiale peccati, quin nos illud velle poſſimus: ergo reſpectu Dei eſt per accidens, quod nos velimus peccare. Reſp. Neg. Ant. de voluntate ſaltem indirecta. Nam Deus juxta adverſarios vult entitatem peccati in iis circumſtantiis, in quibus homo eſt liber, & ad-

vertit ad legem prohibentem : ergo cum homo in his circumſtantiis non poſſit aliter agere, quam peccaminoſe & defectuoſe , Deus ſaltem indirecte vult, ut ita agat. Ad Conf. Diſt. Ant. niſi Deus ipſemet velit, ut etiam nos tale objectum velimus, Conc. Ant. ſecus , Neg. Ant. Quando Deus prædeterminat ad entitatem peccati, prædeterminat ad ipſam noſtram volitionem: ergo vult, ut etiam nos entitatem peccati velimus ; imo tali modo prohibendo entitatem ageret ridicule , ferme ſicut ludimagiſter , qui puero prohiberet malos characteres, & ipſemet illi manus duceret ad eosdem efformandos.

175 Ob. 3. Quando ad eundem actum concurrunt duæ cauſæ , defectus ſolum adſcribitur illi quæ agit imperfecte : ergo cum ſola creatura poſſit agere imperfecte, malitia formalis ſoli creaturæ adſcribi poteſt. Ant. Prob. Quando pes claudus producit motum claudum , claudicatio non tribuitur animæ aut virtuti progreſſivæ, ſed curvitati pedis , ut docet S. Thomas q. 3 de malo art. 2. Conf. Si opus ob defectum inſtrumenti evadit defectuoſum , culpa non eſt artificis ſed inſtrumenti : ergo. Reſp. Neg. ſuppoſitum, quod Deus juxta Thomiſtas non ageret defectuoſe, imo magis quam creatura ; ſicut enim claudicatio potius tribuitur curvitati , quam virtuti progreſſivæ , quia curvitas ad illam determinat, ſic peccatum juxta adverſariorum principia potius deberet adſcribi Deo , quia ad prædeterminationem Dei primario conſequitur. Ad Prob. Diſt. Ant. claudicatio quoad ſuam naturam non adſcribitur animæ , Conc. Ant. quoad ſuam exiſtentiam, Neg. Ant. Quamvis animæ non tribuatur , quod motus phyſice ſit claudus , tamen illi poteſt adſcribi , quod motus claudus ſit, ſeu exiſtat ; hinc ſi claudicatio eſſet prohibita , anima movendo pedem peccaret : ergo quamvis Deo

Deo non poſſit adſcribi, quod e. g. blaſphemia ſit mala, cum hoc ex eſſentia ſua illi conveniat, debere tamen illi adſcribi, quod blaſphemia exiſtat, adeoque eſſet auctor peccati: ex quo jam patet reſponſio ad confirmationem, nempe culpam artificis eſſe, quod opus defectuoſum exiſtat.

Dices 1. Poteſt unus homo alteri cooperari ad entitatem peccati, quin ideo ipſi tribuatur malitia formalis peccati: ergo etiam Deus. 176
Ant. Prob. exemplo Sacerdotis, qui peccatori occulto publice porrigit S. Euchariſtiam. Conf. Productio Filii in divinis poteſt terminari ad ſolam perſonalitatem Filii, & non ad naturam: ergo multo magis prædeterminatio poteſt terminari ad ſolam entitatem peccati. Reſp. Diſt. Ant. ſi malitiam formalem neque velit directe, neque indirecte in aliquo antecedenter cum illa connexo, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. Sacerdos porrigens tali peccatori hoſtiam, ponit actionem de ſe prorſus indifferentem, & antecedenter cum ſacrilegio nullo modo connexam; ſed ſolum vult porrectionem Euchariſtiæ hic & nunc ſibi licitam, imo a lege naturali imperatam: ergo præciſe ſacrilegium aliunde præviſum permittit, utpote quod hic & nunc nec impedire poteſt, nec tenetur; at Deus ipſemet vellet entitatem peccati, & quidem ut ponendam libere & cum advertentia ad legem prohibentem. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Generatio in divinis non poteſt terminari ad naturam, quia natura eſt ingenerabilis & virtualiter a perſonalitate diſtincta; at ſi voluntas Dei poſſet terminari ad materiale peccati, ſaltem indirecte vellet formale; neque ſingulare illud, & humano intellectui incomprehenſibile myſterium convenienter huc transfertur, cum res longe planiore modo poſſit explicari.

177 Dices 2. Ex una parte Deus actum peccaminosum non vult qua talem, imo illum prohibet: ex altera parte homo libere eligit blasphemiam, neque Deus malitiam formalem tenetur impedire: ergo ad illam se habet mere permissive, sicut quando causat cognitiones pravas necessarias. Conf. Quamvis congressus asini cum equa sit connexus cum mulo, nec asinus nec equa est causa per se muli, quia iste effectus ab illis non intenditur. Resp. Transf. Ant. Neg. Conf. Omisso quod creatura in sistemate Thomistico libere eligat peccatum; nihilominus decretum prædeterminans ita esset efficax, ut hæc entitas in his circumstantiis nullo modo posset poni, quin sequatur malitia formalis; alias in decreto prædeterminante non posset prævideri: ergo Deus malitiam formalem non solum permitteret, sed indirecte intenderet. Cognitiones pravæ necessariæ oriuntur a natura corrupta, quin a Deo intendantur. Quod si illas etiam positive causaret, tantum causaret cogitationes mali, non cogitationes malas; nam cogitationes primum fiunt formaliter malæ per approbationem voluntatis. Ad Conf. Si asinus esset rationalis & prævideret ex tali congressu nasciturum mulum, absque dubio in genere moris esset causa per se, licet tanquam causa physica a natura non sit per se ordinatus ad mulum generandum.

178 Dices 3. Potest dici, quod inter prædeterminationem Dei ad entitatem peccati & inter determinationem creaturæ ad malitiam formalem detur mutua naturæ prioritas; atqui sic Deus in malitiam formalem tantum influit ut determinatus, adeoque illam tantum permittit. Conf. Ipsa mutabilitas & libertas voluntatis humanæ exigit, ut Deus quandoque determinet ad actum malum: ergo. Resp. Neg. Maj. Vel enim hæc mu-

mutua naturæ prioritas eſſet in genere phyſico vel morali? non primum, quia ex philoſophia conſtat, mutuam naturæ prioritatem inter duas cauſas phyſicas quoad primum eſſe implicare; non ſecundum, quia alias determinatio creaturæ ad malitiam formalem deberet aliunde exiſtere quam a prædeterminatione divina; hoc juxta Thomiſtas fieri nequit, tum quia creatura non poteſt aliter determinare ad malitiam formalem quam libere ponendo entitatem peccati, tum quia alias Deus in decreto prædeterminativo non poſſet prævidere malitiam formalem. Adde, per ſe repugnare, ut duo agentia immediate libera ſe mutuo determinent. Ad Conf. Neg. Ant. Quamvis libertas creaturæ exigat a Deo, ut non impediatur in agendo, neutiquam poteſt ab illo exigere, ut intendat materiale peccati, quippe hæc ipſa exigentia creaturæ eſſet moraliter mala, & repugnaret infinitæ ſanctitati ſui auctoris.

Obj. 4. Decretum Dei indifferens & per- 179
miſſivum peccati, non facit Deum auctorem peccati, etſi phyſice in illud influat: ergo neque decretum prædeterminativum. Conſ. Prob. Ideo permiſſio & influxus in peccatum Deum non facit auctorem peccati, quia hoc ſpectat ad munus cauſæ primæ: ſed etiam prædeterminatio cujuslibet actionis juxta Thomiſtas pertinet ad munus cauſæ primæ: ergo. Conf. Eſt contra conceptum omnipotentiæ divinæ, quod plura poſſit creaturis permittere, quam per ſe cum illis cauſare: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. ad prob. Diſt. Maj. ideo ſolum, Neg. Maj. & quia Deus phyſice concurrendo nullo modo peccatum intendit, ſed tantum concurrit contra ſuam inclinationem a creatura determinatus, Conc. Maj. & ſimul Neg. ſuppoſitum minoris, quod prædeterminatio ad munus cauſæ primæ poſſit

pertinere ; nam licet Thomiſtæ dicant, Deum etiam execrari peccatum, quando ad illud prædeterminat, revera tamen illud efficaciter vellet : quomodo ergo illud ſerio poſſet execrari? Ad Conf. Diſt. Ant. eſt contra conceptum omnipotentiæ divinæ, quod plura poſſit permittere, quam cauſare phyſice, Tranſ. Ant. quam cauſare moraliter, Neg. Ant. Aut cur Deus etiam non poſſet quamlibet actionem præcipere vel conſulere ? Profecto in hac retorſione ſolvi debent omnia hucusque allata argumenta. Sed contra hanc ipſam retorſionem

180 Dices 1. Non eſt paritas inter prædeterminationem & præceptum aut conſilium ; nam 1 prædeterminatio eſt a Deo tanquam cauſa univerſali præbente creaturæ neceſſaria ad agendum; conſilium vero eſſet a Deo tanquam cauſa particulari, ad quod non tenetur in eo, quod debet vitari. 2. Prædeterminatio ſiſtit in ordine phyſico, & tantum eſt regula bonitatis phyſicæ, quam ſolum poteſt inducere : at conſilium eſt regula moralis, adeoque non poteſt a malitia formali præſcindere. Reſp. Neg. Ant. Nam 1. Deus ut cauſa univerſalis non eſt minus ſanctus, quam ut cauſa particularis : ergo tam parum poteſt peccatum poſitive intendere ut cauſa univerſalis, quam id poteſt, ut cauſa particularis ; vel ſicut juxta Thomiſtas ut cauſa univerſalis in actu peccaminoſo tantum operatur id, quod eſt bonum, ſic etiam deberent dicere, quod ut cauſa particularis in eodem actu tantum conſulat id, quod eſt bonum. Porro prædeterminatio ad malum neutiquam neceſſaria eſt ad munus cauſæ univerſalis ; quippe licet nemo peccaret, tamen Deus munus ſuum optime impleret. 2. Prædeterminatio fit mediante aliquo decreto, quod eſt actus voluntatis, qui utique a ſcientia divina debet dirigi, & regulæ moralitatis confor-

mari; hinc Deus prædeterminans ad actus bonos, illos non tantum cauſat phyſice, ſed moraliter. Certe multo perceptibilius eſt, quod ſuadens, aut præcipiens abſtrahat a quibusdam prædicatis operis præcepti, quam quod entitas pure phyſica præſcindat unam formalitatem ab altera.

Dices 2. Quamvis Deus non poſſit dare 181
conſilium indifferens ad bonum & malum, tamen juxta nos poteſt habere decretum indifferens, & phyſice influere: ergo etiam phyſice prædeterminare. Conf. Si Deus præciperet vel ſuaderet entitatem blasphemiæ, blasphemia ceſſaret eſſe mala: ergo cum Deus non poſſit mutare eſſentiam rerum, non poteſt blasphemiam ſuadere. Ant. Prob. licet Carthuſiano prohibitus ſit eſus carnium, quia tamen in extrema neceſſitate Deus illum præcipit, vel ſuadet, Carthuſianus non peccat comedendo carnes: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. & ſuppoſitum, quod Deus juxta nos ita indifferenter decernat concurrere ad peccatum, quaſi æqualiter ſe haberet ad actum bonum, & malum, ſed licet creaturam nolit impedire, vult ſolum actum bonum, malum vero prohibet; at juxta Thomiſtas entitatem peccati determinate intenderet. Ad Conf. antecedens quidem verum eſt juxta nos, ſed juxta adverſarios blasphemia non ceſſaret eſſe mala, licet Deus illam poſitive vellet: ergo neque ſi illam ſuaderet, aut argumentum eodem modo probat, quod Deus ad entitatem peccati non poſſit prædeterminare. Interim ad ulteriorem probationem nego ſuppoſitum, quod lex poſitiva non comedendi carnes in hoc caſu adhuc obligaret.

QUÆSTIO III.

An detur peccatum habituale?

182 Dicendum 1. Post peccatum actuale physice præteritum in peccatore tamdiu remanet aliqua macula, eumque vere peccatorem denominat, donec peccatum remittatur. Prob. Quia in sacra Scriptura homines post peccatum præteritum sæpe adhuc vocantur peccatores & maculati. *Mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* Luc. 7 v. 37. *Multi peccatores & Publicani discumbebant cum JEsu*, Matth. 9 v. 10. *Peccastis in Beelphegor, & usque in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis remanet*, Josue 22 v. 17. *Inquinatæ sunt eorum & mens, & conscientia*, ad Tit. 1 v. 15. Hæc de peccatis mortalibus intelligenda sunt. De venialibus Proverb. 20 v. 9 dicitur: *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato;* & Apoc. 21 v. 27: *Non intrabit in eam* (cœlestem gloriam) *aliquid coinquinatum.* Conf. peccata præterita in S. Scriptura dicuntur ablui: *Abluti estis*, 1. Cor. 6 v. 11, & peccatores mundari: *mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus*, 2 Cor. 7 v. 1: ergo tamdiu relinquunt aliquam maculam & hominem denominant peccatorem, quamdiu non remittuntur. Hinc S. Augustinus lib. de nuptiis cap. 26 ait: *Si quis fecerit adulterium, etsi deinceps nunquam faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur*, & paulo post: *manent ergo, nisi remittantur.*

183 Dicendum 2. Peccator post peccatum præteritum non tantum est reus pœnæ, sed etiam dignus odio, vel displicentia Dei, quamdiu peccatum moraliter perseverat. Prob. 1. Juxta sacram Scripturam *Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus, impiis vero*

red-

reddet vindictam, Eccleſ. 12 v. 3 & 7: ergo ſicut homo poſt peccatum phyſice præteritum vere adhuc dicitur peccator, ita manet non ſolum pœna, ſed etiam odio dignus; hinc Eccleſ. 9 v. 2 dicitur: *Neſcit homo amore, an odio dignus ſit*, & ad Rom. 5 v. 10: *Cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus.* Conf. Quando homo baptizatur, aut pœnitentiam agit, non tantum remittitur pœna, ſed etiam culpa: ergo manet odio dignus, quamdiu peccatum moraliter perſeverat. Antecedens ſupponitur a Concilio Trident., dum ſeſſ. 9 can. 30 & ſeſſ. 14 can. 12 anathema dicit aſſerenti, *Quod in Sacramento, aut poſt acceptam remiſſionis gratiam una cum culpa ſemper remittatur tota pœna.* Unde a Pio V & Greg. XIII damnatæ ſunt propoſitiones Baji 53: *In peccato duo ſunt actus, & reatus: Tranſeunte autem actu nihil manet, niſi reatus, ſive obligatio ad pœnam.* 54: *Unde in Sacramento baptiſmi aut Sacerdotis abſolutione proprie reatus peccati duntaxat tollitur, & miniſterium Sacerdotis ſolum liberat a reatu.*

Probatur concluſio 2. Ex una parte quando homo actu peccat juxta S. Scripturam, & communem Patrum ſenſum non tantum fit dignus pœna, ſed etiam odio & diſplicentia divina: adeoque in Deo naſcitur jus non ſolum ad pœnam, ſed etiam ad odium & diſplicentiam: ex altera parte hoc jus Dei, quamvis peccatum phyſice prætereat, ex natura rei manet integrum, quamdiu peccatum per condignam ſatisfactionem non deletur, vel a Deo gratis remittitur: ergo homo manet dignus odio, ſeu diſplicentia divina, ut etiam patet ex paritate in humanis; qui enim inter homines aliquem offendit, vel debitum contrahit, tamdiu habitualiter & moraliter denominatur offendens, vel 184

debitor, donec præstiterit condignam satisfa-ctionem, aut offensa & debitum illi fuerit re-missum; ut adeo in ordine ad istos effectus mo-rales actus præteritus moraliter perseverans eodem modo se habeat, ac si physice adhuc exi-steret. Conf. Peccata physice præterita adhuc vere maculant animam, eamque immundam red-dunt: ergo anima manet Deo odibilis; quippe per hoc, quod sit dignus pœna, nemo proprie dicitur pollutus, sed potius ideo est dignus pœ-na præsertim æterna, quia pollutus est.

Objectiones.

185 Obj. 1. Si post peccatum præteritum remane-ret aliqua macula, quæ hominem adhuc de-nominaret peccatorem, illa deberet esse intrin-seca animæ, sed post peccatum physice præte-ritum nihil est intrinsecum animæ; nam pecca-tum actuale non amplius existit, negationes ve-ro deletionis & remissionis nihil sunt. Conf. Ut homo denominetur justus, debet ipsi gratia sanctificans physice inesse: ergo ut denomine-tur peccator, deberet ipsi forma denominans physice inesse; sicut enim Patres dicunt animam per gratiam sanctificantem ornari, ita dicunt eandem per peccatum maculari. Resp. Dist. Majorem, deberet esse intrinseca animæ mora-liter, Conc. Maj. physice, Neg. Maj. & sic Dist. Min. Conf. Peccatum necdum deletum, aut condonatum moraliter in peccatore perseve-rat, quatenus secundum æstimationem Dei & hominum animam reddit æque displicentem Deo, ac si adhuc physice illi inhæreret, ferme sicut infamia ex actu præterito relicta moraliter in-hæret suo subjecto. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Quod gratia sanctificans sit forma homi-ni justo physice intrinseca aliunde probatur, cum sit

ſit participatio divinæ naturæ, & radix habituum ſupernaturalium : quod autem peccatum phyſice debeat remanere, ut poſſit denominare peccatorem, nulla ratione probatur; hinc Patres non faciunt paritatem omnimodam, ſed loquuntur juxta capacitatem ſubjectæ materiæ.

Dices 1. Ex una parte macula remanens eſ- 186
ſet effectus peccati actualis : ex altera parte perſeverantia moralis peccato præterito nihil ſuperaddit, quod proprie habet rationem peccati : ergo peccatum moraliter perſeverans non poteſt dici macula ; alias effectus conſtitueretur per ſuam cauſam. Conf. Omnis effectus dependet a ſua cauſa : ergo ſi non amplius datur peccatum, non datur macula. Reſp. Diſt. Ant. quoad 1 membr. macula eſt effectus formalis peccati actualis tanquam cauſæ intrinſecæ, Conc. Ant. effectus phyſicus tanquam cauſæ extrinſecæ, Neg. Ant. quoad hoc membrum, & Diſt. etiam quoad alterum, perſeverantia moralis nihil ſuperaddit, quod ſe ſola habeat rationem peccati, Conc. Ant. quod una cum reliquis partibus habeat rationem peccati, Neg. Ant. Quod cauſa intrinſeca inadæquate ſuum effectum conſtituat, notum eſt ex philoſophia ; quamvis autem nec ſolum peccatum præteritum, nec ſola negatio ſatisfactionis aut remiſſionis denominet maculatum ac peccatorem, id facit totum complexum ex omnibus ſimul ſumptis. Ad Conf. Diſt. Ant. omnis effectus dependet a ſua cauſa in fieri, Conc. Ant. in conſervari, ſubdiſt. a ſua cauſa moraliter manente, Tranſ. Ant. phyſice manente, Neg. Ant. præſertim ſi effectus tantum ſit totum morale.

Dices 2. Actiones præſertim vitales poſt- 187
quam phyſice tranſierunt, non manent moraliter. Sic nemo dicitur ſanctus, aut doctus pro-

pter

pter gratiam aut doctrinam præteritam. Nemo peracto actu bono, aut malo censetur ulterius mereri vel demereri, & qui læsit Principem, non censetur manere ejus inimicus, postquam a læsione destitit. Conf. Juxta S. Thomam 1. 2 q. 85 art. 1 ad 3 macula se habet ad peccatum sicut umbra ad corpus, atqui umbra remoto corpore non manet. Resp. Dist. Ant. aliquæ actiones non manent moraliter, Conc. Ant. nullæ, Neg. Ant. Quædam denominationes juxta communem acceptionem requirunt formam physicam aut actuale exercitium, uti denominatio sancti, docti, merentis, demerentis &c. aliæ vero ejusmodi formam physice existentem non requirunt, & tales communiter sunt, quæ inducunt aliquam infamiam, obligationes aut debita, quæ post actum præteritum adhuc exsolvi debent, uti vota, contractus, censuræ, & peccata. Certe qui læsit Principem non solum pœna, sed etiam odio dignus manet, donec injuria condonetur, vel compensetur. Ad Conf. S. Thomas tantum vult, quod sicut corpora diversa diversas causant umbras, sic peccata diversa diversas causent maculas, has vero peccato physice præterito manere docet ipsemet loc. cit. q. 96 art. 2 ad 2.

188 Obj. 2. Si peccatum physice præteritum, sed nondum remissum esset macula habitualis, ipse Deus esset causa peccati habitualis. Prob. Deus non remittendo peccatum causaret aliquod constitutivum & ultimum complementum peccati habitualis: ergo esset illius causa; qui enim est auctor partis, est etiam auctor totius. Conf. Deus non remittendo peccatum vult moralem ipsius perseverantiam: ergo. Resp. Neg. illatum, ad prob. Transf. Ant. Quia negatio remissionis est purum nihilum, quod proprie causam non habet, Neg. Conf. rationem additam Dist.

qui

qui eſt auctor partis, ex qua reliquæ partes neceſſario & inimpedibiliter ſequuntur, eſt auctor totius, Conc. ſi pars principalis jam aliunde ſupponitur eſſe poſita, Neg. Negatio remiſſionis, quam ſuo modo cauſat Deus, jam ſupponit peccatum actuale, quod eſt præcipua pars maculæ & ſolum proprie malitiam continet. Cum igitur Deus peccatum gratis remittere non teneatur, peccatum ut moraliter perſeverans, Deo nullatenus eſt imputabile; alias qui non remitteret debitum aut damnum illatum, eſſet cauſa per ſe debiti, damni &c. Ad Conf. Diſt. Ant. vult moralem peccati perſeverantiam abſolute & quoad omnia conſtitutiva, Neg. Ant. per accidens & ex ſuppoſitione, quod peccatum non expietur, Conc. Ant. & Conſ. Deus non vult, ut homo in peccato perſeveret, ſed tantum ex ſuppoſito, quod perſeveret, vult ex amore juſtitiæ vindicativæ retinere ſuum jus, quod habet ad odio habendum, & puniendum peccatorem.

Dices 1. Si Deus ipſe vult perſeverantiam 189
maculæ habitualis, hanc maculam non poteſt ſerio deteſtari, nec hominem propter illam odiſſe: ergo peccatum habituale non reddit hominem dignum odio Dei. Conf. Implicat, ut homo poſſit peccatum expiare & pro illo ſatisfacere: ergo Deus perſeverantiam peccati vult abſolute. Reſp. Diſt. Ant. hanc maculam concretive ſumptam non poteſt ſerio deteſtari adæquate, & quoad omnes ſuas partes, Conc. Ant. denominative ſumptam, & quoad partem principalem, Neg. Ant. & Conſ. Quando Deus averſatur peccatum habituale, & propter illud peccatorem, objectum odii, & ratio formalis Deum ad averſionem provocans eſt ſolum peccatum præteritum, ita tamen, ut ad odium non moveat, niſi ſub certis conditionibus, quod videli-

deli-

delicet detur negatio gratuitæ condonationis, & condignæ ſatisfactionis. Sic Deus hominem actu peccantem odit non præciſe propter actum peccaminoſum ſecundum ſe ſpectatum, ſed libere & advertenter poſitum contra legem, & tamen advertentia & libertas non eſt ratio formalis odii, ſed ſolum conditio, ſine qua Deus peccatum odio non haberet. Sic licet bonum non ametur, niſi cognitum, cognitio eſt tantum conditio, ſine qua amor non daretur. Ad Conf. Diſt. Ant. ut pro illo poſſit ſatisfacere per ſatisfactionem propriam, Conc. Ant. per ſatisfactionem alienam & illi appropriatam, Neg. Ant. Homo pro peccatis condigne poteſt ſatisfacere per Chriſtum fidejuſſorem, cujus infinita merita per charitatem perfectam & Sacramenta nobis applicantur. Imo Deus poſſet eſſe contentus ſatisfactione congrua.

190 Dices 2. Deus peccatorem odit non præciſe propter peccatum præteritum; alias adhuc hodie averſaretur Davidem: ergo illum odit propter peccatum moraliter perſeverans; ergo peccatum moraliter perſeverans odit ſecundum omnes partes. Conf. Negatio gratuitæ condonationis eſt ipſum decretum Dei, quod realiter eſt Deus; atqui Deus non poteſt conſtituere maculam, per quam homo redditur Deo abominabilis: ergo. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. Odit propter peccatum moraliter perſeverans ita, ut negatio remiſſionis ſit motivum formale vel terminativum ut quod odii divini, Neg. Conſ. ut ſit tantum conditio, ſine qua non, Conc. Conſ. & Neg. ulteriorem ſequelam. Paſſim contingit, ut aliqua denominatio conveniat toti denominative ſumpto, quin conveniat ſingulis partibus. Sic Deus odit malitiam formalem peccati, & non odit advertentiam ad legem, quæ partialiter malitiam formalem conſtituit. Sic Judex

amat

amat æqualitatem pœnæ cum delicto, & non amat delictum, quod eſt pars illius æqualitatis. Ad Conf. imprimis Neg. Maj. Quia negatio remiſſionis formaliter tantum importat negationem decreti remiſſivi. Dein diſt. min. non poteſt conſtituere hanc maculam denominative ſumptam; Conc. min. quidditative ſumptam, Neg. min.

Obj. 3. Si peccator eſt odio dignus, quamdiu peccatum moraliter perſeverat, reatus culpæ nunquam poteſt tolli per condonationem peccati habitualis. Prob. Peccatum moraliter perſeverans conſtituitur per ipſam negationem condonationis: ergo per condonationem non poteſt tolli. Conf. Implicat, ut peccatum non ſit præteritum: ergo. Reſp. Neg. illatum, ad Prob. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo per condonationem non poteſt tolli in illo inſtanti, in quo jam complete & ſecundum omnes partes exiſtit, Conc. Conſ. in inſtanti ſubſequenti, in quo nondum complete exiſtit, Neg. Conſ. Quamvis peccatum habituale complete ſumptum non poſſit condonari in illo inſtanti, in quo jam ponitur exiſtere, quia alias in eodem inſtanti daretur condonatio, & negatio condonationis; poteſt tamen remitti in inſtanti poſteriori, ſi accipiatur denominative; ſic enim eſt indifferens ad condonationem & negationem condonationis; & hinc ſi pro poſteriori ſigno condonatio detur, ceſſat in poſteriore inſtanti moraliter durare. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Licet peccatum præteritum ſemper maneat logice, quatenus ſemper verum manet, quod peccatum actuale aliquando exſtiterit, non tamen ſemper manet moraliter, quatenus hominem reddit dignum odio divino. 191

Dices. Peccatum tunc debet condonari, 192

quan-

quando adhuc phyſice vel moraliter exiſtit; ergo ſi non poteſt condonari in illo inſtanti, in quo datur, nunquam poteſt condonari. Conf. Non poteſt dici, quid Deus velit, quando condonat peccatum: ergo. Reſp. Diſt. Ant. quando adhuc exiſtit radicaliter, Conc. Ant. formaliter, Neg. Ant. Quando homo peccavit in inſtanti A, in inſtanti B duo ſigna naturæ conſideranda ſunt; in primo datur præciſio a condonatione, & negatione condonationis, & Deus habet jus radicale ac conditionatum ad peccatorem odio habendum; in ſecundo ſigno naturæ Deus vel condonat, vel non condonat peccatum? ſi non, jus Dei ad odium fit abſolutum, & formale: ſi ita, ceſſat peccatum habituale & jus formale ad odium. Sic donans pro inſtanti donationis tantum habet jus radicale in rem donatam, non autem formale & abſolutum, cum per ipſam donationem jure ſuo ad illam rem cedat. Ad Conf. Quæro, quid velit homo, ſi remittit injuriam vel debitum? quid legislator, ſi diſpenſat in voto? quid ipſe Deus, ſi remittit pœnam? In forma dico, Deum velle cedere jure ſuo, quod acquiſivit ratione peccati ad indignationem, & odium, ſive dein hæc ceſſio fiat per infuſionem gratiæ, ſive per condonationem extrinſecam.

193 Obj. 4. Modo verum ſit, quod homo aliquando peccaverit; jam eſt odio, & pœna dignus: ergo non requiritur, ut in illo peccatum moraliter perſeveret. Conf. Si Deus hominem deſtrueret ſtatim poſt peccatum, daretur peccatum actuale, & negatio remiſſionis, nec tamen daretur macula; alias daretur forma actu exiſtens, quin tribueret ſuam denominationem. Reſp. Neg. Ant. Qui actu peccavit, eſt indifferens, ut maneat habitualiter peccator, cum poſ-

poſſit obtinere, vel non obtinere remiſſionem peccati: ergo ut adhuc ſit maculatus & odio dignus, peccato actuali debet ſuperaddi moralis perſeverantia. Ad Conf. dico, in tali caſu Deum adhuc habere jus ſaltem conditionatum, & remotum ad hominem odio habendum, ſi nimirum illum vellet reproducere, adeoque macula videtur moraliter perſeverare, licet ex defectu ſubjecti ſuam denominationem dare nequeat. Quod ſi ponas Deum nunquam velle reproducere talem hominem, ipſa annihilatio videtur eſſe virtualis quædam remiſſio peccati, cum non videatur dari poſſe inimicitia erga hominem non exiſtentem, neque amplius exſtiturum.

Dices. S. Auguſtinus, poſtquam lib. 1 de 194
nuptiis cap. 26 dixit, peccata manere, niſi remittantur, pergit: *Sed quomodo manent, ſi præterita ſunt? niſi quia præterierunt actu, manent reatu.* Ergo ſolus reatus pœnæ manet. Hinc etiam in Pſal. 31 ait: *Nec ſic intelligatis, quod dixit, peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint, & vivant.* Conf. Reatus pœnæ eſt effectus peccati actualis præteriti: ergo in illo bene conſtituitur perſeverantia moralis peccati. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Nam lib. 2 de nuptiis expreſſe ait: *Quod homo habeat peccatum, quod admiſit, quamvis jam non ſit;* peccatum autem non tantum eſt reatus pœnæ; hinc addit, *juxta Scripturam non ſufficere, ut quis a peccato deſiſtat, ſed etiam requiri, ut de priſtinis deprecetur, ut ipſi remittantur.* In altero loco ſolum concendit, quod peccata vere remittantur, & eradicentur, & non tantum in nobis tegantur, aut radantur, ut nunc cum Luthero errant hæretici noſtri temporis. Ad Conf. Diſt. Ant. eſt effectus peccati actualis unicus & primarius, Neg. Ant. ſecundarius, Conc. Ant. & Neg. Conſ. Rea-

tus pœnæ hominem proprie non denominat maculatum & odio dignum, qui effectus a Scriptura principaliter peccato habituali tribuitur; imo reatus pœnæ juxta multos potest manere saltem partialiter, etsi peccatum plene sit remissum.

QUÆSTIO IV.

In quonam consistat peccatum habituale?

195 Postquam quæstione præcedente essentiam metaphysicam & existentiam peccati habitualis examinavi, breviter agendum est de illius essentia physica, circa quam auctores in varias abeunt sententias. 1. Aliqui peccatum habituale constituunt in qualitate quadam physica animam rationalem deturpante. 2. Alii in habitu vitioso ex peccato actuali relicto. 3. In solo peccato actuali præterito qua tali, aut 4. in hoc uncum negatione retractationis. Verum istæ opiniones jam sunt antiquatæ, & contra primam est, quia qualitas morbida prorsus gratis fingitur, quin conveniens causa productiva assignari possit. Contra 2dam, quia habitus vitiosus potest manere post peccatum habituale deletum, nec quodlibet peccatum actuale statim generat habitum. Contra 3tiam, quia denominatio physica peccatum præteritum semper manet, adeoque peccatum habituale nunquam posset deleri. Contra 4tam, quia retractatio peccati fieri potest per actum tantum naturalem, quæ non delet peccatum habituale, & Deus absolute posset illud remittere absque omni retractatione.

196 Celebriores sunt sententiæ Scotistarum, & Thomistarum. Juxta Scotistas peccatum habituale consistit in reatu pœnæ, qui dupliciter considerari potest, radicaliter, vel formaliter. Radicalis est obligatio passiva subeundi pœnam im-

immediate orta ex peccato actuali, & suo modo antecedens decretum Dei, peccatorem ad poenam deputantis. Formalis est obligatio passiva subeundi poenam, ad dictum decretum Dei consequens. At in neutro peccatum habituale bene constituitur; nam 1 redit quaestio; in quonam a parte rei haec obligatio passiva consistat, an in solo peccato praeterito? an in qualitate morbida &c. 2. Obligatio sustinendi poenam non est proprie macula, & potius effectus peccati habitualis, quam ipsum peccatum habituale, ut num. 148 adverti. 3. Reatus poenae praecise secundum se spectatus non est aliquod malum continens veram inhonestatem, cum possit directe a decreto divino intendi. Taceo, quod haec sententia supponat reatus culpae & poenae realiter esse identificatos.

Thomistae cum quibusdam recentioribus contendunt, peccatum habituale consistere in privatione gratiae sanctificantis, ut inducta per peccatum actuale physice praeteritum; tum quia ista privatio est aliqua macula spolians animam pulchritudine & nitore debito: tum quia justitia & habitualis conversio ad Deum consistit in gratia sanctificante: ergo injustitia & aversio habitualis a Deo in illius privatione; nam denominationes oppositae a formis oppositis sunt petendae. Sic quia corpus per lumen denominatur lucidum, per negationem luminis denominatur tenebrosum. Verum licet privatio gratiae sanctificantis sit quaedam macula privativa animae, & injustitia ac aversio passiva a Deo, nondum tamen est illa macula positiva, quae hominem denominat positive odio divino dignum, & a Deo aversum; unde huc non quadrant denominationes lucidi, & tenebrosi, quae tantum contradictorie sibi opponuntur, dum econtra ju- 197

ſtitia, & injuſtitia poſitiva, item dignitas ad amorem & odium ſibi opponuntur contrarie, adeoque a formis contrarie ſibi oppoſitis provenire debent.

198 Præterea in hac ſententia diſplicet, quod privatio gratiæ ſanctificantis potius ſit pœna peccati quam ipſum peccatum; neque hic modus deſcribendi peccatum habituale eſt univerſalis; nam 1 non convenit peccato veniali, quod ſine privatione gratiæ habitualiter manere poteſt. 2. Non convenit peccato mortali in ſtatu naturæ puræ, in quo gratia ſanctificans nullo modo fuiſſet animæ debita. 3. Contra ſententiam probabiliorem ſupponit, quod Deus neque de abſoluta potentia poſſit remittere peccatum ſine infuſione gratiæ ſanctificantis per condonationem mere extrinſecam. Equidem in hac providentia peccatum mortale per infuſionem gratiæ remitti ſolet; ſed ex hoc tantum probatur, quod peccatum habituale mortale, prout nunc datur, in privatione gratiæ ſanctificantis conſiſtat partialiter, in quantum infuſio gratiæ de facto eſt aliqua gratuita remiſſio peccati, ſiquidem eſſentialiter ſit incompoſſibilis cum peccato mortali, quod alibi determinandum. Quia igitur ſublata parte tollitur totum, mirum non eſt, quod per infuſionem gratiæ tollatur peccatum habituale, quin ideo tota illius eſſentia in privatione gratiæ conſiſtat.

199 Supereſt itaque, ut cum communi recentiorum eſſentiam peccati habitualis ſtatuamus in his tribus, 1. In ipſo peccato actuali præterito. 2. In negatione condignæ ſatisfactionis, & 3 in negatione gratuitæ remiſſionis. Nam per peccatum habituale reipſa nihil aliud intelligitur, quam illa forma & macula, quæ hominem poſt peccatum actuale phyſice jam præteritum, vere

re ac proprie adhuc denominat peccatorem, eumque adhuc dignum reddit displicentia, & odio divino; atqui hoc complexo posito homo adhuc proprie & vere denominatur peccator, dignus odio & displicentia divina; quolibet vero ex isto complexo sublato non amplius manet & denominatur peccator dignus odio divino, ut facile patet consideranti, quæ dixi quæstione præcedente. Conf. ex paritate cum aliis delictis habitualibus, quæ si aliquando fuerunt contracta, præcise tamdiu durant, quamdiu per condignam satisfactionem non extinguuntur, aut gratuito remittuntur. Idem est de offensis & injuriis homini illatis. Unde communiter dicunt, peccatum habituale & reatum culpæ non solum esse inseparabiles, sed formaliter idem.

Quæres 1. An peccatum mortale & ve- 200
niale remitti possit quoad reatum culpæ, quin remittatur quoad reatum pœnæ, adeoque an isti reatus sint distincti & separabiles? Negant multi Scotistæ cum Nominalibus & Thyrso Gonzalez, quorum aliqui volunt, per remissionem peccati semper tolli totum reatum pœnæ & culpæ, & solum remanere obligationem quamdam satisfactionis, & satispassionis, non immediate ortam ex peccato, sed ex voluntate Dei. Alii dicunt, per remissionem peccati utrumque reatum ordinarie tantum tolli partialiter quoad inimicitiam cum Deo, & pœnas æternas, remanere autem partialiter quoad aliquam displicentiam Dei & pœnas temporales. Quippe quod in remissione peccati mortalis semper remittatur pœna æterna, omnes facile concedunt, quia hæc remissio fit per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ hominem reddit amicum & filium adoptivum Dei, eique tribuit jus ad æternam beatitudinem. Vicissim certum est, quod post remissionem peccati sæpe solvenda restet pœna

temporalis, ut de peccatis gravibus adverti num. 135. De levibus vero conſtat ex ſenſu Eccleſiæ aſſerentis purgatorium, & concedentis indulgentias etiam pro culpis levibus. Sane Moyſes, Aaron, David a Deo puniti ſunt propter culpas leves jam remiſſas. Hinc etiam Confeſſarii pro peccatis venialibus ſolent pœnitentiam injungere.

201 Dubium igitur ſolum manet, an in iſtis caſibus remittatur totus reatus culpæ? Ad quod Reſp. cum Thomiſtis & aliorum communiore affirmative; nam juxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 5 in decret. de peccat. Origin. per baptismum tollitur totum id, quod in culpa originali habet rationem peccati, & tamen manent concupiſcentia, morbi, mors, aliæque miſeriæ, quæ propriæ ſunt pœnæ peccati originalis. Idem Tridentinum ſeſſ. 14 can. 8 damnat aſſerentes culpam non remitti, niſi ſimul univerſa remittatur pœna, cum autem nihil addidiſſet reſtringens, ſi judicaſſet tantum remitti aliquam culpæ partem? cur Deus non poſſit cedere jure ſuo ad averſionem peccatoris, quin cedat juri ad infligendam pœnam? An princeps ſubdito, judex reo, pater filio non poteſt irrogare pœnam ſine averſione ex amore juſtitiæ vindicativæ, publici exempli, emendationis, cautelæ &c. An non ipſa Scriptura de Deo dicit, quod caſtiget, quos amat, & quos diligit, corripiat. Nempe ipſa culpa eſt tantum dignitas pœnæ remota, & reatus pœnæ eſt ſolum proprietas culpæ moralis, & phyſica, in quantum culpa neceſſario quidem requiritur ad reatum pœnæ incurrendum, non vero ad illum conſervandum.

202 Quæres 2. An peccatum veniale in damnatis per accidens puniatur pœna æterna? Reſp. cum Scotiſtis contra Thomiſtas & multos re-

cen-

centiores negative, ſive dein culpa jam ſit remiſſa, ſive non. Moveor 1, quia veniale de ſe non meretur pœnam æternam, neque ex conjunctione peccati mortalis ejus natura, & vis demeritoria mutatur, ſed tantum accedit novus, & diſtinctus reatus: ergo ſi pœna eſſet æterna, Deus ejusmodi peccatum puniret ultra condignum. 2. Ad ſolutionem pœnæ neque requiritur ſtatus gratiæ, aut favor Dei, neque ut reus voluntarie & patienter pœnam toleret; alias damnati non ſolverent pœnam condignam æternam pro mortalibus; imo illa potius ſemper deberet augeri ob impatientias, blasphemias &c. quas tamen Deus in termino non imputat ad novum ſupplicium. Certe in humanis ad condignam paſſionem non requiritur amicitia, aut favor judicis, ſed reus ſatispatitur, etſi pœnam impatienter ſuſtineat. 3. Hæc ſententia eſt conformior divinæ bonitati, quæ juxta S. Thomam & communem Doctorum peccata etiam mortalia infra condignum punire ſolet. Quod ſi reatus culpæ tolli poteſt, quin tollatur reatus pœnæ, cur non etiam poſſit tolli reatus pœnæ, quin tollatur reatus culpæ?

Confirmatur, quia peccatum mortale quo- 203
ad culpam in hac vita remiſſum in damnatis non punitur pœna æterna, etſi necdum remiſſum fuerit quoad pœnam temporalem; alias ſequeretur, quod reatus pœnæ remiſſæ iterum poſt mortem redeat, vel tantum fuerit remiſſus conditionate, ſi nempe homo non moriatur in mortali, antequam pro pœna temporali ſatisfecerit. Imo pari modo dici poſſet, reatum culpæ tantum fuiſſe remiſſum conditionate & quoad intenſionem. Si dicant, inter peccatum mortale quoad culpam remiſſum, & veniale nondum remiſſum non eſſe paritatem, contra eſt 1, quia jam ſupra dixi, hos reatus eſſe ſeparabiles, & ſaltem

ex hac paritate ſequitur, quod ad ſatispaſſionem non requiratur ſtatus gratiæ, aut ut pœna patienter acceptetur. 2. Pœnæ gravitas & diuturnitas non debet commenſurari perſeverantiæ culpæ habitualis, ſeu reatui culpæ, ſed reatui pœnæ; alias Deus puniret ultra condignum, quod repugnat infinitæ ipſius juſtitiæ & argueret aliquam crudelitatem, ſicut ſi princeps pro levi offenſa vel debito ob conjunctionem alterius gravioris etiam pro levi exigeret pœnam multo longiorem, vel ſolutionem longe majorem.

DISPUTATIO IV.

De peccato Originali.

20 Nomine peccati originalis intelligitur illud, quod ab & in Adamo commiſſum, in poſteros naturali generatione ab eo deſcendentes derivatur, & in ipſo conceptionis inſtanti contrahitur. Quatenus eſt Adami, perſonale, reſpectu poſterorum originale eſt, & quidem actuale, in quantum poſteri in Adamo peccarunt, habituale vero, in quantum illud in prima origine omnes inficit, & ſingulis tanquam proprium inhæret. Exiſtentiam peccati originalis poſt Theodorum Mopſueſtiæ Epiſcopum, & Ruffinum quemdam Presbyterum negavit Pelagius, ejusque diſcipuli Cæleſtius, & Julianus docentes, per Adamum intraſſe quidem peccatum in hunc mundum, ſed poſteris ſolum nocuiſſe exemplo, & imitatione; quod enim homines moriantur, eſſe naturalem conditionem, & ipſum Adamum fuiſſe moriturum, etiamſi non peccaſſet; hinc homines nunc naſci ſine vitio & virtute ſicut olim conditus Adamus; Baptiſmum nihilominus parvulis eſſe neceſſarium, non ut mun-

mundentur a labe originali, ſed ut conſequantur regnum cœlorum.

Sparſerat hos errores per ſuos diſcipulos 205
Pelagius initio Romæ circa annum 405, poſtea Gothis ſub Alarico Rege Italiam vaſtantibus cum Cæleſtio primo in Siciliam, dein in Africam ſe contulit. Inde tranſiit in Palæſtinam, Cæleſtio Cartagine relicto, ubi Cæleſtius ob diſſeminatos errores a Paulino Diacono ad Aurelium urbis Epiſcopum delatus, & anno 414 a Concilio Cartaginenſi tanquam hæreticus eccleſiaſtica communione privatus eſt. Pelagius quoque anno ſequenti duplici concilio, ab Epiſcopis Palæſtinæ Jeroſolymis, & Dioſpoli celebrato, ſe ſiſtere coactus eſt, ſed partim æquivocationibus, partim mendaciis Patres ita deluſit, ut ejus errores quidem damnarentur, ipſe vero tanquam innocens dimitteretur, poſtquam videlicet ipſemet Dioſpoli anathematizavit eos, qui ejusmodi errores tenent, aut aliquando tenuerunt. Verum his intellectis Epiſcopi Africani Cartagine, & Epiſcopi Numidiæ in ſynodo Milevitana de novo damnant Pelagium, & Cæleſtium, ſimulque Innocentium I ſummum Pontificem rogant, ut graſſanti peſti remedium adhiberet, quod etiam fecit proſcripta peſtifera hæreſi anno 417 vitæ ſuæ ultimo.

Itaque Pelagius ut infamiam ſuis errori- 206
bus abſtergeret, litteras & fidei ſuæ profeſſionem Romam mittit, quo interea jam præverterat Cæleſtius, oblato fidei ſuæ libello apud Zoſimum Innocentii ſucceſſorem conqueſtus, ſe & Pelagium tum in Africa tum in urbe inauditos damnatos eſſe. Erat autem utriusque fidei profeſſio verbis ambiguis ita involuta, ut Zoſimus ambos non ſolum probe orthodoxos eſſe judicaverit, ſed illos etiam gemina epiſtola apud Epi-

ſcopos Africæ defenderit, præſertim quia profeſſi ſunt, ſe judicio apoſtolico corrigendum ſubmittere, ſi forte per ignorantiam aliquis error ipſis obrepſerit. Acceptis Zoſimi litteris anno 418 convocante Aurelio Epiſcopi Africani ſupra 214 de novo Cartaginem confluxere, & unanimiter decreverunt, ſtandum eſſe decreto Innocentii adverſus Pelagianos; ad Zoſimum vero ſtatim miſere acta ſynodalia per Marcellinum ſubdiaconum, a quo tandem fraudes & fallacias hæreticorum edoctus Pontifex de novo diem dicit Cæleſtio: ſed ille ſuos errores & dolos ab Africanis detectos advertens terga vertit, & ſe ſubtraxit examini, non tamen juſtum effugit judicium; nam Zoſimus coacto Romæ Concilio nihilominus in Cæleſtium, & Pelagium damnationis ſententiam protulit, eamque ampliſſimis litteris, in quibus & errores Pelagianorum & tota rei ſeries continebatur, publicavit.

207 Damnatum jam errorem Pelagianorum anno 640 rurſus excitarunt Armeni, dein Albaneſes, Albigenſes, Anabaptiſtæ, Sociniani, & Zwinglius docens, peccatum originale tantum eſſe morbum naturæ. Sed de facto apud recentiores hæreticos Lutheranos præſertim & Calviniſtas, a quibus non multum videtur diſcedere Janſenius communis ſententia eſt, peccatum originale formaliter conſiſtere in concupiſcentia aliisque naturæ vulneribus, quæ cum in homine baptizato & juſtificato adhuc remaneant, inferunt, peccatum originale per baptiſmum non deleri, ſed tantum tegi, & non imputari. Imo Mathias Flaccus natione Illiricus rigidorum Lutheranorum Coryphæus, & Centuriarum Magdeburgenſium præcipuus compilator pluribus ſcriptis pertinaciter contendit, peccatum originale eſſe ipſam ſubſtantiam animæ rationalis, quippe animam

mam prius ad imaginem Dei conditam per peccatum originale in imaginem diaboli ſubſtantialiter fuiſſe transformatam, ferme ſicut vinum transmutatur in acetum.

208 Inter Catholicos Albertus Pighius, & Ambroſius Catharinus vapulant, quia docuiſſe videntur, peccatum originis non eſſe intrinſecum ſingulis hominibus, neque in iis multiplicari, ſed peccatum Adami illis ſolum imputari extrinſece, ferme ſicut rebellio Patris erga Regem extrinſece imputatur illius poſteris in ordine ad perdendam nobilitatem, licet ipſi non ſint proprie rebelles, ſed ſolum a rebelli deſcendant. Laurentius Berti, Gonetus, & Salmanticenſes aſſerunt, peccatum originale habituale nihil aliud eſſe quam concupiſcentiam cum reatu, ita, ut concupiſcentia ſeu inordinatio potentiarum animæ ſit materiale, & quaſi ſubſtratum peccati originalis, reatus vero culpæ ſeu privatio juſtitiæ originalis malitia formalis. Eandem opinionem videtur tenere Eminentiſſimus Gotti tom. 6 in 1 part. q. 8 de peccato originali. Reliqui habitualem permanentiam peccati originalis ferme eodem modo exſplicant, quo moralem perſeverantiam peccati perſonalis quæſtione præcedente dixi ab ipſis exſplicari.

QUÆSTIO I.

An detur peccatum originale.

209 Dicendum 1. Datur peccatum originale tam actuale, quam habituale. Prob. 1 auctoritate Scripturæ, in qua Job 14 v. 4 dicitur: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?* Ergo immunditia homini ineſt ab ipſa ejus conceptione, neque tantum corporalis, ut volunt Sociniani, ſed ſpiritualis; quip-

quippe quam ſolus Deus dicitur mundare poſſe; hinc ſeptuaginta interpretes ita vertunt : *Nemo mundus a ſorde, nec infans, cujus eſt unius diei vita.* Jam vero infantes primum nati nondum poſſunt contrahere peccatum actuale : ergo contrahunt immunditiam originalem, quod in novo teſtamento clare expreſſit Apoſtolus ad Rom. 5 v. 12 : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Ex quibus clare apparet, quod omnes conſtituti ſint rei peccati, & morti obnoxii, quia omnes Adamo peccante peccaverunt. Conf. Chriſtus eſt Salvator, & Redemptor omnium hominum etiam infantium. Unde autem ſalvos facit, ſi nulla in eis eſt originalis ægritudo peccati? quærit S. Auguſtinus lib. 1 de peccat. merit. cap. 23.

210 Probatur 2 auctoritate Conciliorum, & traditione Eccleſiæ. Nam 1 hæreſis Pelagii & Cæleſtii a ſuo exortu usque ad Concilium Epheſinum intra annos non plures quam 19 damnata eſt a 24 Conciliis, quæ lib. 14 c. 4 enumerat Berti. 2. Poſt Concilium Epheſinum plena erat, & ubique recepta peccati originalis fides, quam rurſus confirmarunt Patres Tridentini ſeſſ. 5 can. 2 his verbis : *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non etiam ejus propagini aſſerit nocuiſſe &c. anathema ſit.* 3. S. Auguſtinus, qui primus machinationibus Pelagii & Cæleſtii ſe oppoſuit, pro veritate Catholica lib. 1 contra Julianum cap. 3 præter 14 epiſcopos orientales citavit Patres 12, Irenæum, Cyprianum, Hilarium, Ambroſ. Chryſoſt. &c. quorum textus adducit. His addi poſſunt Juſtinus, & Tertullianus, quorum prior adverſus hæreſes cap. 20 ait : *Quemadmodum per inobedientiam unius hominis peccatores facti ſunt multi, & amiſerunt vi-*

vitam, ita oportuit per obedientiam unius hominis justificare multos & percipere salutem. Posterior lib. 3 de testim. animæ sic loquitur: *Adam in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit.* Conf. Quia Ecclesia tam ante quam post Pelagium judicavit, omnibus necessarium esse baptismum juxta illud Joann. 3 v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Dicendum 2. Peccatum originale est pec- 211
catum proprie dictum, & singulis Adæ posteris proprie inhæret, adeoque Adamus non tantum nocuit exemplo & imitatione. Nam 1 juxta S. Scripturam omnes in Adam peccaverunt, & nascuntur immundi: adeoque proprie constituuntur peccatores, sicut per obedientiam Christi proprie justificantur; quippe inter hæc duo Apostolus ad Rom. 5 v. 19 instituit comparationem: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatoris constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituentur multi.* 2. Concilium Tridentinum can. cit. anathematizat asserentem, *Adamum mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod est mors animæ.* Idem jam anno 529 statuerat Arausicanum II can. 2, & ita peccatum originale semper intellexerunt Patres. 3. Exemplum Adæ nec potuit nocere infantibus, nec illis adultis, qui innumeri de peccato Adami nihil audiverunt. Quomodo ergo isti in Adamo peccaverunt? cur innocentes sentiunt mortem, aliasque pœnas peccati originalis? nempe ut S. Basilius de laudibus jejunii ait: *Quia non jejunavimus (in Adamo) exulamus a paradiso.* Conf. Si Adamus tantum nocuisset exemplo, peccatum potius in mundum intrasset per

Evam,

Evam, vel diabolum, ut notat S. Augustinus epist. 89 ad Hilarium.

212 Dicendum 3. Ex posteris Adæ illi omnes & soli (intelligo semper absque speciali privilegio) in Adamo peccaverunt, qui ab illo descendunt per viam generationis naturalis. Nam 1 S. Scriptura immunditiam peccati originalis adscribit seminali generationi: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* & ratio est, quia Adam, in quo omnes peccaverunt, fuit tantum Protoparens & caput morale illorum, qui per naturalem generationem ab ipso descendunt; hinc Tridentinum sess. 6 cap. 3 ait: *Homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti.* Idem indicat S. Augustinus lib. 16 de civit. cap. 27: *Secundum communem generis humani originem omnes in uno illo testamentum Dei dissipaverunt.* 2 Apostolus expresse ait, quod in Adam omnes peccaverint, & hinc baptismus omnibus est necessarius tum adultis, quam parvulis, sive deinde nascantur ex parentibus fidelibus sive infidelibus, non solum ad regnum cœlorum, ut nugantur Pelagiani, sed ad delendum peccatum originale. Quid enim aliud significat forma baptismi, quam ablutionem a peccato? quid denotant exorcismi, adjuratio dæmonis &c.? Quando unquam Scriptura facit discrimen inter vitam æternam & regnum cœlorum? Hinc rursus Tridentinum loc. cit. anathema dicit illi, *Qui dixerit parvulos, etiamsi a parentibus baptizatis orti fuerint, nihil ex Adamo trahere originalis peccati, quod generationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam.*

213 Dixi. Qui per viam naturalis generationis ab Adamo descendunt, non quasi anima generetur ex traduce, aut ipsum semen ab Adamo propagatum physice ac realiter peccatum origina-

ginale jam contineat, vel producat, ſed quatenus anima, quando infunditur tali corpori, conſtituit una cum corpore talem hominem, cujus voluntas voluntati Adami tanquam capitis, in ordine ad præceptum de non comedendo fructu vetito, fuit alligata, ut quæſtione ſequente exſplicabitur. Neque enim ſemen eſt inſtrumentum phyſicum ad traducendum peccatum originale, ſed tantum inſtrumentum morale vel potius aliqua conditio. Unde omnino rejicienda eſt opinio Lutheri, Calvini, & Janſenii, quod peccatum originale quaſi ex natura rei per libidinem ſeu concupiſcentiam, ſeminali generationi naturaliter conjunctam, in poſteros propagetur, ferme ſicut podagra aliique id genus morbi a parentibus transfunduntur in liberos; nam imprimis licet aliquis non deſcenderet ab Adamo, ideo non generaretur ſine libidine & concupiſcentia, quia hæc ex naturali hominis temperamento exſurgit: ſi vero viciſſim duo conjuges de facto ex ſpeciali gratia ſine ardore libidinis generarent, nihilominus proles deſcenderet ab Adamo, in quo omnes peccaverunt. Dein quid ita potuiſſet inficere & corrumpere ſemen omnium hominum? Profecto peccatum Adami ex natura ſua non habuit tantam vim phyſicam; eſus vero pomi omnino ex ſe erat indifferens, & ſolum malus, quia a Deo prohibitus.

Colliges 1. Peccatum originale nihil pertinere ad Chriſtum, quia non deſcendit ab Adamo per viam generationis naturalis. 2. Ob eandem rationem illud non contraxit Eva, licet perſonaliter peccaverit. 3. Cain & Abel, ſi nati fuiſſent, antequam Adam peccavit, non fuiſſent infecti macula originali, quia non deſcendiſſent ex Adamo tanquam peccatore. 4. 214

Mul-

Multo minus illam contraheret homo, qui crearetur ex nihilo, vel miraculose produceretur absque semine humano. 5. Etsi Eva peccaverit, ideo nullum ex ipsa contrahimus peccatum, quia solus Adam constitutus fuit caput morale generis humani, quod nostram personam sustinuit; hinc quando Eccles. 25 v. 33 dicitur: *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes moriuntur*; sensus tantum est, quod mulier fuerit causa impulsiva peccati Adami. 6. Alia peccata Adami distincta ab esu fructus vetiti, etsi quædam commisisset, non fuissent transfusa in posteros, & multo minus in illos transfunduntur peccata aliorum parentum, quia Adam tantum fuit constitutus caput posterorum relate ad hoc præceptum: *In quocunque die comederis, morte morieris*, Genes. 2 v. 17; quod enim Deus in persona Adami naturæ humanæ omnia alia præcepta imposuerit nulla sufficiente ratione probat Card. Gotti tom. 6 q. 7 dub. 4. Præterea tali modo longe magis commendatur bonitas Dei, quam si justitia originalis totius generis humani dependisset ab observatione omnium præceptorum gravium.

Objectiones.

215 Obj. 1. Nemo debet portare iniquitatem alienam; sed hoc fieret, si posteri ex Adamo traherent peccatum originis; ergo. Maj. Prob. ex Scriptura, quæ passim dicit: Deum unicuique reddere secundum opera sua. *Filius non portabit iniquitatem patris*, Ezech. 18 v. 20. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis*, 2 ad Cor. 5 v. 10. Conf. Ubi non est lex, nulla prævaricatio; sed infantes non sunt capaces legis; ergo. Resp. Dist. Maj. si peccati alieni non est parti-

participeps, Conc. Maj. secus, Neg. Maj. Imo posteri non tam portant iniquitatem Adami, quam propriam, quia omnes in Adamo peccaverunt. Ad probationem dico, Scripturam in citatis & similibus locis agere de peccatis personalibus hominum adultorum, quorum alii non sunt participes. Præterea illa verba: *Ut referat unusquisque propria corporis*, non sunt exclusiva; nec enim dicitur, ut referat unusquisque tantum propria corporis. Ad Conf. Conc. Maj. Dist. min. infantes non sunt capaces legis, quam possint violare voluntate physice propria, Conc. min. quam possint violare voluntate moraliter propria, Neg. min. Quomodo voluntas Adami moraliter fuerit voluntas posterorum, inferius exsplicabitur.

Dices 1. Quando Apostolus ad Rom. 5 v. 216
12. ait, quod omnes in Adamo peccaverint, non loquitur de peccato originali, sed actuali; nam ita pergit v. 13: *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset*; & v. 14: *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*. Jam sic: Peccatum, quod ante legem Moysis non imputabatur, postea autem imputatum est, non est peccatum originale; nam hoc semper fuit imputatum: ergo Apostolus tantum loquitur de peccato actuali; non enim est credibile, quod in eadem orationis serie peccatum in sensu tam diverso accipiat. Conf. Si mors Adami regnavit etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ; mors non est effectus peccati originalis: ergo. Resp. Neg. Ant. ad prob. imprimis Neg. Ant. Nam ut S. Augustinus lib. 6 contra Julian. cap. 4 ait: peccatum originale ante legem non imputabatur (id est vix, ac ne vix qui-

dem æſtimabatur) quia non cognoſcebatur; per legem enim cognitio peccati. Dein Neg. Conſ. Nam dici poteſt, quod Apoſtolus ipſum peccatum originale probet, partim ex peccatis actualibus, quibus homines abrepti ſunt, cum illa parum æſtimarent, ut indicatur Job. 21 v. 14, partim ex morte, qua ipſi etiam infantes affliguntur, quod non contigiſſet, ſi Adam non peccaſſet; tunc enim poſteri non ita in peccatum fuiſſent proni, nec infantes mortui. Hinc ad Conf. ſenſus eſt, quod mors regnaverit etiam in eos, qui non peccaverunt perſonaliter.

217 Dices 2. S. Paulus in eodem cap. v. 15 ſic habet: *ſed non ſicut delictum ita & donum: ſi enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei in plures abundavit.* Ergo plures receperunt gratiam Chriſti, quam mortui ſunt per peccatum Adami: ergo tantum nocuit per imitationem. Conf. v. 19 ait: *Per unius hominis inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi.* Atqui per peccatum Adami omnes conſtituti fuiſſent peccatores, ſi non tantum per imitationem nocuiſſet: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Vox *multo magis* non ſignificat pluralitatem hominum, ſed gratiarum & beneficiorum: nec to *plures* ſumitur comparative, ſed idem ſignificat ac multos, ut legitur in textu græco Εἰς πολλὰς. Unde ſenſus eſt, quod Redemptio Chriſti utilior ſit, quam peccatum Adami fuit perniciosum; nam licet per peccatum Adami omnes incurrerint mortem corporis & animæ; tamen redemptio Chriſti multos, quibus fuerit applicata, non ſolum a peccato originali, ſed etiam a multis perſonalibus liberat, & inſuper maximam gratiarum ac meritorum copiam nobis confert. Ad Conf. Sicut omnes homines ſunt multi, ita hic multi ſignificat omnes, ut col-

colligitur ex verbis præcedentibus : *In quo omnes peccaverunt*, & modo loquendo Scripturæ. Sic Chriſtus dicitur mortuus pro multis, & pro omnibus. Abraham multarum gentium Pater, & quod omnes gentes in ipſius ſemine ſint benedicendæ : adde quod Chriſtus & Eva non ſint peccatores per Adamum, adeoque non omnes omnino.

Dices 3. Apoſtolus v. 18 immediate prius 128
dixerat : *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem* : vel ut 1 Cor. 15 v. 22 ſe exſpicat : *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur.* Atqui non omnes in Chriſto juſtificationem participant, & vivificantur : ergo. Conf. Generatio non tantum fit per unum, ſed per duos marem videlicet & fœminam : ergo cum peccatum dicatur intraſſe per unum hominem, non contrahitur per generationem naturalem. Reſp. Conc. Maj. Diſt. min. non omnes juſtificationem participant & vivificantur in actu 2do, Conc. min. in actu primo, Neg. min. In hoc textu juxta S. Auguſtinum lib. 1 de nuptiis cap. 27 rurſus non fit comparatio inter numerum mortuorum & vivorum, ſed inter cauſam damnationis in Adam, & cauſam vivificationis in Chriſto, quatenus ſine Adamo nullus ad mortem damnatus eſt, & ſine Chriſto nullus ad vitam perveniet. Sic de litterarum magiſtro, ſi in civitate ſolus eſt, dicimus, hic omnes litteras docet, non quia omnes diſcunt, ſed quia nemo, niſi ab ipſo. Unde ſenſus eſt : omnes, qui juſtificabuntur, in Chriſto juſtificabuntur. Ad Conf. Idem S. Doctor lib. 2 operis imperfecti cap. 5 reſpondit Juliano : ſi peccatum imitatione propagaretur, Paulus non dixiſſet per unum, ſed per unam. In forma Conc. Ant.

Neg. Conf. Tum quia vir & mulier funt una caro, & initium generationis a viro eft: tum quia non Evæ, fed Adami peccatum in pofteros transfunditur.

219 Dices 4. Saltem infantes parentum fidelium non inficiuntur peccato originali; nemo enim dat, quod non habet; hinc 1 ad Cor. 7 v. 14 dicitur: *Sanctificatus eft vir infidelis per mulierem fidelem, & fanctificata eft mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii veftri immundi effent: nunc autem fancti funt.* Conf. David Pfal. 50 v. 7 de fe ipfo ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus fum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ergo peccatum in generatione contractum non eft originale; nam hoc eft unicum. Refp. Neg. Ant. rationem additam Dift. nemo dat per modum caufæ, quod non habet, Conc. per modum conditionis, qua pofita fit transfufio peccati originalis, Neg. in textu addito vox *immundi* fignificat idem, quod illegitimi, & vox *fancti* idem, ac legitimi, vel ad fummum denotatur fanctitas quædam moralis propter fidem unius parentis per baptismum Deo confecrati. Nam filii dicuntur fancti in eo fenfu, quo vir infidelis fanctificatur per mulierem fidelem, quæ fanctitas tantum eft moralis. Sane David dicit fe conceptum in peccato originali, licet natus fuerit ex parentibus fidelibus. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. textus Hebraicus, Syriacus, Arabicus habet in iniquitate & peccato. Septuaginta autem illum vertunt in plurali, tum quia peccatum originale eft multiplex transfufione, tum quia eft fons & origo aliorum peccatorum perfonalium.

220 Obj. 2 auctoritas Patrum. Inter hos S. Chryfoftomus Homil. 17 in epift 1 ad Cor. fic loqui-

loquitur : *Quid igitur faciam inquis ? propter illum* (Adamum) *pereo. Minime propter illum: neque enim tu sine peccato permansisti.* Homil. 39 in eandem epist. *Num omnes in Adam morte peccati mortui sunt ? quomodo ergo Noe vir justus in generatione sua ? quomodo Abraham ? quomodo Job ?* Conf. Homil. 4. in epist. adEphes. docet : *Primi hominis peccatum corrupisse corpus, quod autem post lavacrum fit, etiam animam corrumpere.* Resp. S. Pater primo loco alloquitur baptizatos, qui non amplius possunt perire propter peccatum Adami, sed tantum propter peccata personalia. In 2do solum negat homines in Adamo mortuos esse morte finali, & irreparabili, cum Noe, Abraham in sua generatione, id est, in sua posteritate vel toto vitæ decursu justi fuerint ; hinc licet mors corporis non possit evitari, evitabilem tamen esse mortem animæ. Ad Conf. tantum docet, quod propter peccatum Adami corpus necessario sit corrumpendum ob necessitatem mortis ; animam vero post baptismum non debere necessario corrumpi morte peccati, licet corrumpi possit per peccata personalia.

Dices 1. Idem S. Pater Homil. 10 in epist. 221
ad Rom. ita habet : *Videtur quæstionem non parvam habere, quod dictum est* (nempe multos ob unius inobedientiam peccatores constitutos) *illo enim peccante & mortali effecto, & qui ex eo orti sunt, eos tales esse nihil absurdum est. At ex illius inobedientia alterum peccatorem exstitisse, id, quam obsecro, congruentiam & consequentiam habet ? Quid igitur hoc loco verbum hoc* (peccatores) *significat ? quantum illud : supplicio obnoxii & mortis rei, quod Adamo mortuo omnes sunt mortales effecti.* Ergo peccatum Adæ tantum induxit mortem corporis. Conf. Homil. ad Neophitos ait : *Infantulos baptizari, quam-*

vis non ſint inquinati peccato, ut eis addatur ſanctitas & juſtitia. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. S. Doctor tantum vult, quod parvuli per peccatum Adami non poſſint conſtitui perſonaliter, & actualiter inobedientes, licet perſonaliter mortales facti ſint. Interim ipſemet aſſerit, eſſe illos reos, & ſupplicio obnoxios, quod eſt, ut S. Auguſtinus lib. 16 de civit. ait, eſſe peccatores originaliter, & habitualiter. Ad Conf. In græco vox *peccatum* ponitur in plurali, adeoque perſonaliter denotat. Verbum: *addatur*, autem ſumitur pro conferatur. Nam S. Chryſoſtomus tum in hac, tum in Homil. 10 in epiſt. ad Roman. clare docet peccatum originale, hinc etiam ab ipſo S. Auguſtino lib. 1 contra Julian. cap. 2 ab errore Pelagiano fuit vindicatus.

222 Dices 2. Tertullianus lib. 1 de anima cap. 3 inquit: *Nulla fere nativitas munda eſt, utique Ethnicorum: hinc enim Apoſtolus ex ſanctificato alterutro ſexu ſanctificatos procreari ait tam ex ſeminis prærogativa, quam ex inſtitutionis diſciplina:* & lib. de baptis. cap. 18, *Veniant ergo, dum adoleſcunt -- quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum.* Conf. S. Gregorius Nyſſen. in orat. de infantibus præmatura morte abreptis ita exclamat: *O altitudo, puellus, infans, ſimplex, omnis malitiæ expers, ſanitate, quæ per purgationem contingit, non indigens:* ergo parvuli non contrahunt peccatum originale. Reſp. Tertullianus lib. de anima ſolum contendit, quod nativitas Ethnicorum infantium ſit ſpecialiter immunda propter ſuperſtitiones in ea uſitatas; filios vero Chriſtianorum naſci ſanctos, id eſt, deſtinatos ad ſanctitatem & ſalutem, quod enim naſcantur peccatores, aperte docet cap. ſequenti. In libro de baptismo ex

ex contextu patet, quod putaverit baptismum extra periculum mortis melius differri ad annos discretionis, ut meliore cum fructu suscipiatur. Porro ut S. Augustinus advertit, etiam nos parvulos vocamus innocentes, quin negemus eos originali noxa vitiatos. Ad Conf. S. Gregorius loquitur de infantibus baptizatis, & de purgatione pœnitentiæ a peccatis personalibus.

Dices 3. S. Clemens Alexandr. lib. 3 Strom. 223 sic ait: *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus? vel quando sub Adæ cecidit execrationem, qui nihil operatus est.* Theodoretus in libris hæreticarum fabularum non meminit hæresis, quæ negat peccatum originale & textus Scripturæ, quibus illud probatur, exponit, ut Pelagiani, quibus etiam in multis locis favet Origenes lib. 5 commentar. in epist. ad Rom. Justinus martyr q. 88. Item Ambrosius, & Hieronymus in epistolas S. Pauli. Resp. Libri Stromatum Clementis a Gelasio Papa numerantur inter apocryphos, nec textus objectus videtur aliud velle, quam quod infans non ita ceciderit sub execrationem Adæ, ut jam antea personaliter peccaverit, quemadmodum dicebant Tatiani, contra quos hic agit: nam ipsemet lib. 1 pædagogi cap. 7 peccatum originale adstruit. Idem fecit Theodoretus in cap. 5 epist. ad Rom. neque probari potest, quod omnes textus Scripturæ exposuerit juxta mentem Pelagianorum. De auctoritate Origenis non multum laboro, cum aliunde constet, quod fuerit primus magister Pelagianorum; quamquam, utrum etiam negaverit peccatum originale, dubium sit, & ab hac labe a multis vindicetur. In 88 quæstionibus Justini citatur Origenes & Irenæus, cum tamen uterque Justino sit posterior. Commentarii in epistolas S. Pauli, qui adscribuntur Ambrosio, sunt ab Hilario quodam

Luciferiano ; qui vero tribuuntur Hieronymo, probabilius ab ipso Pelagio scripti sunt.

224 Obj. 3. Zosimus Papa approbavit libellum fidei Cælestii tanquam Catholicum : ergo vel non est hæresis peccatum originale negare, vel Pontifex erravit in quæstione fidei ; neque tantum ut doctor privatus, quia ad ipsum appellatum est tanquam summum in re dogmatica judicem. Conf. Idem Pontifex approbavit professionem fidei a Pelagio ad Innocentium missam. Resp. Quamvis ex litteris Zosimi ad Episcopos Africanos solum colligere potuerim, quod Pontifex Pelagium & Cælestium defenderit tanquam Catholicos, quia tamen S. Augustinus lib. 2 contra duas epistolas Pelagianorum cap. 3 ait, libellum Cælestii Catholicum dictum esse, ad mentem S. doctoris Dist. Ant. Zosimus approbavit libellum quoad maximam partem, & relate ad mentem Cælestii, Conc. Ant. absolute, & quoad omnia, Neg. Ant. & Cons. Zosimus libellum Cælestii non approbavit ratione omnium propositionum, quæ in illo continebantur, sed ratione articulorum symboli in eo expositorum, & ratione animi, quem in illo præseferebat Cælestius, asserendo, se doctrinam suam Apostolicæ sedis judicio subjicere. Ad Conf. Professio fidei Pelagiana in sensu obvio, & litterali tota erat Catholica, quamvis ipse multa in pravo sensu intellexerit. Præterea Pelagius hanc professionem animo Catholico a se fuisse scriptam declaravit hac clausula : *In qua si minus perite, aut parum caute aliquid positum est, emendari cupimus a te, qui Petri & fidem & sedem tenes.*

225 Dices 1. Libellus Cælestii expresse continebat errorem negantem peccatum originale : ergo Pontifex dicendo libellum esse catholicum approbavit hunc errorem. Conf. Si ad approbationem libri sufficeret, quod auctor suam doctri-

ctrinam ſubjiciat judicio Pontificis, tanquam Catholicus approbari poſſet quilibet liber, graviſſimos errores continens, e. g. Auguſtinus Janſenii. Reſp. Libellum Cæleſtii non amplius exſtare, niſi ſecundum quædam fragmenta, quæ ex libris S. Auguſtini eruuntur; hinc rurſus ad illius mentem Diſt. Ant. Libellus continebat hunc errorem per modum dubii, de quo Cæleſtius ſedem Apoſtolicam conſulebat, & inſtrui volebat, Conc. Ant. per modum doctrinæ, cui adhæreret, Neg. Ant. *Cum hoc Cæleſtius*, inquit loc. cit. S. Auguſtinus, *in ſuo libello poſuiſſet inter illa duntaxat, de quibus ſe adhuc dubitare, & inſtrui velle confeſſus eſt -- voluntas emendationis, non falſitas dogmatis approbata eſt; & propterea libellus ejus catholicus dictus eſt.* Ad Conf. Diſt. Ant. niſi errores contineat abſolute, Tranſ. Ant. ſecus, Neg. Ant. Error Pelagii circa peccatum originale nondum ab aliquo Concilio generali aut Pontifice tanquam hæreticus clare fuerat damnatus. Nam Innocentius I in ſuis litteris ſolum ſtabilierat neceſſitatem gratiæ & baptiſmi ad vitam æternam; cæteros modos loquendi Cæleſtii ſolum dixit parere noxias, & frivolas quæſtiones.

Dices 2. Zoſimus ſaltem retractavit ju- 226
dicium Conciliorum Africanorum, & Innocentii I, a quibus Pelagium & Cæleſtium damnatos fuiſſe bene noverat. Conf. Hoc ipſo, quod Pelagium & Cæleſtium judicaverit eſſe Catholicos, erravit, & implicite approbavit eorum hæreſes: ergo. Reſp. Neg. Ant. Quamvis Cæleſtius ad inſtantiam Zoſimi noluerit retractare, quæ illi a Paulino in Concilo Cartaginenſi objecta fuerant, quia videlicet ea ſibi falſo objecta contendebat; tamen, ut inquit S. Auguſtinus, *Beati Papæ Innocentii litteris non auſus eſt obſiſtere, imo ſe omnia, quæ ſedes illa damnarat,*

damnaturum esse promisit : ergo Zosimus nullo modo retractavit judicium conciliorum & Innocentii, sed potius illud confirmavit : multo minus Zosimus aliquando dixit, aut scripsit, errores Pelagii de parvulis tenendos esse, ut idem S. Augustinus testatur. Ad Conf. Dist. Ant. erravit in quæstione meri facti, Conc. Ant. in quæstione dogmatica, Neg. Ant. Zosimus Pelagium & Cælestium judicavit esse Catholicos, quia credidit illos sincere rejicere errores sibi objectos, adeoque neque implicite istos errores approbavit, neque ipsius error ullo modo cum errore contra fidem fuit connexus.

227 Dices 3. Tamen Zosimus acriter reprehendit Patres Africanos, eosque intra duos menses jussit causam dicere Romæ : ergo retractavit illorum judicium. Conf. Facundus Hermianensis lib. 7 cap. 3 scribit : *Invenient beatum Zosimum contra sancti Innocentii decessoris sententiam fidem Pelagii, ejusque complicis Cælestii tanquam veram & catholicam laudantem.* Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Africani non fuerunt reprehensi, quod erraverint in judicanda quæstione fidei, sed quod nimis faciles aures præbuerint accusatoribus Pelagii & Cælestii, qui tamen ut ipsemet Pontifex, nimis credulus putabat, solum erraverant in modo loquendi, & quæstiones quasdam novas ac vanas ad fidem non pertinentes excitaverant. Imo neque circa personas judicium Afrorum retractavit, sed causam suspendit, quin a vinculo excommunicationis interea hæreticos absolverit. Profecto verba sunt S. Augustini, *quidquid interea lenius actum est cum Cælestio, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio exitiosissimæ pravitatis.* Hinc ipse Zosimus dolis detectis tulit damnationis sententiam. Ad Conf. Facundus tantum vult, Pontificem ex errore facti existimasse,

maſſe, Pelagium & Cæleſtium eſſe Catholicos; nam addit: *Neque Palæſtinos Epiſcopos, neque Zoſimum hæreticos ab Eccleſia credi, quia de hæreticis bene ſenſerant, ſed potius pro merito ſuæ fidei Catholicos honorari; quoniam non debet crimini deputari ſimplicium non intellecta verſutia malignorum.*

Obj. 4. Si homines per naturalem genera- 228
tionem procreati inficerentur peccato originali, illud eſſet vitium naturale; hoc non poteſt dici; quia alias caro ex natura ſua eſſet mala; imo diabolus fieret conditor hominum; neque enim Deus vellet illos condere, ut ſub poteſtatem dæmonis redigantur. Conf. Vel peccatum originale eſſet a voluntate, vel a natura? ſi primum, voluntas eſt mala: ſi ſecundum, natura eſt mala, quia arbor bona non poteſt malos fructus facere. Reſp. Diſt. Maj. eſſet vitium naturale, id eſt, quod omni homini per generationem naturalem ab Adamo deſcendenti ineſt, Conc. Maj. quod eſt pars vel proprietas naturæ humanæ, Neg. Maj. Peccatum juxta nos non oritur neceſſario ex natura humana, ut erraverunt Manichæi, ſed ex libera hominum voluntate; hinc natura neutiquam ex ſe eſt mala, & a dæmone condita, ſed quamvis Deus non fecerit, ut homines nati ſub poteſtatem dæmonis redigantur, id tamen juſtiſſime potuit permittere. Ad Conf. Conc. Maj. Neg. min. & dico, peccatum eſſe a voluntate, ſed libera; unde licet voluntas in ſe ſit bona, & ut bona nequeat malos fructus facere, poteſt tamen malos fructus facere, quia defectibilis & libera.

Dices 1. Saltem tali modo nuptiæ & uſus 229
matrimonii eſſet malus; quippe parentes eſſent cauſa peccati originalis, quod daretur in prole; ſed hoc aperte repugnat doctrinæ Apoſtoli 1 ad Cor. 7 v. 9 & ſeq. Conf. Parentes per generationem

nem proli causarent grave malum, quia illam redderent dignam odio divino & privatione æternæ beatitudinis; sed hoc repugnat charitati erga proximum. Resp. Neg. sequelam, rationem additam Dist. essent causa peccati originalis per accidens, Trans. per se, Neg. Posteri in Adamo revera jam peccarunt, antequam nascuntur, quod autem peccatum originale actu contrahant, non sequitur ex generatione per se & tanquam causa a priori, sed mere per accidens, cum ejusmodi generatio etiam data fuisset in statu naturæ integræ; hinc parentes, ne quidem proprie sunt causa, cur peccatum originale contrahatur. Ad Conf. Dist. Maj. parentes proli causarent grave malum per accidens & involuntarie, Conc. Maj. per se & voluntarie, Neg. Maj. Cum enim generationem non teneantur impedire, sed suo jure utantur, peccatum originale neque directe, neque indirecte volunt. Adde, quod hoc damnum prolis compensetur bono simpliciter majore; nam posito, quod proles in Adamo jam peccaverit, est ipsi melius existere, quam omnino non existere, præsertim cum ab hoc peccato facile possit liberari, & vitam æternam consequi; quod si per accidens moriatur ante deletum peccatum, id non potest imputari parentibus.

230 Dices 2. Licet generatio tantum per accidens sit connexa cum peccato prolis; est tamen de facto conditio ad contrahendum peccatum originale: ergo parentes tamen peccarent ponendo talem conditionem. Sic qui causat scandalum pusillorum, peccat, licet illud tantum per accidens cum sua actione sit connexum, & ab illo non intendatur. Imo, cum hoc peccatum sequatur ex actu præterito Adami, ille adhuc toties peccaret, quoties nascitur infans. Conf.

In

In generatione non peccat ille, qui nascitur, non ille, qui generat, non Deus, qui condit: per quas igitur rimas ingreditur peccatum? Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Exemplum additum potius est pro nobis; nam sicut ille, qui pusillis dat scandalum, non peccat, si utitur jure suo, & suam actionem sine gravi difficultate non potest omittere, nec omittere tenetur: sic non peccant parentes, quia utuntur jure suo, & Deus generationem prolis etiam post peccatum originale permittit, ut inde majora bona eliciat. Ad Conf. *Quid quæris?* (sunt verba S. Augustini lib. de nuptiis & concupisc. cap. 18) *rimam latentem, cum habeas apertissimam januam: per unum hominem, ait Apostolus, per unius delictum, per unius inobedientiam.* Ex quo tamen non sequitur, quod Adamus adhuc peccet, cum non amplius sit liber, nec generationem impedire teneatur.

Dices 3. Ex una parte non nascimur ex A- 231
damo secundum animam, quæ primario peccato inficitur: ex altera parte peccatum Adamo jam fuerat condonatum, antequam filios gigneret: ergo per generationem non contrahimus peccatum Adami. Conf. Prævaricatio Adæ non est efficacior redemptioe Christi, sed Redemptio Christi non prodest iis, qui non credunt: ergo nec prævaricatio Adæ nocet iis, qui actu non peccant: aut quomodo Deus parvulo innocenti poterit imputare peccatum alienum. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. ad peccatum originale contrahendum sufficit, quod homo, cujus anima est pars, oriatur ab Adamo, cui voluntates omnium posterorum erant alligatæ, ut adeo peccatum illud, quod Adam ut caput morale generis humani commisit, licet physice unum, moraliter, & æquivalenter sit totuplex, quot sunt posteri Adami; unde potuit Adamo condonari,

ut erat peccatum ipſius, quin fuerit condonatum, ut erat peccatum poſterorum, ſicut de facto per baptiſmum condonatur uni, non aliis. Ad Conſ. Licet redemptio Chriſti ſit efficacior, tamen voluntas noſtra non ita fuit alligata voluntati Chriſti, ſicut voluntati Adami: hinc peccatum originale non eſt alienum; ſed cuique proprium, imo etiam Chriſti gratia prodeſt parvulis baptizatis, licet non per ſe, ſed ſolum in aliena perſona credant.

QUÆSTIO II.

In quonam conſiſtat peccatum originale?

232 Circa hanc quæſtionem certum eſt 1, peccatum originale non conſiſtere in ipſa ſubſtantia animæ rationalis; cum enim hæc ſit ſpiritualis & incorruptibilis, nullam mutationem ſubſtantialem poteſt ſubire. Profecto animam, ſubſtantialiter transmutatam in imaginem diaboli non poſſet producere dæmon, quia ſolus Deus omnium rerum creator eſt; ſi vero Deus illam produceret, eſſet auctor peccati originalis; hinc S. Auguſtinus in Pſal. 68 ſerm. 1 ait: *Iniquitas ipſa non eſt ſubſtantia: non enim iniquitas eſt natura, quam formavit Deus, ſed iniquitas eſt perverſitas, quam fecit homo.* 2. Quod formaliter non conſiſtat in concupiſcentia, aliisque naturæ vulneribus, alias ſicut concupiſcentia, ita peccatum originale adhuc remaneret in baptizatis, & juſtificatis, quod clare eſt contra Apoſtolum ad Rom. 8 v. 1: *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto JEſu, qui non ſecundum carnem ambulant.* Hinc Concilium Trident. ſeſſ. 5 cit. anathema dicit aſſerenti, in *baptiſmate non tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet, ſed peccatum tantum radi, aut non imputari.* *Tu autem*, inquit

S.

S. Augustinus contra Jul. lib. 6 cap. 5, *qui putas, quod si malum esset concupiscentia, careret ea, qui baptizatur, multum erras, omni enim peccato caret, non omni malo.*

Certum est 3, quod peccatum originale sin- 233
gulis hominibus non tantum imputetur extrinsece, ut patet ex num. 211 & Concilio Tridentino, quod sess. 5 can. 3 definit, *peccatum quod origine unum, & propagatione, non imitatione transfusum, inesse unicuique proprium:* & sess. 6 cap. 3 statuit: *Quod homines propagatione per Adam propriam injustitiam contrahunt.* Quod autem 4 peccatum originale non consistat in concupiscentia cum reatu, seu privatione justitiae originalis, prob. 1. Quia juxta Apostolum & Tridentinum per baptismum totum id tollitur, quod propriam rationem peccati habet: ergo nulla pars peccati remanet. Imo si materiale peccati remaneret, non posset tolli formale in eo fundatum, sicut juxta adversarios manente actu adulterii non potest tolli formalis deformitas. 2. Concupiscentia est effectus consequens peccatum originale. Atqui effectus rei non potest esse ejusdem rei materia; haec enim ad formam praesupponitur, ut ipsi Adversarii iterum dicunt de peccato actuali. 3. Etiam in statu naturae purae dari potuisset peccatum originale, & tamen ibi non fuisset data privatio justitiae originalis & gratiae sanctificantis. Adde, quod peccatum originale absolute posset remitti per condonationem mere extrinsecam.

Dicendum 1. Peccatum originale est ipsum 234
peccatum Adami, quo transgressus est praeceptum non comedendi de arbore scientiae boni & mali, prout illud peccatum erat moraliter posterorum, & in illis moraliter perseverat. Ita communissima praesertim Recentiorum. Prob. Juxta Scripturam & concilia peccatum origina-
le

le est illud, per quod in uno peccaverunt omnes, seu quod origine unum est, & propagatione transfusum omnibus inest, unicuique proprium; atqui peccatum originale non esset unum in uno, & unicuique proprium, nisi consisteret in ipso peccato Adami, prout illud moraliter est nostrum. Quomodo enim alias ad posteros transfunderetur? Jam vero quod hoc peccatum fuerit transgressio præcepti de non comedendo fructu vetito, rursus colligitur ex Scriptura. *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas; in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*, Genes. 2 v. 17 & cap. 3 v. 17: *Quia audisti vocem uxoris tuæ & comedisti de ligno, in laboribus comedes &c.* Ex quibus patet, quod Adamus per comestionem fructus vetiti mortem aliaque mala in mundum invexerit; quas pœnas Apostus adscribit culpæ originali: hinc Concilium Tridentinum sess. 5 can. 1 & 2 statuit, *Adamum, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim amisisse sanctitatem, & justitiam, ac in genus humanum mortem transfudisse.*

235 Dicendum 2. Peccatum Adami fit moraliter posterorum per alligationem moralem, qua eorum voluntates alligatæ fuerunt voluntati Adami, tanquam capitis moralis in ordine ad observationem vel transgressionem dicti præcepti. Ita rursus communissima contra paucos apud Marinum. Prob. Peccatum Adami non potuit ita moraliter fieri nostrum, ut vere in Adamo peccemus, nisi aliquo modo nobis esset imputabile, consequenter voluntarium ac liberum; non physice, quia Adamo peccante nondum existimus: ergo moraliter; sed hoc non potuit aliter fieri, quam per alligationem nostrarum voluntatum ad voluntatem Adami, eo fere modo, quo

quo in humanis actio tutoris non aliter fit moraliter propria pupillo, quam per alligationem, qua pupilli voluntas alligatur voluntati tutoris in ordine ad talem actionem. Porro sicut hæc alligatio non datur ex natura rei, sed per decretum reipublicæ: sic alligatio nostrarum voluntatum ad voluntatem Adami, non præcise oritur ex hoc, quod Adam fuerit primus parens, & caput physicum posterorum; alias omnes reliquæ actiones Adami moraliter fuissent nobis propriæ: ergo hæc alligatio tandem exsplicari debet per decretum divinum, quo Deus præcepto de fructu vetito obligatum esse voluit non solum Adamum, sed in Adamo etiam posteros, ea conditione, ut si Adam servaret illud præceptum, non solum sibi servaret justitiam originalem, gratiam, aliaque dona naturæ integræ, sed illa etiam posteris transmitteret; si vero transgrederetur præceptum, transgressio hæc omnibus esset communis, ac proin per eam sibi & posteris illa dona perderet, simulque cum ipsis evaderet dignus odio & indignatione divina.

Profecto decretum hoc alligativum fuit 1 justum, quia Deus ratione perfectissimi dominii, quod ipsi competit in omnes creaturas, habuit jus, & plenissimam potestatem faciendi ejusmodi alligationem. 2. Conveniens, quia omnino decebat, ut justitia originalis, gratia sanctificans &c. tanquam dona præstantissima non obtruderentur hominibus, sed concederentur aliquo modo consentientibus & merentibus; cum igitur posteri voluntate physice propria tunc consentire non valerent, neque expediret, ut exspectaretur singulorum ætas adulta, eoquod plurimi ante illam moriantur, convenientissimum erat, ut omnium voluntates alligarentur voluntati Adami tunc existentis in ordine ad ista do- 236

na promerenda, vel amittenda. 3. Ipsis posteris antecedenter optabile; quia longe major erat spes, quod Adam præceptum tam facile esset observaturus, cum fuerit sapientissimus & nullus alius tot ac tantis naturæ & gratiæ donis fuisset instructus saltem initio usus rationis, excepto Christo ejusque divina Matre. Quod autem consequenter & ex suppositione lapsus hoc decretum non amplius sit optabile, est per accidens. Sic etiam alia dona tum naturalia, tum supernaturalia, licet per accidens ex abusu hominum funestum sortiantur exitum, de se & antecedenter sunt exoptabilia, ac magna beneficia Dei, qui per illa serio bonum nostrum intendit.

237 Colliges 1. Posteri in Adamo peccarunt tunc, quando actu peccavit ipse Adamus, proprie tamen loquendo non contrahunt peccatum originale ante suam existentiam physicam, quia macula peccati tunc primum ipsis actu inesse incipit. 2. Peccatum originale, in quantum est actuale, physice consistit in peccato Adami, & alligatione voluntatis posterorum; nam his solis intellectis jam intelligitur peccatum originale actuale, descensus autem naturalis ab Adamo tantum est terminus extrinsecus a voluntate Dei alligativa essentialiter respectus; existentia vero posterorum est subjectum, quod denominatur odio divino dignum, non pars peccati originalis considerati in abstracto. 3. In quantum peccatum originale est habituale præter peccatum actuale præteritum, & alligationem voluntatum involvit negationem remissionis & condignæ satisfactionis singulis posteris applicatæ, sicut num. 199 dixi de peccato personali. 4. Nostra sententia multum differt a sententia Pighii & Catharini; nam juxta nos peccatum originale est revera multiplex, & cuique intrinsecum ita, ut in

in quolibet remanere, vel tolli possit, quin remaneat vel tollatur in aliis; quippe prout est habituale in singulis realiter distinguitur saltem inadæquate a peccato aliorum; prout enim moraliter perseverat in Petro, involvit negationem remissionis factæ Petro, & prout perseverat in Paulo, involvit negationem remissionis factæ Paulo.

Objectiones.

Obj. 1. Peccatum originale a S. Scriptura vocatur *Figmentum cordis humani*, Genes. 8 v. 21: *Vetus homo & corpus peccati*, ad Rom. 6 v. 6: ergo non consistit in peccato Adami. Conf. Per peccatum Adami in homine destructa est imago Dei, & similitudo cum Deo: ergo per illud natura humana physice fuit immutata. Resp. Neg. Ant. Scriptura in objectis locis loquitur metonymice ponendo causam pro effectu, ut sæpe facere solet. Quid enim est scrutari renes, cor effundere &c. quam locutio metonymica? Itaque per figmentum cordis humani intelliguntur operationes, quas cor in se fingit, & a quibus accidentaliter malum denominatur; hinc Vulgata non legit *figmentum* sed: *sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt.* Similiter per veterem hominem & corpus peccati significatur vita & actiones veteres concupiscentiæ, a quibus per baptismum & gratiam Christi purgati sumus, *ne ultra serviamus peccato*, ut ibidem Apostolus subdit. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. In homine datur duplex imago Dei, una per naturam, altera per gratiam: posteriorem amisimus per peccatum Adami; prior per illud quidem maculata, non tamen substantialiter mutata est; hinc quando Christus Joan. 8 v. 44 ad Pharisæos dixit: *Vos*

M 2 ex

ex patre diabolo estis, sensus non est, quasi a diabolo fuerint geniti, sed quia ipsius opera fuerunt imitati.

239 Dices. Peccatum originis est fons, & origo omnium peccatorum; nam Apostolus ad Rom. 7. v. 8 dicit: *Peccatum in se operatum esse omnem concupiscentiam*; atqui fons & origo peccatorum est cor sive anima rationalis: ergo. Conf. S. August. lib. 1 de nuptiis & concupiscentia cap. 25, dicit peccatum originale esse *malam quamdam qualitatem, languorem, & morbidum carnis affectum*. Item lib. 5 contra Julian. cap. 4 asserit, *Animam in corpore vitiari, tanquam in vase vitiato*. Resp. Dist. Maj. est fons & origo omnium peccatorum tanquam removens impedimenta peccatorum, Conc. Maj. tanquam per se influens in peccata, Neg. Maj. In baptizatis peccatum originale deletum est, & tamen in illis adhuc manet principium ad peccandum inclinans, nempe concupiscentia; unde peccatum originale peccata actualia solum causat privative, quatenus nos privavit justitia originali, quæ rebellionem concupiscentiæ contineret. Ad Conf. S. Augustinus lib. de nuptiis non agit de peccato originali formaliter accepto, sed de concupiscentia, quæ est illius effectus, & manet etiam in baptizatis. Contra Julianum non loquitur assertive, sed dubitative, dicens vel animam simul cum corpore per generationem ex Adamo deduci, vel saltem animam in corpore corrumpi, in quantum in illo inficitur peccato originali. Addit: *Quid autem horum sit verum, libentius disco, quam dico, ne audeam docere, quod nescio.*

240 Obj. 2. S. Paulus sæpe dicit peccatum originale esse ipsam concupiscentiam. Sic ad Rom. 7 v. 23 ait: *Video aliam legem in membris meis captivantem me in lege peccati, quæ est in membris*

bris meis. Hinc etiam S. Augustinus lib. 1. de nuptiis cap. 32 docet, hanc legem peccati ante baptismum ita esse in prole, ut etiam reatus ejus cum illa sit, qui eam teneat æterni supplicii debitorem, quamvis hic reatus concupiscentiæ per baptismum remittatur, & evacuetur, ut advertit lib. 6 contra Julian. cap. 17. Resp. Concupiscentiam ab Apostolo vocari peccatum, non quasi illa peccatum originale formaliter aut materialiter constituat, sed improprie, & metaphorice, in quantum est effectus peccati originalis, & ad peccata actualia inclinat, ut definit Concilium Tridentin. sess. 5 can. 5 : *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Unde etiam S. Augustinus non vult, quod reatus, qui ante baptismum cum concupiscentia conjunctus est, oriatur a concupiscentia, aut in illa fundetur; sed ut ipsemet lib. cit. de nuptiis cap. 23 ait: *Concupiscentia vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum; sicut vocatur linguæ locutio, quam facit lingua.*

Dices. Juxta S. Augustinum ipsa concupi- 241
scentia est peccatum; nam lib. 1 de nuptiis cap. 23 ait; *Hæc concupiscentia, quæ solo Sacramento expiatur, profecto peccati vinculum trajicit in posteros, nisi ab illo & ipsi regeneratione solvantur.* Consonat S. Thomas, qui sæpe concupiscentiam vocat materiale peccati originalis. Conf. Juxta Concilium Tridentinum & S. Augustinum loc. cit. concupiscentia non amplius est peccatum in renatis: ergo in non renatis est peccatum. Resp. Neg. Ant. Neque enim S. Doctor vult, quod ipsa concupiscentia baptismo expietur, alias non maneret in baptizatis, sed effectum accipit pro

causa, & solum indicat, peccatum originale non traduci præcise per generationem naturalem, quæ etiam in statu innocentiæ data fuisset, sed per generationem naturalem ex natura corrupta, cujus indicium est ardor libidinis. S. Thomam ex ipsis Thomistis quidam cum Sylvio exponunt de materia peccati improprie, & secundum similitudinem, in quantum effectus comparari solet ad suam causam; quia ipsemet 1. 2 q. 83 art. 2 ad 4. ait: *Concupiscentia se habet ex consequenti in peccato originali.* Ad Conf. Dist. Ant. non amplius est peccatum, id est, non amplius est effectus peccati, quod manet imputabile, Conc. Ant. in alio sensu, Neg. Ant. & Conf. Argumentum simile est huic: In iis, qui in gratia sunt confirmati, nihil odit Deus: ergo in iis, qui in gratia non sunt confirmati, aliquid odit.

242 Obj. 3. Peccatum originale non est unum & idem in omnibus, sed in singulis multiplicatur, & cuique inest proprium; sed peccatum Adami est unum & idem in omnibus, neque in singulis multiplicatur, neque cuique inest proprium; consistit enim in actu vitali Adæ essentialiter immanenti, adeoque solum Adamum potuit intrinsece afficere. Conf. Omne peccatum debet esse voluntarium & liberum; sed peccatum Adami non fuit posteris voluntarium, & liberum; nam respectu posterorum non potuit esse ab intrinseco, cum cognitione finis, nec ab iis potuit impediri. Resp. Conc. Maj. Dist. min. Peccatum Adami est unum & idem, neque in singulis multiplicatur, physice, Conc. min. moraliter, Neg. min. Quamvis peccatum originale physice a solo Adamo fuerit commissum, quia tamen ejus voluntas moraliter fuit nostra, in ordine ad suos effectus perinde se habet, ac si physice in omnibus existeret: ergo cuique proprium

prium eſt in exiſtentia morali, & in ſingulis multiplicatur, non quaſi non ſit aliis quoque commune, ſed quia poteſt remitti uni, quin remittatur alteri, & puniri in uno, quin puniatur in altero. Hanc multiplicationem & inexiſtentiam moralem ſufficere colligitur ex Tridentino, juxta quod peccatum Adæ in omnes transfunditur; hoc autem phyſice fieri non poſſe, bene probat ratio minori addita. Ad Conf. redit data diſtinctio; quod nempe peccatum originale reſpectu poſterorum ſit a principio moraliter intrinſeco, & voluntate moraliter illis propria potuerit impediri.

Dices 1. Peccatum originale debet ſingu- 243
lis eſſe intrinſecum phyſice. Prob. Juxta Apoſtolum ad Rom. 5 v. 19: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius obedientiam juſti conſtituentur multi.* Atqui juſti non conſtituuntur formaliter per obedientiam Chriſti, ſed per formam nobis phyſice intrinſecam, ut colligitur ex eo, quia Concilium Tridentinum dicit charitatem Dei in cordibus juſtificatorum diffundi. Conf. Licet Tridentinum dicat in poſteros transfundi mortem & pœnas corporis, ideo non transfunditur ipſa mors & pœna Adami, ſed ſimile: ergo etiam non transfunditur idem peccatum, ſed ſimile. Reſp. Neg. Ant. ad Prob. Neg. ſuppoſitum, quod Apoſtolus inſtituat paritatem omnimodam; plus enim non vult, quam quod, ſicut per inobedientiam Adami conſtituimur injuſti in genere cauſæ formalis, ita per obedientiam Chriſti conſtituamur juſti in genere cauſæ moralis ac meritoriæ; alias ſicut in Adam peccavimus ſine ullo actu proprio, ſic juſtificaremur per Chriſtum ſine ullo actu proprio. Certe Tridentinum non ait ipſam juſtitiam Chriſti in nos transfundi; imo ſeſſ. 6 cap. 2. expreſſe ait, quod non juſtifice-

mur formaliter per justitiam Dei, qua ipse justus sit, sed per justitiam seu charitatem in nobis receptam, adeoque longe aliter loquitur de forma justificationis, quam de peccato originali. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Concilium signate dicit, *hoc Adæ peccatum* transfundi; quia nempe alias peccatum originale non esset cuilibet etiam infanti liberum: at non dicit has pœnas transfundi, & ad pœnam sufficit, si sit libera in sua causa, seu ipso peccato.

244 Dices 2. Juxta Apostolum loc. cit. v. 12: *Sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransiit*: atqui mors pertransiit physice, imo ipsum *peccatum est mors animæ*. Hæc autem consistit in privatione gratiæ sanctificantis, & cuique physice propria est: ergo. Conf. Juxta S. Anselmum lib. de Concept. Virg. cap. 26: *Peccatum originale nihil aliud est, quam justitiæ debitæ nuditas facta per inobedientiam Adæ.* Hinc cap. 27 ait: *Unumquemque non portare peccatum Adæ, sed suum; nam aliud fuit peccatum Adæ, aliud infantum, illud enim fuit causa, istud effectus.* Resp. Quod inter peccatum, & mortem corporis non detur omnimoda paritas, constat ex num. superiore. Quod mortem animæ attinet, peccatum originale imprimis est mors animæ causaliter, quatenus inducit privationem gratiæ sanctificantis. Dein etiam aliquo modo & inadæquate est mors animæ formalis, quatenus ut habituale partialiter involvit negationem remissionis, quæ in hac providentia fit per gratiam sanctificantem, ut adverti num. 198. Ad Conf. S. Anselmus primo loco exponi potest de nuditate justitiæ identificata cum inobedientia Adami, eoquod omne peccatum sit quædam nuditas, & privatio rectitudinis logica. In altero

ro videtur tantum loqui de peccato Adami, prout erat personale & physice ipsi proprium, in quo sensu est causa peccati posterorum intrinseca. Quodsi S. Pater plus velit, potius inhærendum est Tridentino, quod rem istam, olim satis obscuram, nova luce illustravit.

Obj. 4. Si Deus alligasset voluntatem po- 245 sterorum voluntati Adami, id fecisset per scientiam mediam jam prævidens Adamum lapsurum; hoc dici non potest; tum quia tali modo ista alligatio posteris non fuisset optabilis, tum quia alias Deus esset auctor peccati, quod sine ista alligatione non fuisset moraliter proprium posteris. Conf. Deus alligans posterorum voluntates per se purificasset conditionem, sub qua infallibiliter sequebatur peccatum: ergo. Resp. Dist. Maj. ita tamen, ut Deus lapsum Adami non intenderit, & ipse Adam illum potuerit impedire, Conc. Maj. aliter, Neg. Maj. beneficium non est æstimandum ex eventu, qui tantum contingit per accidens, & ex malitia alterius, sed ex natura ipsius rei & affectu conferentis. Jam vero num. 236 ostendimus istam alligationem generi humano per se, & antecedenter fuisse maxime optabilem, neque Deus per illam intendit peccatum Adami, cum quo per se, & a priori nullam habuit necessariam connexionem; hinc licet Deus etiam respectu peccatorum personalium sit causa per se actus primi proximi indifferentis, ideo non dicitur esse auctor illorum. Ad Conf. Dist. Ant. Deus per se purificat totam illam conditionem, Neg. Ant. quoad aliquas partes, Conc. Ant. & Neg. Cons. tota conditio, sub qua peccatum originale infallibiliter sequitur, est; si Adam peccet, & detur alligatio voluntatis posterorum cum descensu ab Adamo per generationem naturalem. Ex his Deus per se quidem purificat duas partes posteriores, non vero primam,

quæ ſola ſi maneret conditionata, non ſequeretur peccatum originale.

246 Dices. Sicut ex alligatione voluntatis poſterorum ad voluntatem Adami peccatum originale non fuiſſet ſecutum, modo Adamus non peccaſſet, ſic ex peccato Adami non fuiſſent ſecutum, modo Deus poſterorum voluntates ipſius voluntati non alligaſſet: ergo Deus non minus purificat conditionem, ex qua peccatum originale ſequitur. Conf. Si poſteri prævidiſſent Adamum eſſe peccaturum, non potuiſſent prudenter optare alligationem ſuarum voluntatum: ergo hæc alligatio, ut facta a Deo poſteris nequiden antecedenter fuit optabilis. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. Deus non minus purificat conditionem diverſo tamen modo, Tranſ. Conſ. eodem modo, Neg. Conſ. Deus voluntates poſterorum voluntati Adami juſtiſſime alligare potuit, cumque hæc alligatio libertatem Adami in ordine ad peccatum originale vel anteceſſerit, vel conſtituerit, ea facta Adamus adhuc liberrime potuit peccare vel non peccare, ut adeo purificatio totius conditionis denique in ſolius Adami arbitrio fuerit conſtituta, & peccatum inde ſecutum ipſi ſoli imputari debeat. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. diſparitas eſt, quia licet Deus peccatum Adami conditionate futurum jam prævideriт, ideo non tenebatur illud impedire, contra homo debuiſſet illud impedire, ſi potuiſſet. Quare hæc alligatio antecedenter, & in ſe non minus erat beneficium divinum, quam aliæ gratiæ actuales, quibus ſæpe abutimur, & quas prudenter optare, & petere non poſſemus, ſi antea ſciremus nos illis abuſuros eſſe ad peccandum.

247 Obj. 5. Reſpublica non poteſt voluntatem ſubditi ita alligare voluntati alterius, ut peccatum unius fiat peccatum alterius. 2. Ipſe Deus non

non poteſt appetitum bruti ita alligare voluntati hominis, ut actio hominis fiat moraliter actio bruti. 3. Neque voluntatem hominis jam adulti voluntati alterius in ordine ad actiones morales : ergo multo minus voluntatem poſterorum nondum exiſtentium ad voluntatem Adami. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. diſparitas ad inſtantiam 1 eſt, quia Deus tanquam abſolutiſſimus dominus liberrime poteſt diſponere de omnibus actionibus creaturarum, easque pro libitu ſuo impedire, permittere, punire &c. & inde ſuam gloriam eruere: tantam poteſtatem non dedit Reipublicæ in ordine ad actiones morales, cum ſine illa communitates humanæ ſufficienter regi poſſint. Ad 2. Brutum non ſolum actu caret libertate, ſed pro nullo tempore aut ſtatu eſt capax actionis moralis, amicitiæ vel inimicitiæ cum Deo; homines vero nondum exiſtentes ejusdem ſunt capaces ſaltem de futuro. Ad 3. Granado, Oviedo &c. inquiunt, implicantiam oriri ex eo, quia alias idem homo poſſet per actum phyſice proprium amare Deum ſuper omnia, & ſimul per actum moraliter proprium illum odiſſe, adeoque ſimul mereri & demereri. Si vero contendas, Deum poſſe ac debere per negationem ſui concurſus impedire, ne tales actus conjungantur, nec aliunde apparere implicantiam, ipſa inſtantia cum Suario, Ripalda, Salas ſine abſurdo admitti poterit.

Dices. Vel decretum alligans voluntates po- 248
ſterorum habuiſſet rationem pacti proprie ac rigoroſe talis cum Adamo? vel præciſe rationem legis & ſtatuti? non primum, quia alias etiam fuiſſet requiſitus conſenſus poſterorum: non ſecundum, alias etiam potuiſſent alligari voluntates aliorum hominum, quorum ille non fuiſſet caput. Conf. Poſita iſta alligatione etiam obedientia Adami, qua ſervaſſet præceptum, fuiſſet morali-

ter

ter posteris propria : ergo per illam fuissent meriti gratiam sanctificantem. Resp. Utrumque salva nostra conclusione dici posse. Nam sicut ejusmodi pactum non fuit necessarium, quia Deus Adamum, etiam ignorantem, ac non consentientem potuisset constituere caput morale tam posterorum, quam aliorum hominum ex ipso non descendentium : sic ad pactum ineundum suffecisset consensus Adami, ut capitis moralis. Et vero pactum hoc videtur conformius S. Scripturæ, in qua Oseæ 6 v. 7 dicitur : *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum meum*, quem textum de decreto alligativo intelligunt S. August. lib. 16 de civit. Dei cap. 27, Hieron. in cap. 6 Oseæ v. 7, aliique Patres. Ad Conf. Dist. Conf. fuissent meriti gratiam sanctificantem de congruo, Conc. Conf. de condigno, Neg. Conf. Adam jam antea erat in gratia constitutus, & tantum debuisset mereri ejus augmentum: at posteri debuissent mereri primam gratiam, quod nemo de condigno potest. Imo per se videtur clarum, quod aliquis plus sibi mereatur per actum physice, quam solum moraliter proprium.

249 Obj. 6. Saltem decretum alligativum nostræ voluntatis debuisset constituere libertatem Adami ut moraliter nostram; hoc fieri non potuit, quia hoc decretum fuisset identificatum cum decreto permissivo peccati, adeoque cum peccato essentialiter connexum, & inimpedibile. Maj. Prob. Adamus peccatum libere posuit, ut nostrum caput morale, & libertate nobis moraliter propria ; sed Adamus caput nostrum morale & ejus libertas nobis moraliter propria facta fuisset per ipsum decretum, ut patet ex paritate cum pupillo : ergo. Conf. Ex una parte Deus per scientiam mediam reflexam jam prævidit, quod esset permissurus peccatum Adami, si cum hac libertate prævideretur esse peccaturus : ex altera parte per scientiam mediam prævidit, quod Adam cum hac liber-

bertate esset peccaturus: ergo non potuit voluntates posterorum tantum conditionate alligare. Resp. Transf. Maj. Neg. min. quamvis ista duo decreta realiter identificentur, distinguuntur virtualiter, non quod inter illa detur successio signorum, quasi naturæ, sed quia solum decretum alligativum constituit actum primum proximum Adami, ut probat argumentum, & in tractatu de Deo exsplicatum est; consequenter hoc decretum est indifferens, & solum indeterminate ac conditionate cum peccato Adami connectitur, si videlicet ipse Adam libere sit peccaturus. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Quia decreta divina non diriguntur a scientia media reflexa, sed solum a directa, ex hac autem sola necdum potest inferri, quod Adamo danda sit hæc libertas A, cum qua peccaturus esset.

Quæres adhuc, quænam sint pœnæ peccati originalis? Resp. Præter privationem justitiæ originalis multas enumerari a Bellarmino lib. 7 de statu peccati cap. 9 & seq. quæ in hac vita infliguntur, possunt reduci 1 ad ignorantiam, cæcitatem, & curiositatem mentis, ob quam libenter ad inutilia evagamur, utilia vero difficulter addiscimus. 2. Perversitatem voluntatis, & inordinatum sui amorem, ob quem difficulter vitia superamus, & virtutem colimus. 3. Debilitatem, ac defectum tam sensuum externorum, quam interni & appetitus irascibilis ac concupiscentiæ rebellionem, quæ rationem prævertit, & bellum illud intestinum carnis contra spiritum excitat usque ad mortem duraturum. 4. Ad corporales miserias, innumera morborum genera, cibi & potus inopiam, vitæ brevitatem, continuum mortis imminentis timorem, & ipsam mortem. 5. Plurima mala externa, odium Dei, servitutem dæmonis, insidias ac injurias hominum, bella, tempestates, terræ motus, pestem, 250

& innumeros alios casus fortuitos, quorum damna nulla ratione prævideri aut caveri possunt.

251 Circa pœnas post mortem satis certum est, peccatum originale etiam in infantibus puniri privatione beatitudinis tam naturalis, quam supernaturalis; ita enim contra Pelagianos jam definitum erat in Concilio Cartaginensi, ut refert S. Augustinus epist. 90, & idem in professione fidei declaravit Concilium Florentinum docens, eorum animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere pœnis tamen disparibus cruciandas. Imo tempore Pelagii non defuere ex Patribus præsertim Latinis, qui cum S. Augustino docuerunt, peccatum originale etiam puniri æterna pœna sensus. Verum sententia contraria a sæculo XII communissime apud scholasticos S. Thomam, Scot. Bonav. &c. invaluit. Eidem favet S. Gregor. Nazian. orat. 4. in S. Bapt. & Nyssen. orat. de iis, qui matur. abrip. cum Innocentio III. in cap. Majores 3 extra de baptismo. Sicut enim ipsum peccatum originale nemo facile admitteret, nisi fides cogeret, ita pœna æterna sensus videtur nimis acerba pro peccato solum voluntate moraliter propria commisso; hinc communiter ulterius inferunt, etiam tristitiam, quam cum solo originali decedentes propter pœnam damni sentiunt, non fore adeo gravem, ut in sensus redundet, ipso Deo impediente, ne istam jacturam tam graviter apprehendant.

QUÆSTIO III.

An B. Virgo aliquando contraxerit peccatum originale?

252 Quæstio hæc est de genere illarum, quæ solum ideo tractantur, ut earum certitudo magis firmetur, & clarius ob oculos ponatur; quippe sanctissimam Dei Matrem nunquam contra-

traxiſſe peccatum originale, ſed in primo ſtatim conceptionis ſeu animationis inſtanti ab omni labe fuiſſe immunem, veritas eſt tam certa, ut omnibus rite conſideratis nequeat in dubium vocari. De hac jam anno Chriſti 50 S. Andreas in epiſtola Presbyterorum Achajæ ita habet: *Sicut primus Adam formatus eſt ex terra, antequam eſſet maledicta; ita ſecundus Adam formatus eſt ex terra Virgine nunquam maledicta.* Flavius Dexter, qui vixit ſæculo IV, in hiſtoria perpetua ad annum 308 inquit: *Jacobi prædicatione celebratur in Hiſpania feſtum immaculatæ, & illibatæ conceptionis Dei Genitricis Mariæ.* S. Jacobus in liturgia, quæ habetur tom. 6 Bibliothec. Patrum: *Commemorantes ſanctiſſimam, immaculatam, glorioſiſſimam dominam noſtram Matrem Dei.* Eandem feſtivitatem jam imperante Heraclio in Eccleſia Græca vetuſtam fuiſſe, teſtatur Gregorius Epiſcopus Nicomedienſis. In Anglia introducta fuit ſaltem tempore S. Anſelmi. Unde etiam in Normandiam, Galliam, Germaniam, ac tandem Romam tranſiit.

Nihilominus cum ſæculo XII etiam Lugdunenſis Eccleſia feſtum immaculatæ conceptionis celebraret, S. Bernardus epiſt. 127 ejusdem Eccleſiæ Canonicos reprehendit: *Quod novam inducant celebritatem, quam ritus Eccleſiaſticus neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.* Rationem addit: *Si ſic videbatur, conſulenda prius erat Apoſtolicæ ſedis auctoritas, & non ita præcipitanter, atque inconſulte paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum.* Verum nihil obſtitit hæc epiſtola, quo minus feſtum immaculatæ Conceptionis in multis Eccleſiis retineretur. Imo poſtquam Scotus ſæculo XIV coram Univerſitate Pariſienſi præſentibus legatis Apoſtolicis in ſolemni diſputatione exemptionem B. 253

Vir-

Virginis a labe originali solidissime propugnavit, non solum totam facultatem traxit in suam sententiam, sed ea longe lateque ita diffusa est, ut teste Vasquez apud omnes Theologos scholasticos & Christi fideles ab hominum sæculis inveteraverit, & nullus jam ab eo dimoveri possit. *Eandem sententiam esse piam, cultui ecclesiastico, fidei catholicæ, rectæ rationi, & S. Scripturæ consonam* sæculo XV definivit Concilium Basileense, quod licet tunc non amplius fuerit legitimum, repræsentat tamen sensum nationis Hispanicæ, Gallicæ, Anglicanæ, Germanicæ, Polonicæ, & Hungaricæ.

254 Eodem sæculo Sixtus IV geminam edidit constitutionem. In prima *cum præcelsa* anno 1476 devote celebrantibus immaculatam B. Virginis conceptionem concedit easdem indulgentias, quas Urbanus IV concesserat celebrantibus festum corporis Christi. In altera *grave nimis* anno 1483 sententiam piam commendat ex praxi Ecclesiæ Romanæ, in qua festum immaculatæ conceptionis Mariæ publice & solenniter celebratur, & speciale de eadem conceptione officium recitatur, simulque sub pœna excommunicationis reservatæ prohibet, nequis alterutram de hac re sententiam hæresis, vel peccati mortalis arguat, cum nihil adhuc ab Ecclesia sit definitum. Has constitutiones Sixtinas postea innovavit Conc. Trid. sess. 5 in decr. de peccat. orig. declarans: *Non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato origin. agitur, beatam, & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem.* Quæ verba licet non legantur in editionibus factis ante annum 1564, quo finitum est Concilium: leguntur tamen in editione hoc anno facta, & aliis posterioribus, nec Patribus Concilii, nec Dominicanis reclamantibus. Imo teste Simonet in actibus originalibus concilii habe-

betur, in quadam ſeſſione a Patribus concluſum eſſe, ut ederetur decretum de immaculata B. Virginis conceptione, quod tamen non fuit vulgatum ob inſtantiſſimas preces paucorum Epiſcoporum, & doctorum Dominicanorum, ut refert Lancicius ex actis originalibus Concilii Tridentini.

Poſt Concil. Tridentinum anno 1570 Pius 255
V in conſtitutione *ſuper ſpeculam* denuo confirmat ſtatutum Sixti a Tridentino innovatum, relinquit tamen cuique liberam facultatem opinandi hujus controverſiæ quamlibet partem, modo id fiat ſine periculo ſcandali, & neutra notetur tanquam erronea. Sed poſtea Paulus V in decreto *ſanctiſſimus* omnibus fidelibus ſub cenſuris, & pœnis a Sixto IV aliisque ſuis prædeceſſoribus latis prohibuit, ne quis audeat in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & aliis quibuscunque actibus publicis aſſerere, quod B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali, quam prohibitionem Gregorius XV anno 1622 in conſtitutione *ſanctiſſimus* extendit etiam ad ſcripta, & colloquia privata, exceptis tamen Patribus Dominicanis, quibus in alio decreto *eximii* eodem anno edito indulſit, ut privatim inter ſe duntaxat, non autem inter alios, vel cum aliis de hac materia libere diſſerere valeant. Præterea in conſtitutione *ſanctiſſimus* ſub graviſſimis pœnis omnibus præcepit, ut in ſacrificio miſſæ, & divino officio tam publice quam privatim celebrandis in feſto conceptionis B. Virginis non alio, quam conceptionis nomine utantur.

Tandem anno 1662 ad inſtantiam Philip- 256
pi Regis & Epiſcoporum Hiſpaniæ Alexander VII rurſus decretum edidit, cujus titulus: *Innovatio conſtitutionum & decretorum in favorem*

sententiæ asserentis, animam B. Virginis in sui creatione, & animæ in corpus infusione a peccato originali præservatam fuisse, editorum. In hoc decreto statuit 1, veterem piam & laudabilem esse pietatem fidelium sentientium, *B. Virginis animam in primo instanti suæ creationis, atque infusionis in corpus speciali Dei gratia ab originali macula fuisse præservatam*, atque in hoc sensu ejus conceptionem celebrasse. 2. Eodem sensu eam fuisse celebratam in Romana Ecclesia, & adhuc celebrari *cultu post illius instructionem nunquam immutato*. 3. Sub gravissimis pœnis jam alias statutis esse prohibitum piam sententiam & hunc cultum *sive directe sive indirecte sub quocunque prætextu publice aut privatim impugnare*. 4. Libros post decretum Pauli V editos, aut imposterum edendos, in quibus aliquid huic sententiæ aut cultui *quomodolibet contrarium continetur*, ipso facto esse prohibitos, sub pœnis & censuris contentis in indice librorum prohibitorum. 5. Circa hanc materiam tamen nihil a sede Apostolica esse definitum, nec se aliquid velle decidere, imo sub iisdem pœnis prohibere, ne quis sententiam contrariam hæresis, peccati mortalis aut impietatis damnare audeat.

257 Dicendum. Moraliter certum est, quod B. Virgo absque omni macula fuerit concepta, & in primo animationis instanti sanctificata, adeoque, quod nunquam contraxerit peccatum originale. Prob. 1 auctoritate Scripturæ, in qua Cant. 4 v. 7 dicitur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, cap. 5 v. 2: *Aperi mihi soror mea, amica mea, immaculata mea*, cap. 6 v. 8: *Una est columba mea, perfecta mea*: quæ locutiones tam singularis puritatis contestationem, & divinam admirationem indefinite exprimunt, ut in suo prædicato proprio non verisi-

caren-

carentur, nisi B. Virgo dicatur immunis ab omni prorsus macula tam actuali, quam originali. Quamvis enim ejusmodi locutiones etiam intelligi possint de Ecclesia, præsertim qualis erit in cœlo; loquuntur tamen simul de B. Virgine non solum in sensu mystico, sed etiam litterali, ut multis probat D. Amort. Hinc illas multi Patres de B. Virgine exposuerunt, & Ecclesia in festis illius jubet lectiones de Canticis in Missa & matutinis recitari. Conf. B. Virgo in Scriptura comparatur Arcæ Noe, quæ sola in diluvio fuit servata, Arcæ fœderis ex lignis incomputribilibus fabricatæ, rubo incombusto &c. Unde Genes. 3 v. 15 de illa dictum fuerat: *Ipsa conteret caput tuum,* nempe serpentis infernalis, cujus potestati nunquam erat subjicienda.

Probatur 2 auctoritate Patrum. S. Hypo- 158
litus martyr in oratione de consummatione sæculi circa annum 220 ait: *Christus secundum carnem advenit ex sancta & immaculata Virgine.* S. August. lib. de natura & gratia cap. 36 agens contra Pelagianos: *Excepta itaque S. Maria Virgine, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem; unde etiam scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* S. Damascenus orat. 1 de nativit. Virginis loquens de conceptione ejusdem ait: *Natura gratiæ fœtum antevertere minime ausa est; verum tantisper exspectavit, dum gratia fructum suum produxisset.* Doctissimus Idiota in contempl. de Virg. Maria: *Macula peccati sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te, nec unquam erit, nec unquam fuit.* Similia habent S. Ambrosius, Anselmus, Cyprianus, Petrus Damiani, Sophorinus &c. apud Suarium tom. 2 in 3 part. q. 3 sect. 5. Conf. ex com-

muni ſenſu fidelium, de quo teſtatur Alexander VII & lib. jam anno 1663 in Gallia editus, in quo ex ſolis Dominicanis pro noſtra ſententia citantur 150, ex Societate JEſu 700, ex reliquis ſcholis Religioſis 6500; de facto autem pro ea ſtant omnes Principes, Magiſtratus, Academiæ, Doctores, & Religioſi Ordines omnes, unico forte excepto.

259 Probatur 3 auctoritate Eccleſiæ, quæ cultum immaculatæ conceptionis non ſolum ut pium, devotum, & laudabilem commendat, ſed illum omnibus fidelibus præcipit, ut patet ex bulla Clementis XI *commiſſi nobis*, in quo Pontifex anno 1708 præcepit, *ut feſtum conceptionis ipſius B. Mariæ Virginis immaculatæ ubique terrarum impoſterum ab omnibus & ſingulis fidelibus ſicut alia feſta de præcepto ſervetur, ac celebretur.* Atqui Eccleſia non poteſt approbare, & multo minus præcepto univerſali mandare, ut aliquid publice, & ſolenniter colatur, tanquam ſanctum, quod revera ſanctum non eſt; alias erraret in decretis morum, & approbaret ſuperſtitionem ſaltem materialiter talem. Hæc ipſa eſt ratio, quare dubitari nequeat, nativitatem B. Virginis eſſe ſanctam; quia nimirum Eccleſia eam publice ac ſolenniter, ut ſanctam coli præcipit. Hinc S. Ildephonſus de parturit. & virginit. ait: *Quia ejus nativitas ſolenniter colitur, conſtat ex auctoritate Eccleſiæ, quod nullis, quando nata eſt, ſubjacuit delictis.* S. Bernad. epiſt. 174.: *Quia ortum Virginis didici in Eccleſia indubitanter haberi feſtivum, firmiſſime cum Eccleſia ſentio, in utero accepiſſe, ut ſancta prodiret.* Simili modo loquitur S. Bonav. in 3 diſtinct. 3 q. 3 art. 1, & S. Auguſt. epiſt. 113 univerſim dans rationem, quare Eccleſia non celebret natales, ſed obitus Sanctorum, aſſignat hanc cauſam, *quia obitus ſunt ſancti,*

sti, non natales. Conf. Quia Ecclesia in honorem immaculatæ conceptionis erexit non solum plurimas congregationes, sed etiam sacrum Ordinem, eam devote colentibus concessit indulgentias &c.

Probatur 4 ex miraculis, & revelationibus, quæ dari nequeunt in testimonium falsæ doctrinæ, alias Deus fieret testis falsitatis. Jam quod miracula pro confirmanda veritate immaculæ conceptionis edita sint, dubitari nequit; plurima enim referuntur in historiis fide dignissimis, authenticis testimoniis confirmata, & quidem aliqua etiam primæ classis. In solo Regesto Patrum Franciscanorum numerantur 70, inter quæ celebratissimum & toti Hispaniæ notissimum est resuscitatio Francisci Muleti Canonici Vicensis, facta Manresæ in hunc solum finem, ut testimonium ferret de immaculato conceptu. In eodem Regesto referuntur 32 revelationes de hoc ipso mysterio, & una clarissima excerpta ex revelationibus S. Birgittæ, quæ a pluribus Pontificibus post severissimum examen fuerunt approbatæ & confirmatæ. In his itaque lib. 6 cap. 49 B. Virgo de se ita loquitur: *Veritas est, quod ego concepta fui sine peccato originali, & non in peccato.* Jam si vel unicum ex tot miraculis vel revelationibus, quæ pro hoc mysterio referuntur, sit vere talis, jam non potest esse falsum, quod per illam confirmatur: Quod autem contrarium revelatum sit S. Catharinæ Senensi, in vita ejus nullo modo habetur, nec quidquam adversum legitur in sermonibus S. Antonii Patavini, ut testatur Suarez tom. 2 in 3 part. disp. 3 sect. 5. 260

Probatur 5 ratione. Ex una parte Christus potuit B. Virginem præservare a peccato originali, & in primo conceptionis instanti eidem in- 261

fundere gratiam ſanctificantem : ex altera parte fuit omnino decens, ut dilectiſſimam matrem ſuam ita præſervaret : ergo dicendum eſt, quod fecerit. Conſ. prob. Non fuit minus decens, ut filius divinus matrem ſuam præſervaret a peccato originali, quam ab omni perſonali etiam ſolum veniali, a fomite concupiſcentiæ, violatione clauſtri virginalis, doloribus partus, corruptione corporis poſt mortem &c. & tamen ad hanc decentiam attendit, & illam præſervavit : ergo etiam attendit ad priorem illam decentiam, cum peccatum originale ſit malum longe majus, & multo magis ignominioſum. Aut quis dubitaret, quin filius bene moratus matrem ſuam a graviſſimo malo præſervaret, ſi id facillime poſſit. Conf. Juxta principium a SS. Patribus communiter receptum, & in ipſa Scriptura fundatum, nullum gratiæ donum ſimpliciter decens puritatem, & ſanctitatem matris Dei, illi negandum eſt, præſertim ſi tale donum etiam puris creaturis fuerit conceſſum; jam vero primi parentes & Angeli etiam mali in primo inſtanti ſuæ creationis ſtatim habuerunt gratiam ſanctificantem, & Angeli boni ſemper ab omni peccato immunes fuerunt. Profecto cum Joannes Baptiſta, & Jeremias Propheta jam ſanctificati ſint in utero materno, cur hoc beneficium in primo inſtanti conceptionis negemus Deiparæ, quæ reliquos homines ſicut dignitate ita puritate incomparabiliter ſuperat.

Objectiones.

262 Obj. 1. Sacra Scriptura variis in locis peccatum originale tribuit omnibus ſine exceptione. *Nemo mundus a ſorde, neque infans, cujus eſt unius diei vita,* Jobi 14 apud Septuaginta. *Omnes peccaverunt & egent gloria Dei,* ad Rom. 3 v. 23.

In

In omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt, ad Rom. 5 v. 12. Conf. Ad Hebr. 7 v. 26 de Chriſto legitur: *Decebat, ut nobis eſſet Pontifex innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus*: ergo ſolus Chriſtus caruit omni peccato. Reſp. Neg. Ant. ſi ejusmodi textus deberent accipi in ſenſu abſoluto ſine ulla exceptione, etiam Chriſtum includerent, de B. Virgine autem æque intelligi deberent alii non minus univerſales, e. g. *Omnis homo mendax*, Pſal. 115 v. 11. *Omnia, quæ de terra ſunt, in terram convertentur*, Eccl. 40 v. 11. Itaque juxta mentem Eccleſiæ in his textibus non continetur B. Virgo, imo ipſa Scriptura illam excipit in aliis locis a nobis citatis; hinc etiam Tridentinum, licet ex allatis textibus peccatum originale deducat, & terminis univerſalibus utatur, tamen proteſtatur eſſe ſuæ intentionis B. Virginem comprehendere. Nempe huc quadrat, quod de Regina Eſther, quæ figura Deiparæ fuit, cap. 15 v. 13 dicitur: *Non autem pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. textus objectus dicit quidem, quod Chriſtus caruerit omni peccato, at non dicit, quod ſolus caruerit.

Dices 1. S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum 263
aſſerit, *omnem hominem cum peccato originali naſci*: S. Ambroſius lib. 2 comment. in Lucam, *ſolum Chriſtum non ſenſiſſe terrenæ contagia corruptelæ*: S. Euſeb. Emiſſen. de natali Domini, *Nec ipſam Dei Genitricem per ſe immunem eſſe a peccati veteris nexu*: S. Auguſt. lib. de perfect. Juſt. *Contrarium eſſe divinæ Scripturæ, qui aſſerit aliquem hominem eſſe, vel fuiſſe, cui neceſſaria non fuerit remiſſio peccatorum excepto ſolo Chriſto.* Conf. Juxta SS. Patres caro cujuslibet hominis fuit caro peccati; ita enim docet S. Auguſt. lib. 5 contra Julian. cap. 15, & S. Ambroſ. in Pſal. 118. Reſp. S. Fulgentium neceſſario in ſenſu accommodo ac-

cipiendum esse, alias nequidem nativitas B. Virginis sancta esset. Reliqui Patres loquuntur de eo, quod homini convenit per se, & vi suæ generationis, ob quam solus Christus a peccato originali, & illius debito immunis fuit, utpote non per generationem naturalem, sed Spiritus sancti virtute conceptus; hinc dicimus B. Virginem a peccato originali præservatam fuisse ex speciali privilegio. Ad Conf. dico, carnem beatæ Virginis dici carnem peccati remote, in quantum ob generationem naturalem ab Adamo per se fuisset peccato obnoxia.

264 Dices 2. S. Bernardus epist. 174 ex professo impugnat immaculatam conceptionem; hinc ad Canonicos Lugdunenses ait: *Quo pacto conceptus, ut festus habebitur, qui minime sanctus est?* Conf. S. Thomas multis in locis præsertim in 3 distinct. 3 art. 1 & quodlib. 6 q. 4 art. 7 asserit, B. Virginem in peccato originali conceptam fuisse. Resp. S. Bernardum, ut ex contextu patet, nomine conceptionis intelligere primam organizationem corporis, quam aliqui vocant conceptionem activam, nos autem hic loquimur de conceptione passiva, & completa, qua anima creata, & corpori unita est, quod, si hic Pater revera esset contrarius, possemus illi plures alios opponere. Certe si nunc videret cultum immaculatæ conceptionis, nobiscum sentiret, ut patet ex illius textu citato num. 259. Ad Conf. S. Thomas in exemplaribus manu scriptis, & impressis antiquis sæpius expresse affirmat B. Virginem fuisse immunem a labe originali, quod autem illi textus in recentioribus exemplaribus truncati vel omissi fuerint, arguit malam fidem quorundam Adversariorum, quam Urbanus VIII ostensis ipsi diversis exemplaribus non satis potuit mirari. Porro Bernardinus de Bustis in suo Mariali serm. 7 refert,

An-

Angelicum Fontino Episcopo Patavino apparuisse, eique dixisse, se tantum voluisse docere, quod B. Virgo peccatum originale contrahere debuerat, nisi per filium suum fuisset præservata. Alii S. Doctorem exponunt de materiali peccati originalis juxta dicta num. 241.

Obj. 2. Potest dici, quod Ecclesia tantum 265 celebret conceptionem spiritualem seu sanctificationem animæ, præscindendo, an primo instanti fuerit facta. 2. Conceptionem quoad corpus cum relatione ad conceptionem rationalem, incognitam, quo die illa acciderit. 3. Quod hic dies solum colatur in signum lætitiæ ob B. Virginem orbi concessam & divinam maternitatem. Resp. Neg. Ant. quoad omnia membra. Nam 1. Quod non tantum colatur festum sanctificationis, sed proprie festum conceptionis, manifeste patet ex decreto Gregorii XV, & Alexandri VII, ac communi sensu fidelium, ac Doctorum. 2. Ex eodem communi sensu & decreto Alexandri clare constat, hunc cultum terminari ad primum instans, quo anima fuit infusa corpori; hinc in officio expresse dicitur: *Hodie concepta est B. Virgo Maria.* Item: *Hodiernam gloriosæ Virginis conceptionem devotissime celebremus.* 3. Ecclesia non potest præcipere, ut aliquid colatur, nisi sit sanctum, conceptio autem præcise quoad corpus non est sancta sanctificatione præservativa a peccato originali; neque enim gratia sanctificans infunditur corpori, sed animæ; hinc in oratione missæ non tantum fit mentio corporis, sed etiam animæ: *Omnipotens Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus & animam, ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti &c.*

Dices 1. Ad celebrandum aliquod festum 266 sufficit, quod factum, cujus memoria celebratur, referatur ad aliquam causam, aut finem su-

pernaturalem: ergo dies conceptionis quoad corpus poteſt celebrari, modo referatur ad conceptionem rationalem. Sic teſtibus Bollandiſtis ad diem 24. Junii cap. 2 §. 2 celebrata fuit conceptio S. Joannis. Sic de facto celebratur dies victoriæ ad inſulas Echinadas, & in veteri teſtamento Dominus ſæpe præcepit, ut dies facti alicujus ſit memorialis, & ſolennis. Conf. auctoritate Bellarmini, qui lib. 3 de cultu ſanct. cap. 16 ait: *Fundamentum præcipuum hujus feſti non eſſe immaculatam conceptionem, ſed ſimpliciter conceptionem futuræ Matris Dei.* Reſp. Omitto totum, ſed nego ſuppoſitum, quod Eccleſia tantum in hoc ſenſu feſtum conceptionis celebret; contrarium namque clare habetur in bullis citatis. Dein neque Deus unquam præcepit, neque Eccleſia diem aliquem, aut victoriam ita coluit, ut fuerint primarium objectum cultus; hoc enim debet eſſe ſanctum. Multo minus conceptio S. Joannis utpote labe originali infecta, potuit in ſe ipſa coli, ſicut tamen juxta mentem Eccleſiæ colitur ipſa conceptio B. Virginis. Ad Conf. Bellarminus ibi ſolum reſpondet Kemnitio juxta mentem illorum, qui ante prohibitionem Pontificum aſſerebant, B. Virginem contraxiſſe peccatum originale, neque dicit, quod conceptio ſimpliciter ſit objectum cultus, ſed quod ſit fundamentum, cur celebretur memoria Matris Dei.

267 Dices 2. Clemens XI in ſuo decreto non præcepit, ut celebretur *feſtum immaculatæ conceptionis*; *ſed feſtum conceptionis ipſius Virginis immaculatæ.* Imo cum hæc bulla in quadam civitate Italiæ impreſſa fuit cum titulo *ut feſtum immaculatæ conceptionis &c.* eam impreſſionem ſupprimi juſſit. Sicut antea Pius V ſuſtulit officium a Sixto IV approbatum, in quo dicebatur conceptio B. Virginis immaculata. Conf.

Eccle-

Eccleſia celebrat multa feſta, etſi illorum cauſa tantum probabiliter ſubſiſtat, uti feſtum B. Virginis de monte Carmelo, de Mercede, ad nives &c. eodem modo veneratur Reliquias ſolum ex probabili opinione illas pertinere ad hos, vel illos Sanctos. Reſp. Hanc vocis immaculatæ tranſpoſitionem eſſe mere grammaticalem, tum quia B. Virgo non poteſt dici immaculata, niſi in ſua conceptione fuerit ſine macula, neque feſtum conceptionis celebrari, niſi objectum primarium cultus ſit ſanctum; tum quia Clemens expreſſe ait, ſe velle ampliare venerationem & cultum more ſuorum prædeceſſorum; atqui certum eſt, ejus prædeceſſores intendiſſe cultum immaculatæ conceptionis: itaque impreſſionem Italicam ſolum ideo juſſit ſupprimi, ne videatur hanc controverſiam plene decidiſſe. Neque Pius V ideo officium ſuſtulit, quia judicavit illud continere falſum, ſed quia voluit omnia reſtituere in priſtinum ſtatum. Ad Conf. aliud eſt, quod cauſa celebrandi iſta feſta non ſit certa; aliud quod præcipuum objectum cultus, nempe B. Virgo non ſit certo ſancta. Profecto de Reliquiis non ſolet Eccleſia decidere, quod ſint hujus vel illius Sancti, nec Reliquiæ coluntur propter ſe, ſed propter Sanctos, quin ejusmodi veneratio ſit præceptive pro tota Eccleſia inſtituta.

Obj. 3. B. Virgo fuit baptizata a Chriſto, 268
vel a S. Petro, ut docent SS. Patres: ergo habuit peccatum originale; quippe ad hoc delendum baptismus eſt inſtitutus. Conf. B. Virgo neque fuit ſanctificata ante primum inſtans organizationis, quia tunc nondum erat, neque in ipſo inſtanti organizationis, quia tunc a parentibus fuit generata, & quidem cum libidine: ergo tunc conceptio fuit polluta macula originali. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. etiam adulti per

con-

contritionem jam expiati baptizantur, & Apostoli receperunt baptismum, etsi a peccato originali jam fuerint liberati per circumcisionem; quia nimirum finis primarius baptismi est conferre gratiam sanctificantem, quæ de se delet peccatum tam personale, quam originale, posito, quod anima adhuc sit infecta. Ad Conf. Quære ipsa continet argumentum S. Bernardi, Conc. Ant. Neg. Conf. Sanctificatio B. Virginis contigit in illo instanti, quo anima infusa est corpori; prius autem caro nec potuit esse subjectum sanctitatis, nec peccati originalis, sed subjectum ejus est filius vel filia Adami. Porro quod ipsa libido non sit peccatum superius ostendimus; hinc quando S. Bernardus dicit: *Peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit?* debet exponi de peccato improprie, & metonymice accepto.

296 Dices. Beatissima Virgo fuit subjecta pœnis peccati originalis, nempe morti corporis, & ærumnis hujus vitæ; nam ut S. Augustinus in Psal. 34 ait: *Maria ex Adam mortua est propter peccatum Adæ:* ergo. Conf. Quamvis Christus S. Joachim, Annam aliosque protoparentes potuerit a peccato eximere, & id fuisset decens; non fecit: ergo a pari. Resp. Dist. Ant. subjecta fuit pœnis peccati, qua talibus, Neg. Ant. quæ sunt tales, Conc. Ant. & Neg. Conf. Mors aliaque mala physica non dicunt aliquam dedecentiam, cum etiam Christus illa toleraverit, cui ut magis B. Virgo se conformaret, eadem voluit sustinere. Unde quando S. Augustinus dixit, quod mortua sit propter peccatum Adæ, sensus non est, quod mortua sit in pœnam peccati, sed occasione peccati originalis, ut patet ex hac propositione 73. damnata Baji: *Nemo præter Christum est absque peccato originali; hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adamo contractum, omnesque ejus afflictiones*

nes in hac vita, ſicut aliorum juſtorum fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quod Chriſtus ſuæ matri longe plura & majora beneficia exhibuerit, quam aliis protoparentibus, per ſe patet; nam hos neque a fomite peccati, corruptione corporis &c. liberavit, imo quosdam permiſit labi in gravia peccata. Quod ſi omnes protoparentes a labe originali voluiſſet præſervare, ſeries usque ad Adamum perduci poſſet. Porro de ipſa B. Virgine non aſſerimus tam abſolutam decentiam, & neceſſitatem, ut divinum filium poſitive dedecuiſſet, ſi illam non præſervaſſet.

Obj. 4. Eccleſia nihil unquam definivit circa immaculatam conceptionem, imo Pontifices expreſſe proteſtantur, ſe nolle aliquid definire: ergo noſtra ſententia ab Eccleſia nondum agnoſcitur tanquam moraliter certa; hinc Gregorius XV ad Regem Catholicum pro definitione piæ ſententiæ ſupplicantem anno 1662 in hæc verba reſcripſit; *Cum nondum æterna ſapientia Eccleſiæ ſuæ tanti myſterii penetralia pateſecerit, in Dei Romanorumque Pontificum auctoritate debent fideles populi acquieſcere.* Conſ. Pius V. in ſua conſtitutione ſententiam oppoſitam aſſeruit eſſe probabilem. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. ex eo, quod Pontifices nihil voluerint decidere, tantum ſequitur, quod noſtra ſententia non ſit de fide, nec ita clare in S. Scriptura contineatur, vel per apoſtolicam traditionem innotuerit, ut oppoſitum ſentientes ſint hæretici; quia tamen fideles in voluntate Dei & Romanorum Pontificum debent quieſcere, & Pontifices volunt, ut conceptio B. Virginis tanquam ſancta, & immaculata celebretur, hoc ipſo moraliter certum eſt, illam eſſe immaculatam. Certe Alexander VII Oratori Regis Catholici reſpondit: *Quodſi vel minimum circa rem*

hanc

hanc dubium nobis occurrisset, non subscripsissemus videlicet bullæ a nobis citatæ. Ad Conf. Pius V non absolute dixit sententiam oppositam esse probabilem, sed solum permisit sentire: *Prout quis alterutrum vel magis pium, vel magis probabile judicaverit:* neque tunc cultus immaculatæ conceptionis jam ita erat præceptus, ut nostris temporibus.

271 Dices. Pontifices sub gravibus censuris prohibent, ne sententia contraria censuretur; atqui hoc fit, si dicimus nostram esse moraliter certam, ac certo piam; quia tali modo contrarium rejicitur tanquam improbabile, imo impium. Conf. Ex una parte sententiam contrariam tenuerunt graves auctores cum Cajetano, & Bandello Magistro Ordinis Prædicatorum. Ex altera parte quid nunc sentiant Docti, non satis constat, postquam sublata est libertas loquendi, & scribendi. Resp. Conc. Maj. Neg. min. Prohibent quidem Pontifices, ne sententia contraria dicatur hæretica, impia, graviter peccaminosa, aut erronea; ex hoc autem quod nostra sit moraliter certa, solum sequitur, contrariam esse improbabilem, & non piam, quod medium est inter piam & impiam. Porro dicere sententiam aliquam esse improbabilem, non est eam censurare, cum inter censuras theologicas mitissima sit esse temerariam, ut cum aliis notat Hurtardo. Ad Conf. Quam parum valeat auctoritas Adversariorum contra piæ sententiæ patronos, patet ex num. 258; neque Auctores cum omnibus ferme Academiis & SS. Ordinibus in hanc sententiam, a qua abstrahere possent, solum ex necessitate conspirant, sed ex pietate, & veritatis amore, ut colligitur ex voto, quod pro defendenda immaculata conceptione emittere, & illis, qui gradus litterarios in Academiis accipiunt, injunge-

re ſolent. De Bandello & Cajetano notum eſt, quam infideliter in hac materia auctoritatem Scripturæ & Patrum citent, mutilent, ac corrumpant.

Equidem votum juratum, quod pro defendenda immaculata conceptione emitti ſolet, currente hoc ſæculo impugnare auſus eſt Ludov. Ant. Muratorius Eſtenſis bibliothecæ præfectus, editis tribus libris ſub triplici nomine Lamindi Pritannii, Antonii Lampridii, & Ferdinandi Valdeſii, ſtrenue opitulante Concina; quamvis poſtea ab Adverſariis preſſus dixerit, ſe ſolum improbare votum illorum, qui jurant ſe immaculatam conceptionem defenſuros ad ſanguinis usque profuſionem. Præcipuum & ferme unicum illius fundamentum eſt; quod ſine peccato non liceat prodigere bonum certum pro incerto; & vita pro ſola veritate fidei venalis proſtare debeat. Quam debile hoc fundamentum ſit; patet 1. Quia veritas de immaculata conceptione eſt ad minimum moraliter certa, imo juxta aliquos proxime definibilis. 2. Cuilibet non omnino in Theologia peregrino conſtat; bonitatem actuum moralium poſſe eſſe certam; licet objectum ſit incertum. Sic certa pietas eſt honorare parentes, etſi incertum ſit, an ab illis ſis genitus, certa miſericordia & charitas dare eleemoſynam illi; quem probabilius judicas eſſe pauperem. 3. Certe pium & laudabile eſt mortem oppetere pro defenſione parentum, & tuendo præcepto eos honorandi: ergo etiam pro defenſione B. Virginis; cujus cultum certo tanquam pium approbat, & imperat Eccleſia. Nempe vita hominis eſt tantum bonum temporale, cultus divinæ Matris bonum ſpirituale, adeoque longe altioris ordinis; jam vero rurſus nemo dubitat, quin mori liceat pro virginitate, aliisque ejusmodi virtutibus. 272

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An beata Virgo contraxerit debitum peccati originalis?

273 Debitum peccati originalis in genere est quædam obligatio, vel periculum peccatum originale contrahendi in primo conceptionis instanti, nisi quis speciali Dei privilegio liberetur. Dividitur in proximum & remotum. Proximum est necessitas contrahendi peccatum orinale orta ex eo, quod alicujus voluntas voluntati Adami fuerit alligata, adeoque ipse Adamo peccante etiam peccaverit; hinc alii præsentem quæstionem ita proponunt, an B. Virgo in Adamo peccaverit, vel an ejus voluntas fuerit alligata voluntati Adami; quod enim aliud sit in Adamo peccasse, aliud peccatum originale contrahere, jam notavimus num. 237. Debitum remotum est periculum incurrendi ipsum debitum proximum, nisi etiam hoc speciali Dei favore impediatur. Fundatur hoc debitum in descensu ab Adamo per generationem naturalem, in quantum quilibet homo ita genitus fuit in periculo, ne ejus voluntas in pacto cum Adamo includeretur, cui spectata conditione naturæ includi potuisset, & de via ordinata debuisset.

274 Hinc communissima admittit, quod B. Virgo habuerit debitum remotum peccati originalis; quippe sicut reliqui homines per viam generationis seminalis descendit ex Adamo: neque spectata præcise natura sua, aliquid habuit, vi cujus a decreto alligativo voluntatum nostrarum debuisset eximi; imo ista alligatio ipsi fuisset optabilis, nisi ex speciali, & prorsus indebito favore fuisset electa in Matrem Dei, & ideo longe amplioribus donis instructa. Hinc

Seri-

Scriptura, & SS. Patres universaliter dicunt, omnes posteros Adami fuisse obnoxios peccato originali & a Christo redemptos, neque est ulla ratio, cur ab his locutionibus universalibus B. Virgo excipiatur, cum debitum præcise remotum nullam dicat maculam moralem, & B. Virginem tam parum dedeceat, quam parum eandem dedecet, quod sit homo, aut filia Joachimi, & Annæ. Ex opposito ad dignitatem Christi Salvatoris spectat, omnes homines ab illo fuisse redemptos, quod de divina matre minus proprie dici posset, si nullum prorsus peccati debitum habuisset.

Porro redemptio alia est reparativa, alia præservativa. Prior tunc datur, quando quis malum, aut maculam aliquam jam incurrit, & postea ab illa liberatur; ita nos Christus pretio sanguinis sui liberavit a macula originali, & captivitate dæmonis: præservativa datur, quando quis prius liberatur a malo, ut nunquam illud contrahat, quod rursus dupliciter fieri potest, 1 ita, ut quis jam incurrerit periculum proximum talis mali. Sic a morbo dicitur præservari, qui jam fuit conjunctus morbidis, ex quorum consortio deberet sequi morbus. 2. Ita, ut quis solum incurrerit periculum remotum. Sic quando facis, ne quis cum morbidis conjungatur, cum quibus alias conjungi deberet, vere a morbo illum liberas. Dari redemptionem præservativam docet ipsa Scriptura Psalm. 143 v. 10: *Redemisti David de gladio maligno*, id est præservasti David a gladio Goliath, & Psal. 85 v. 13: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, id est, præservasti me, ne inciderem in infernum, ut exsplicat S. Augustinus in hunc locum subjungens exemplum medici, de quo ait: *Liberavit te ab ægritudine, non in qua eras, sed in qua futurus eras.* Hunc ipsum modum redem- 275

ptionis agnoſcunt S. Dionyſ. Areopag. cap. 8 de divin. nomin. S. Bernard. ſerm. 22 in Cantic. S. Thomas 3 part. q. 152 a. 2 ad 2, & communis hominum acceptio, ſic qui ſolvit pro altero pretium, ne detrudatur in carcerem, dicitur illum a carcere redemiſſe.

276 Dicendum. B. Virgo non habuit debitum proximum contrahendi peccatum originale. Ita cum Scotiſtis, aliisque plurimis de facto ex noſtra Societate ferme omnes contra Suarez, Vaſquez, Valent. Taner. Bellarmin. Simonet &c. Prob. 1. Quando S. Scriptura & SS. Patres dicunt, B. Virginem fuiſſe totam pulchram, perfectam, imaculatam, contriviſſe caput ſerpentis &c. loquuntur univerſaliter, & indefinite: ergo non ſolum indicant, quod B. Virgo non contraxerit peccatum originale, ſed etiam quod in Adam non peccaverit, alias jam verum eſſet, quod aliquando fuerit imperfecta, a ſerpente infernali ſuperata, & meruerit odium Dei; hinc Concilium Tridentinum ſeſſ. 5 in decret. de peccat. orig. ait: *Se nolle comprehendere B. Virginem, ubi de peccato agitur*: & S. Auguſtinus lib. 1 de natur. & grat. cap. 36, quod ipſi collata fuerit *gratia ad vincendum omni ex parte peccatum*. S. Franciſcus Saleſius lib. 2 de amore cap. 6 ait: *B. Virginem non ſolum a peccato ut Angelos, ſed etiam ab omni peccati periculo fuiſſe præſervatam*. S. Anſelmus de concept. cap. 18, *Illam habuiſſe tantam puritatem, qua major ſub Deo nequit intelligi*. Conſentit S. Thomas in exemplaribus antiquis præſertim in 2 Diſt. 44 part. 1 art. 1, ubi docet, *B. Virginem fuiſſe inter omnes creaturas puriſſimam*, & part. 3 in epiſt. ad Galatas lect. 6 *Non inveni mulierem a peccato originali omnino immunem præter puriſſimam & omni laude digniſſimam Virginem Mariam*. Nempe ſicut Regina

gina Esther ne quidem fuit comprehensa in lege, ita B. Virgo in pacto cum Adamo comprehensa non fuit.

Probatur 2. B. Virgo non contraxit pecca- 277
tum originale: ergo neque debitum proximum; cum enim præcipuum caput malitiæ sit in Adamo moraliter peccasse, debitum proximum longe magis dedeceret B. Virginem, quam hoc supposito privatio justitiæ originalis, & contractio peccati in ipsa conceptione; nam ut S. Dionys. de divin. nomin. cap. 4 advertit: *Puniri non est malum, sed fieri pœna dignum*; privatio autem gratiæ est tantum pœna peccati præcedentis. Certe major est dedecentia in Adamo peccasse, quam habuisse fomitem peccati, subjectum fuisse corruptioni corporis &c. & tamen ab his malis propter dignitatem Matris Dei per merita Christi fuit præservata: ergo multo magis censendum est, quod fuerit præservata a debito proximo contrahendi peccatum originale. Conf. B. Virgo fuit destinata, ut sit Mater Dei, & Regina non solum hominum, sed etiam Angelorum; adeoque in primo conceptionis instanti erat donanda perfectissimo usu rationis, & longe majoribus gratiis naturalibus, ac supernaturalibus, quam Adamus, & omnis alia creatura; ut cum Suario concedunt ipsi in hac quæstione Adversarii nostri: ergo neque optabile erat, neque conveniens, ut ejus voluntas alligaretur voluntati Adami in ordine ad jacturam vel consecutionem summæ felicitatis, sicut non esset optabile, aut decens, ut voluntas sapientissimi Regis in negotio maximi momenti alligaretur voluntati alicujus subditi longe minus sapientis.

Cæterum quamvis Deus juxta principia Re- 278
centiorum post scientiam simplicis intelligentiæ & scientiam mediam, quibus cognoscit omnia

possibilia, & sub certis conditionibus futura, decernat cuncta unico simplicissimo actu, qui detur successio signorum naturæ, aut quasi naturæ inter decreta divina, adeoque nec decretum unius objecti, nec scientia visionis, quæ realiter & virtualiter est ipsum decretum, Deum ad decernendum aliud objectum dirigat; datur nihilominus successio signorum naturæ, & vera prioritas, ac posterioritas inter objecta volita in quantum Deus vult unum esse propter aliud seu unum ab alio dependere tanquam effectus a causa. Unde ipsa diversitas objectorum inter se comparatorum præbet nobis fundamentum decretum Dei diversimode concipiendi, & si statuendi diversas formalitates & signa rationis ita, ut decretum prout tendit in unum objectum, sit ratione & logice prius, & prout tendit in aliud objectum, sit ratione posterius. Ex quo nova exsurgit difficultas, qualia signa rationis statuenda sint in decreto, quo Deus voluntates reliquorum hominum alligavit ad voluntatem Adami: B. Virginem vero ab hac alligatione excepit, idque propter merita Christi.

279 Difficultatem hanc pluribus exsplicavi in tractatu de Deo, ubi varios indicavi modos, quibus illam Auctores complanare solent. Unicum breviter hic repeto. Itaque postquam Deus per scientiam simplicis intelligentiæ, & mediam cognovit quid Adamus, quid posteri, quid B. Virgo, quid Christus sub hac libertate essent facturi, uno virtualiter indivisibili decreto statuit 1. Volo mittere Christum tanquam Redemptorem in carne passibili, ejusque merita prædefinire, in remedium peccati, quod video ab Adamo committendum, si ipsi conferrem hanc libertatem. 2. Ob hæc merita in Matrem Christi volo eri-

gere

gere hanc Virginem Mariam. 3. Volo insuper producere Adamum, & hos illius posteros, eorumque voluntates alligare voluntati Adami in ordine ad præceptum de fructu vetito, excepta tamen ob merita Christi illius Matre. 4. Volo Adamo conferre hanc libertatem, & permittere ipsius lapsum &c. Neque obstat, quod a parte rei objecta decreta longe alio ordine sibi invicem succedant; nam sæpe id primum concipitur in mente, quod in executione est ultimum; hinc illud commune: Finis est primum in intentione, ultimum in executione.

Objectiones.

Obj. 1. Juxta S. Scripturam omnes illi pec- 280
carunt in Adamo, qui a Christo fuerunt redempti: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*, 1. Cor. 15 v. 22. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem*, ad Rom. 5 v. 18; atqui B. Virgo a Christo fuit redempta: ergo. Conf. Christus morte sua solum redemit eos, qui in Adamo lapsi sunt. *Non enim est opus valentibus medicus, sed male habentibus*, Matth. 9 v. 12. Resp. Dist. Maj. qui a Christo fuerunt redempti, redemptione reparativa, Conc. Maj. præservativa, Neg. Maj. & sic Dist. min. Conf. in allatis textibus non instituitur paritas omnimoda, alias etiam Eva peccasset in Adamo. Igitur quoad mortem Christi & vivificationem in Christo accipiendi sunt illimitate, cum nulla sit ratio, faciendi restrictionem; uterque tamen debet sumi in sensu accommodo quoad mortem hominum in Adamo, exceptis nempe individuis speciali nota dignis. Ad Conf. eadem est responsio; nam modo B. Virgo habuerit debitum remotum pec-

cati originalis, vere poteſt dici a Chriſto redempta; hinc antecedens illimitate acceptum falſum eſt, & S. Matthæus loquitur de Chriſto ut medico reparativo.

281 Dices 1. S. Paulus 2 Cor. 5 v. 14 ita argumentatur: *Si unus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus;* atqui hæc argumentatio eſſet nulla, ſi pro aliquo tantum fuiſſet mortuus præſervative. Conf. SS. Patres cum S. Auguſtino epiſt. 156 paſſim docent, neminem poſſe redimi, niſi actu ſit captivus, vel captivitati obnoxius: ergo ad redemptionem non ſufficit debitum remotum; alias etiam dici poſſet, quod B. Virgo fuerit redempta a peccatis actualibus, imo etiam, quod redempti ſint Angeli. Reſp. Si argumentatio Apoſtoli ſtricte deberet accipi, B. Virgo omnino contraxiſſet peccatum originale; nam mori peccato proprie eſt in ſe habere peccatum, & eſſe privatum gratia ſanctificante. Dein in hoc loco non eſt ſermo de morte peccati, ſed de morte mortificationis, & abnegationis, ut colligitur ex contextu. *Mortui ſunt,* inquit S. Thomas, *omnes, id eſt, ita ſe debet quilibet reputare, ac ſi mortuus eſſet ſibi juxta illud* ad Coloſſ. 3 v. 3. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Denique etiam hic textus juxta S. Anſelmum poteſt ſumi accommode hoc ſenſu: Si Chriſtus pro omnibus mortuus eſt morte reparativa, excepta B. Virgine: ergo illa excepta omnes mortui ſunt. Ad Conf. dico, illos Patres loqui de redemptione reparativa, vel præſervativa a debito proximo. Si autem intelligatur præſervatio a debito remoto, nihil videtur eſſe abſurdi, quod B. Virgo dicatur præſervata a peccatis actualibus, quatenus ob merita Chriſti fuit libera a fomite

mite peccati, & reliquis animæ vulneribus: certe S. Bernardus ſerm. 72 in Cantica ait, etiam Angelos a Chriſto redemptos eſſe, cum tamen illi nequidem habuerint debitum remotum.

Dices 2. Pontifex Zoſimus apud S. Augu- 282
ſtinum epiſt. 150. ait: *Nullus, niſi qui peccati ſervus eſt, liber efficitur, nec redemptus dicitur, niſi qui vere per peccatum fuerit ante captivus:* ergo ad redemptionem non ſufficit debitum tantum remotum. Conf. Etſi B. Virgo peccaſſet in Adamo, non fuiſſet maculata, quia nihilominus in primo inſtanti conceptionis fuiſſet ſanctificata: ergo debitum proximum nullam importat indecentiam, aut turpitudinem moralem ſaltem intrinſecam. Reſp. Diſt. Ant. niſi qui vere antea fuerit ſervus vel captivus aut re ipſa, aut debito, Conc. Ant. neceſſario re ipſa, Subdiſt. non redimitur reparative, Conc. Ant. præſervative, Neg. Ant. Verba Zoſimi ſtricte accepta rurſus probarent, B. Virginem peccatum originale contraxiſſe. Ad Conf. Diſt. Ant. non fuiſſet maculata, id eſt, actu non contraxiſſet peccatum originale, Conc. Ant. non peccaſſet, Neg. Ant. debitum proximum non tantum dicit deſcenſum ab Adamo rebelli, ſed etiam alligationem ad ejus voluntatem; hinc licet beata Virgo cum macula peccati originalis nunquam actu exſtitiſſet, tamen revera juxta adverſarios peccaſſet, fuiſſet rebellis Deo, meruiſſet illius odium, quæ denominationes ſunt utique aliqua indecentia & turpitudo moralis, & ſuum effectum formalem tribuunt, modo anima B. Virginis ante conceptionem exſtiterit moraliter. Imo licet ſtatim fuerit ſanctificata, tamen in primo inſtanti pro priori ſigno fuiſſet debitrix, & in actu ſecundo debuiſſet maculam originalem contrahere, niſi Deus ceſſiſſet jure ſuo, hoc autem dedecet Matrem Dei nitentem ea puritate, qua major ſub

Deo inveniri nequit, ut ait S. Anſelmus loc. cit.

283 Obj. 2. Si B. Virgo fuiſſet exempta a pacto cum Adamo a Deo inito, tunc propter merita & paſſionem Chriſti; hoc fieri non potuit: ergo. Maj. Prob. Quia merita Chriſti non fuerunt decreta ante peccatum Adami; ſi enim Adam non peccaſſet, Chriſtus non veniſſet. Conſ. Neque Chriſtus, neque ejus merita exſtiterunt antecedenter & independenter a B. Virgine: ergo non potuerunt eſſe natura priora ad ejus electionem, & redemptionem; nam quod eſt natura prius debet movere, ut aliunde exiſtens. Reſp. Conc. Maj. Neg. min. Ad prob. Diſt. Ant. merita Chriſti non fuerunt decreta ante peccatum Adami conditionate præviſum, Conc. Ant. abſolute prævisum, Neg. Ant. loquendo de prioritate ſolum logica. Quamvis Deus Chriſtum ut redemptorem non potuerit decernere ſine aliquo reſpectu ad peccatum Adami, conditionate per ſcientiam mediam prævisum, hac tamen ſcientia ſuppoſita nihil obſtat, quo minus illum in primo ſigno rationis intendere potuerit, modo in eodem realiter decreto etiam voluerit peccatum Adami permittere, & ſic purificare conditionem, ſub qua Chriſtus erat venturus. Ad Conſ. Diſt. Ant. Chriſtus ejusque merita exſtiterunt dependenter a B. Virgine dependentia phyſica, Conc. Ant. intentionali, Neg. Ant. Chriſtus, ejusque merita potuiſſent exiſtere independenter a B. Virgine, & licet de facto phyſice ab illa dependerint, non tamen ideo Deum moverunt ad ejus electionem & præſervationem, ſed ut intentionaliter aliunde exiſtentia. Sic juxta familiare exemplum in Philoſophia, victoria ut intentionaliter aliunde exiſtens poteſt eſſe natura prior ad donationem gladii, a quo phyſice dependet.

Dices

Dices 1. Ipſa B. Virgo juxta probabilem 284
ſententiam merita eſt generare Chriſtum, & quidem per influxum phyſicum: ergo merita Chriſti non potuerunt eſſe natura priora ad electionem B. Virginis in Matrem Dei, & gratias ipſi conceſſas. Conf. Si Adam non peccaſſet, B. Virgo non fuiſſet nata, & Chriſtus nullam habuiſſet Matrem: ergo ſaltem ante peccatum Adami non potuit in Matrem eligi, & ideo a peccato originali præſervari. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Argumentum rurſus tantum probat, quod detur mutua naturæ prioritas inter merita Chriſti, & merita B. Virginis tanquam inter duas cauſas morales, phyſice quidem inter ſe connexas, intentionaliter autem & præciſive independentes, in quantum Deus non movetur ab iſtis meritis, ut a ſe invicem dependentibus, ſed a meritis præciſe ſecundum ſe acceptis. Ad Conf. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. non potuit in Matrem eligi ſine reſpectu ad peccatum Adami conditionate exiſtens, Conc. Conſ. ſine reſpectu ad peccatum Adami jam antecedenter abſolute exſtiturum, Neg. Conſ. Imo etſi Chriſtus non veniſſet, B. Virgo potuiſſet naſci, & vi alterius decreti includi in pacto cum Adamo, unde tamen habuit periculum, ne includeretur. Sic B. Joannes Baptiſta per miraculum fuit conceptus, probabilius non naſciturus, ſi Chriſtus non veniſſet, & tamen non ſolum habuit debitum peccati originalis, ſed illud omnino contraxit.

Dices 2. Licet poſſit dari mutua naturæ 285
prioritas inter duas cauſas morales reſpectu diverſarum voluntatum creatarum, nequit dari reſpectu ejusdem voluntatis divinæ, cui ſuo modo prælucet intellectus incapax omnis ignorantiæ, & confuſionis; alias Deus poſſet ſic de-

cernere : quia Chriſtus, ejusque merita exiſtent dependenter ab his gratiis B. Virgini conceſſis, volo illas gratias conferre ; quod abſurdum. Conf. Deus nequit præmiare merita tantum conditionate prævifa : ergo ſcientia, dirigens decretum collativum gratiarum, non eſt ſola ſcientia media, ſed etiam ſcientia viſionis de meritis abſolute futuris. Reſp. Neg. Ant. Licet Deus per ſcientiam viſionis cognoſcat omnia principia, & cauſas, a quibus tam merita Chriſti, quam B. Virginis quomodolibet dependent ; hæc ſcientia Deum non dirigit ad ſua decreta, ſed ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & media. Jam vero ſcientia media ex parte hypotheſis ſolum attingit ea, quæ conſtituunt actum primum proximum liberum, & cum libertate eſſentialiter connectuntur, adeoque ad lineam hujus ſcientiæ non pertinet mutua dependentia moralis inter merita Chriſti, & B. Virginis, ſed Deus in ſuo decreto tantum tendit hoc modo : Decerno Chriſtum, & quia eliciet hæc merita, volo propterea in matrem eligere Mariam, eamque a labe originali præſervare. Ad Conf. Diſt. Ant. Deus nequit præmiare merita tantum conditionate prævifa, niſi ſimul per idem decretum velit purificare conditionem, ſub qua prævidentur exſtitura, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. & Conſ.

286 Obj. 3. Si B. Virgo fuiſſet decreta ante Adamum, non fuiſſet prævifa ut ab Adamo deſcendens : ergo ne quidem habuiſſet debitum remotum. Conf. Si fuiſſet decreta ante Adamum, veniſſet, etſi Adam, imo mundus futurus non fuiſſet ; hoc eſt incredibile : ergo. Reſp. Diſt. Ant. non fuiſſet prævifa ut ab Adamo deſcendens vi ſolius decreti intentivi & in ſigno priori, Conc. Ant. vi decreti exſecutivi, & in ſigno poſteriore, Neg. Ant. & Conſ. Quamvis ſecundum ſignum decreti formaliter nondum decernat aut repræ-

repræſentet B. Virginem ut ab Adamo deſcendentem, illam ita repræſentat ſignum tertium rationis; neque ideo decretum divinum in ſe eſt præciſivum, ſed tantum nos illud præciſive ſecundum diverſas formalitates concipimus. Ad Conf. Neg. Maj. præſertim ſi mundus non fuiſſet conditus. Ratio eſt, quia Deus in hac providentia non voluit Chriſtum & B. Virginem ſolos, ſed iſtos primo, & alios propter ipſos producere; hinc ſtatim Chriſtum intendit ut Redemptorem. Sic Rex intenditur primo, non tamen intenditur, ut ipſe ſit ſolus, etſi nullus ſubditus exiſtat. Sic licet Adam fuiſſet primo decretus, ex hoc non ſequeretur, quod veniſſet, etſi nullus alius homo futurus fuiſſet.

Dices 1. Tali modo B. Virgo nequidem 287
fuiſſet incluſa in pacto cum Adamo quoad partem favorabilem; hoc dici nequit; alias ſi Adam non peccaſſet, ab illo non habuiſſet gratiam originalem. Conf. Si Deus B. Virgini negaſſet gratiam; tunc vel illa fuiſſet relicta in ſtatu puræ naturæ, quod in hac providentia nequit fieri, vel fuiſſet obnoxia privationi gratiæ ſanctificantis: ergo hoc ipſo habuiſſet debitum proximum. Reſp. Conc. Maj. Neg. min. rationem additam Diſt. non habuiſſet gratiam originalem per Adamum in hac providentia, & vi præſentis decreti, Conc. min. in alia providentia, in qua Deus illam in pacto cum Adamo incluſiſſet, Neg. Decretum, quod nunc datur, cum jam ſuppoſuerit ſcientiam mediam de peccato Adami, non decrevit gratiam derivandam ab Adamo in ullum hominem, neque conveniens erat, ut Regina Angelorum & hominum juſtitiam originalem ab Adamo reciperet, ſed ſi Chriſtus etiam veniſſet Adamo non peccante, hanc gratiam Deipara decentius acce-

piſſet

pisset a meritis Christi ratione suæ electionis in Matrem. Ad Conf. Neg. suppositum, quod Deus in hac providentia, in qua omnes homines elevavit ad statum supernaturalem, B. Virgini gratiam negare possit, utpote cui per merita filii impetrata fuit exemptio a peccato non qualiscunque, sed conjuncta cum infusione gratiæ. Quid vero in alia providentia factum fuisset, otiosis divinandum relinquo.

288 Dices 2. Saltem B. Virgo non contraxisset peccatum originale, etsi a Deo non accepisset gratiam sanctificantem; quippe juxta nos a peccato & ejus debito fuisset liberata per gratiam pure extrinsecam, nempe per decretumDei: ergo gratia illi collata non fuisset præservativa a peccato originali. Conf. Nemo eximitur a lege vel pacto, nisi prius illi fuerit subjectus. Sic qui redimeret patrem ex servitute, ideo non redimeret ejus prolem, si pater fuisset in servitutem redactus cum expresso pacto, ne proles fieret serva. Resp. Neg. suppositum, quod B. Virgo a pacto fuisset exempta, nisi illi etiam fuisset decreta gratia; utrumque enim Christus indivisim a patre petiit, utrumque Deus indivisim decrevit. Hinc licet formaliter a pacto liberata fuerit per decretum, tamen simul vi ejusdem decreti gratia illi fuit collata, quæ cum stare non possit cum macula peccati originalis, fuit proprie præservativa. Ad Conf. Dist. Ant. nisi legi sit subjectus saltem remote, & conditionate, Conc. Ant. absolute, Neg. Ant. B. Virgo fuit conditionate huic legi subjecta, quia in pacto includi potuisset, nisi ex meritis Christi fuisset exempta. Porro etiam proles talis patris vere diceretur redempta, si quis jam antecedenter dedisset pretium, ne in servitutem posset redigi.

289 Obj. 4. Si Deus in primo signo decrevisset Christum ut Redemptorem, intendisset, & amas-

amasset peccatum. Prob. qui efficaciter vult finem, vult etiam medium ad finem necessarium; sed Deus voluisset Christum Redemptorem, ut finem, & peccatum esset medium ad hunc finem necessarium: ergo. Conf. Intentio efficax finis determinat ad electionem medii; sed hæc electio non potest fieri, nisi medium ametur: ergo. Resp. Neg. sequelam. Ad Prob. Dist. Maj. si medium non sit ponendum ab alio vel absolute, vel saltem conditionate, Conc. Maj. secus, Neg. Maj. Nemo ex intentione finis plus debet amare, quam necessarium sit amare, ut obtineatur finis: cum igitur Deus præviderit, quod ipse Adam libere esset peccaturus, modo Deus peccatum permitteret, neutiquam fuit opus, ut peccatum intendat, aut amet in ordine ad redemptionem consequendam. Adde, quod peccatum non habeat positivam utilitatem, & virtutem causandi redemptionem, vel Deum determinandi ad sui electionem, adeoque proprie non sit medium, sed tantum aliquod necessarium requisitum ad redemptionem, ut in simili dixi tractatu de Deo num. 441. Ad Conf. Dist. Maj. nisi hoc medium prævideatur eligendum ab alio, Conc. Maj. secus, Neg. Maj. Modo intentio redemptionis determinet Deum ad permissionem peccati; quæ se habet instar medii remoti, Deus jam obtinet suum finem, adeoque opus non est, ut ipsemet peccatum tanquam medium proximum eligat. Sic ægrotus ex amore sanitatis non tenetur positive velle adventum medici, si videt illum aliunde esse adventurum.

Dices 1. Deus permittit peccatum ex amore redemptionis: ergo amat permissionem tanquam utilem ad redemptionem, ita, ut hæc utilitas sit ratio movens ad amorem: atqui hæc utilitas præcise consistit in hoc, quod permis- 290

sio

ſio conjungatur cum peccato : ergo amat peccatum. Conf. Honeſtas, & delectabilitas eſt objectum movens ad amorem fruitionis : ergo utilitas eſt objectum movens ad amorem electionis. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Deus non ideo vult permiſſionem peccati vel auxilium inefficax, quia eſt utile, vel ut ſit utile ad redemptionem, ſed cum ſit utile, adeoque utilitas permiſſionis, & inefficacia auxilii non eſt ratio movens ad amorem, ſed conditio neceſſaria ad redemptionem, cum ad hunc finem neutiquam neceſſarium ſit, ut permiſſio peccati poſitive tanquam utilis intendatur. Sic quando Deus unum peccatum punit altero, non amat peccatum tanquam utile ad pœnam, ſed cum illud utile ſit, permittit. Imo etſi Deus permiſſionem peccati vellet tanquam utilem ſeu propter utilitatem, ideo necdum peccatum amaret, ſicut judex non amat crimen, propter quod vult pœnam, nec Petrus inopiam Pauli, propter quam illi ſuccurrit. Ad Conf. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ſi utilitas ſit poſitiva, Tranſ. Conſ. ſi tantum negativa, Subdiſt. eſt ratio movens in ſenſu mere negativo, quatenus removet prohibens, Tranſ. Conſ. in ſenſu poſitivo, Neg. Conſ. utilitas permiſſionis & auxilii inefficacis, ſolum facit, ut finis a Deo intentus non impediatur, adeoque ad ſummum movet ad hoc, ut a Deo permittatur.

291 Dices 2. Deus poſita prima formalitate noſtri decreti non poſſet intendere auxilium Adamo conferendum, niſi prævideret illud eſſe inefficax : ergo poſitive illud vult, prout eſt inefficax. Conf. Licet permiſſio peccati ſufficiat, ut exiſtat redemptio quomodocunque, non ſufficit, ut exiſtat ex induſtria, & influxu ipſius intentionis : ergo ut tali modo detur, peccatum

catum debet amari tanquam utile. Reſp. Diſt. Ant. non poſſet conferre auxilium, niſi illud prævideret eſſe inefficax, neceſſitate præciſe conſequente, & in ſenſu compoſito formalitatis primæ, Conc. Ant. neceſſitate antecedente, & in ſenſu diviſo, Neg. Ant. & Conſ. Deus ad dandum auxilium, ut ſæpe dixi, non dirigitur a ſuo decreto, & ſcientia viſionis, ſed antecedenter intendit, ut illud ſit efficax, paratus non intendere redemptionem, ſi Adam auxilio cooperaretur. Quod autem poſita prima formalitate decreti, quæ jam virtualiter & connexive eſt voluntas dandi auxilium inefficax, non amplius poſſit aliud dare, quam quod prævidet inefficax fore, tam parum obſtat, quam quod neceſſario debeat dare auxilium inefficax, poſito, quod formaliter decernat illud dare. Ad Conf. Imprimis Nego ſuppoſitum, quod Deus redemptionem ita intendat reflexe, ut ponendam ex vi ſuæ intentionis, ſufficit enim, ſi actus imperans determinet ad imperatum exercite, & ſecundum ſe. Dein Neg. Conſ. Quia amor peccati ut utilis non magis conducit, ut redemptio ex vi intentionis exiſtat, quam permiſſio peccati.

Dices 3. Saltem Deus juxta nos non am- 292
plius poſſet odiſſe peccatum. Prob. Deus vult redemptionem tanquam finem: ergo non poteſt odiſſe neceſſarium requiſitum ad hunc finem. Conf. Deus volens redemptionem non poteſt ſerio velle, quod redemptionem impediret: ergo non poteſt ſerio velle carentiam peccati; nam volitio efficax finis eſt nolitio efficax tum finis contrarii, tum mediorum, quæ inducunt finem oppoſitum. Sic volitio efficax vitæ, ſimul eſt nolitio efficax mortis, & vulneris lethalis. Reſp. Neg. ſequelam. Ad prob. Conc. Ant. Diſt. Conſ. non poteſt odiſſe neceſſarium requi-

ſitum

ſitum ad hunc finem voluntate inefficaci, Neg. Conſ. efficaci, Subdiſt. effective efficaci, Conc. Conſ. affective efficaci, Neg. Conſ. Ex ſuppoſito, quod Deus velit redemptionem, utique peccatum Adami non poteſt amplius efficaciter impedire, poteſt nihilominus illud, quantum eſt ex ſe, prohibere, & averſari, ut contingit, quando unum peccatum punit altero, imo in permiſſione cujuslibet peccati. Ad Conſ. eadem eſt reſponſio; nam Diſt. Ant. non poteſt carentiam peccati velle ſerio, id eſt, effective efficaciter, Conc. Ant. affective efficaciter, Neg. Ant. Transmiſſo, quod volitio efficax finis ſit, nolitio efficax finis contrarii, & mediorum proprie talium, qui vere ad finem oppoſitum conducerent: poteſt nihilominus eſſe nolitio ſolum inefficax prærequiſitorum ad finem oppoſitum, præſertim ſi hæc prærequiſita prævideantur aliunde ponenda; hinc in caſu noſtro volitio efficax redemptionis eſt ſolum nolitio effective inefficax carentiæ peccati, hoc ipſo quod Deus illud permittat; quippe ad finem obtinendum ſufficit, ut Deus illam nolit inefficaciter. Plura, quæ hic partim ex tractatu de Deo, partim ex tractatu de Incarnatione objici poſſent, lubens omitto, ne, dum nimis diu peccatis immoror, gratiæ detrimentum patiar.



PARS



PARS II.

DE GRATIA.

GRatia, prout hic accipitur, est do- 293
num gratis datum, ut indicat S. Augustinus serm. 61 de verbis Domini: *Gratia ideo gratia, quia gratis datur*, & Apostolus ad Rom. 11 v. 6: *Si autem gratia jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* Conceptus hic genericus est, & sub se continet etiam creationem, conservationem, liberum arbitrium, aliaque beneficia Dei naturalia, quæ ideo dicuntur gratia naturalis, quia nobis conceduntur absque nostris meritis. Quid enim fecimus, ut crearemur a Deo? ut tali indole, ingenio &c. instructi nasceremur? At juxta communem Scripturæ, & Ecclesiæ sensum per gratiam stricte intelligitur donum supernaturale naturæ superadditum; ens autem supernaturale est, quod superat vires tam activas, quam passivas totius naturæ creatæ; & siquidem naturam rationalem ex prædicatis suis intrinsecis disponat ad beatitudinem supernaturalem sive exigitive, ut gratia sanctificans, sive formaliter, ut visio beatifica, erit ens supernatu-

rale theologicum, secus philosophicum, ut suscitatio mortui præcise secundum se considerata.

294 Gratia supernaturalis communiter definitur, quod sit donum supernaturale creaturæ rationali gratis a Deo concessum, & ad consequendam felicitatem supernaturalem ordinatum. Dicitur 1. Donum, quæ vox rationem generis habet, & sub se tam beneficia Dei naturalia, quam supernaturalia complectitur. 2. Supernaturale, ut distinguatur a creatione, libero arbitrio &c. aliisque donis, quæ ad exigentiam naturæ aliquo modo debentur. 3. Creaturæ rationali concessum, quibus verbis designatur, quod sola creatura rationalis sit capax hujus gratiæ. 4. Concessum a Deo; quippe solus Deus potest esse auctor gratiæ supernaturalis juxta illud Psal. 83 v. 12: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* 5. Concessum gratis, quin videlicet sit debitum naturæ, aut operibus justitiæ ex solis viribus naturalibus elicitis. 6. Ad consequendam felicitatem supernaturalem ordinatum, quo sensu S. Augustinus epist. 177 ait: *Gratia est, qua prædestinati vocamur, justificamur, & glorificamur.*

295 Gratia sic definita dividitur 1. In creatam, & increatam. Prior consistit in donis a Deo distinctis, posterior in ipsis prædicatis divinis tam absolutis, quam relativis e. g. in prædestinatione, Incarnatione Verbi Divini & Spiritu sancto, qui passim a Conciliis & SS. Patribus vocatur gratia. Sic S. Augustinus serm. 6 de verbis Domini cap. 1 ait: *Gratia quippe Dei donum est: donum autem maximum ipse Spiritus sanctus est, & ideo gratia dicitur.* 2. In internam, & externam. Interna est in nobis, ut illustratio mentis, pia motio voluntatis, habitus supernaturales &c. externa datur extra nos, ut

ut doctrina Chriſti, exempla virtutum, piæ exhortationes &c. quibus adjuncta interiore gratia excitamur ad bonum agendum, & malum vitandum. Huc etiam pertinet gratia extrinſecæ protectionis, quæ ſaltem eatenus eſt ſupernaturalis, quatenus ex benevolo affectu Dei, & intentione ſalutis æternæ nobis impenditur; hæc enim intentio intrinſece reſpicit felicitatem ſupernaturalem.

Dividitur 3. In gratiam Dei, quæ a Deo 296
confertur abſque reſpectu ad merita Chriſti, uti juxta aliquos fuit collata Angelis, & Adamo: & in gratiam Chriſti, quam Deus nobis largitur intuitu meritorum Chriſti, & tales ſunt gratiæ poſteris Adami de facto conceſſæ. 4. In gratiam ſanitatis, quæ datur ſanis, hoc eſt nullo morbo aut vulnere peccati originalis afflictis: & in gratiam medicinalem, quæ datur hominibus per peccatum originale vulneratis, & infirmis. 5. In gratiam ex pura liberalitate, quæ conceditur quidem citra debitum, non tamen poſitive indigno: & in gratiam ex pura miſericordia, quæ conceditur poſitive indigno, & male merenti. 6. In gratiam ſimpliciter, & gratiam pro gratia. Prima datur homini nullo præcedente merito ſupernaturali: altera datur propter meritum præcedens, quod ex ipſa gratia ortum eſt, uti augmentum gratiæ in homine juſtificato, quod impetratur bonis operibus ex gratia elicitis. Item vita æterna, quæ ſimul eſt merces & gratia: merces, quia meritis rependitur; gratia, quia hæc merita ex gratia proveniunt.

Dividitur 7 in gratiam gratis datam, & 297
gratum facientem. Gratis data ſic dicitur, non quaſi ſola gratis detur, ſed quia proprio ac ſpecifico nomine caret, & vulgo nomen generis accommodari ſolet ſpeciei ignobiliori; jam vero

gratia gratis data eſt ignobilior, quia non ita immediate conjungit cum Deo, ſed primario confertur ad ſalutem aliorum, licet ſecundario etiam conducat ad ſalutem illius, qui illam recipit. Novem ſpecies ab Apoſtolo 1 ad Cor. 12 v. 8 & ſeqq. enumerantur; *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia ſanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum: alii prophetia: alii diſcretio ſpirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio ſermonum.* Ex quibus colligis, gratias gratis datas non ſemper conferri omnes uni, ſed diverſas diverſis, & quandoque etiam improbis, ut patet exemplo Balaam, & Caiphæ, qui dono prophetiæ inſtructi fuerunt.

298 Gratia gratum faciens confertur primario ad recipientis propriam ſalutem, ut gratus & acceptus Deo reddatur, aut formaliter, ut fit per gratiam ſanctificantem, aut diſpoſitive ac præparative, ut fit per gratias actuales, quæ ſaltem in actu primo hominem ſanctum faciunt. Unde hæc gratia ſubdividitur in habitualem, & actualem. Prior inhæret animæ ſtabiliter per modum habitus, uti virtutes infuſæ, ſeptem dona Spiritus ſancti, & præcipue gratia ſanctificans, quæ hominem facit amicum Dei, ejus filium adoptivum, & hæredem regni cæleſtis; unde propter ſuam præſtantiam antonomaſtice gratia habitualis vocatur. Gratia actualis & interna eſt auxilium ſupernaturale phyſice ac tranſeunter inhærens animæ, eamque movens ac juvans ad actus ſalutares. De hoc Concil. Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 16 ait: *Quod in juſtificatos jugiter influat, bona eorum opera ſemper antecedat, comitetur, & ſubſequatur.* De eadem loquitur Regius Pſaltes: *Miſericordia ejus* præ-

præveniet me, Pſalm. 58 v. 11 : *Miſericordia tua Domine adjuvabit me*, Pſal. 93 v. 18. *Miſericordia tua ſubſequetur me*, Pſalm. 22 v. 6.

Unde gratia actualis triplex eſt, præve- 299
niens, concomitans, & ſubſequens. Per prævenientem, in quantum etiam excitans, præparans, operans, & vocatio appellatur, intelligitur illa, qua per ſubitos, & indeliberatos motus a Deo excitamur, & movemur ad bonum agendum, & malum fugiendum; unde hæc gratia actus ſalutares liberos præcedit, eamque Deus dicitur in nobis operari ſine nobis, non quaſi in hos ipſos motus phyſice non influamus, ſed in quantum illos non elicimus libere. Concomitans ſive cooperans & adjuvans eſt, qua Deus actu adjuvat voluntatem ad conſentiendum gratiæ excitanti & ponendum actum ſalutarem; hinc poteſt accipi vel pro ipſo influxu Dei cum actu libero identificato, vel pro auxilio præveniente, in quantum perſeverat, & nunc actu influit. Gratia ſubſequens, vel eſt ipſa gratia adjuvans, in quantum gratiam prævenientem præſupponit: vel eſt ſimul gratia præveniens, & adjuvans, prout a Deo continuatur ad perficiendum bonum propoſitum ex utriusque gratiæ auxilio præconceptum, ut exſplicat S. Auguſtinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. *Hominis propoſitum bonum adjuvat quidem ſubſequens gratia, ſed nec ipſum eſſet, niſi præcederet gratia.*

Denique gratia excitans ulterius ſubdividi- 300
tur in efficacem, & mere ſufficientem ſeu inefficacem. Efficax eſt, quæ non ſolum dat poſſe, ſed ipſum velle & operari, id eſt, non tantum potentiam ad ſancte volendum, & operandum, ſed ipſam ſanctam volitionem, & operationem, ita ut cum actu ſalutari infallibiliter

conjungatur. Gratia mere ſufficiens eſt, quæ tantum dat poſſe, ſed non ipſum velle, & operari, ita, ut cum actu ſalutari, ad quem in actu primo movet, non conjungatur, non quidem ex defectu ſe tenente ex parte ipſius auxilii, ſed ex defectu voluntatis libere nolentis cooperari. Cæterum hactenus dicta intelligenda ſunt de gratia ſupernaturali quoad ſubſtantiam ſeu entitatem ſuam, quæ videlicet vires, & exigentiam totius naturæ creatæ ſuperat intrinſece, & in omnibus circumſtantiis; ſi enim illas tantum ſuperaret in aliquibus circumſtantiis, in quibus hic & nunc producitur, uti inſtantanea curatio morbi, qui lentis remediis poſſet curari, eſſet ſolum ſupernaturalis quoad modum, vel ſupernaturalis extrinſece, in quantum datur ex meritis Chriſti, & ad finem ſupernaturalem ordinatur.

301 Quæres 1. In quo a parte rei conſiſtat gratia actualis interna præſertim excitans. Reſp. cum communi aliorum contra Thomiſtas, illam conſiſtere in actibus ſupernaturalibus intellectus, & voluntatis, quin requiratur alia qualitas mortua ac tranſiens ſuperaddita. Num. 1. Scriptura gratiam illuſtrationis vocat *Locutionem ad cor, illuminationem oculorum, ſpiritum ſapientiæ &c.* gratiam vero inſpirationis nominat *dilatationem cordis, ſuavitatem. & pulſationem ad cor &c.*; hæc autem proprie ſignificant actus intellectus, & voluntatis. 2. Eodem modo gratiam actualem exſplicant Concilia Senonenſe decret. 15, Carthaginenſe III can. 4, Arauſicanum II can. 7, & Tridentinum, quod ſeſſ. 6 cap. 5 docet, *juſtificationis exordium in adultis a Deo per Chriſtum JEſum proveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione ita, ut tangente Deo cor hominis per Spiritus illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere*

re potest. 3. Consonant SS. Patres, quorum omnium loco sit S. Augustinus. Hic lib. 2 de peccat. merit. & remiss. cap. 17, postquam dixit ex duplici capite provenire, quod homo non faciat justum; quia nempe id latet, vel quia non delectat, subjungit: *Ut autem innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est.* Similia habet cap. 19.

Dixi in actibus supernaturalibus, quos homo elicit non tantum ex viribus naturæ, sed ex viribus per principium aliquod supernaturale elevatis, quale principium in homine justo sunt habitus virtutum infusi, in peccatore autem omnipotentia Dei specialiter applicata. Hinc licet homo in tales actus physice influat, sunt tamen proprie dona Dei, & superant vires totius naturæ creatæ, sicut illas superant actus meritorii vitæ æternæ, quamvis physice producantur a voluntate. Neque ideo homo per gratiam prævenientem se ipsum excitat, vel sibi ipsi auxiliatur; nam istæ denominationes non tribuuntur causæ pure physicæ, & subordinatæ, sed causæ principali, & libere moventi, præsertim si hæc alteram concausam ad physice concurrendum debeat elevare. Quod si quandoque etiam unus actus deliberatus moveat, & juvet ad alium eliciendum e. g. fervens oratio ad vincendas tentationes; nondum proprie loquendo homo sibi auxiliatur tanquam auctor, tum quia etiam ad istos actus a Deo specialiter debuit elevari, tum quia tamen ultimato dependent ab illustratione & inspiratione prævia indeliberata, quæ principaliter rationem gratiæ in se continet. 302

Quæres 2. An gratia præveniens in actus salutares influat physice vel tantum moraliter? Resp. In hoc non convenire auctores. Pro influxu physico stant Sotus, Molina, Vasquez, Lessius, & antiquiores passim; quia juxta 303

Scripturam, concilia & Patres gratia nobiscum laborat, libero arbitrio cooperatur, juvat nostram imbecillitatem, dat vires, & sufficientiam, nos non tantum regit, sed agit, quod juxta S. Augustinum plus est, quam regere: *Qui enim regitur, aliquid agit, qui vero agitur, ille agere aliquid vix intelligitur*, ut ait lib. de gestis Pelagii cap. 3. Verum Suarius, Granad. Ovied. Tanner, Arriag. cum multis recentioribus existimant, ex his locutionibus non satis probari influxum physicum gratiæ actualis specificative acceptæ, prout dicit solam illustrationem, & inspirationem, sed illas esse intelligendas de gratia actuali reduplicative sumpta, prout includit etiam habitus supernaturales vel omnipotentiam Dei specialiter applicatam, præsertim cum istæ denominationes laborare, agere, cooperari, vires præbere &c. sæpe etiam tribuantur causis moralibus, quæ concurrunt suadendo, consulendo &c. Porro S. Augustinum tantum facere discrimen inter regi, & agi in sensu Pelagii, qui volebat hominem ad actus salutares regi solis viribus naturalibus; Augustinus autem docebat eundem agi viribus supernaturalibus gratiæ, quæ cum sit causa principalis, & ab homine non producatur libere, homo in ordine ad salutem longe minus, imo vix aliquid agit.

304 Quæres 3. An gratia sit tota ratio agendi? Affirmant communiter Thomistæ recentiores, docentes, voluntatem quidem producere actus salutares ut quod, non tamen in illos physice influere, sed totam virtutem producendi esse gratiam auxiliantem; ferme sicut aqua calida tantum calefacit ut quod, calor autem ut quo. Sed contra est 1. Apostolus 1 ad Cor. 15. v. 10 ait: *Abundantius omnibus laboravi; non ego, sed gratia Dei mecum.* Quæ verba aperte innuunt, quod licet gratia Dei sit causa principalis actuum salu-

luta-

lutarium, ſimul tamen cum illa operetur, & laboret homo. 2. Concilium Trident. ſeſſ. 6 can. 4. definit, *Quod homo divinæ gratiæ aſſentiendo, & cooperando non ſe habeat mere paſſive, velut quoddam inanime nihil agendo.* Ergo voluntas non tantum agit, ut quod, id eſt, recipiendo gratiam; hoc enim hæretici, contra quos agit Concilium, non negarunt, ſed concurſum immediatum voluntatis in actus ſalutares. 3. Actus ſalutares ſunt actus vitales, & quidem liberi; jam vero actus vitales neceſſario debent procedere a principio vitali ſe ipſum movente & perficiente altiori modo, quam perficiuntur inanimata; actus autem liberi inſuper debent eſſe a principio eligente. Atqui ſola voluntas poteſt eſſe electiva; gratia autem ſicut in malum influere non poteſt, ita nequit eligere bonum præ malo.

DISPUTATIO I.

De variis ſtatibus naturæ in ordine ad gratiam.

Status hic ſignificat certam conditionem totius 305
generis humani in ordine ad finem ultimum ſecundum divinæ providentiæ diſpoſitionem. Dividitur in ſtatum viæ, in quo ad beatitudinem tenditur; & in ſtatum patriæ, in quo beatitudo poſſidetur. Status viæ quadruplex notandus eſt. Primus eſt ſtatus puræ naturæ, in quo homo præter ſuas perfectiones eſſentiales tantum haberet facultates naturales cum concurſu ac providentia Dei connaturaliter ſibi debita, absque ordinatione ad felicitatem ſupernaturalem, & ſine omni dono ſupernaturali, ſimul tamen absque peccato originali. Secundus eſt ſtatus naturæ elevatæ, & integræ, in quo homo ordinatus eſt ad felicitatem ſupernaturalem, & præ-

ter immunitatem a culpa, & pœna habuit donum integritatis seu justitiæ originalis, quod donum juxtá S. Thomam 1. 2 q. 85 includit gratiam sanctificantem, perfectam subjectionem appetitus sensitivi ad rationem, immunitatem a morte, morbis, doloribus &c. Tertius est status naturæ lapsæ, in quo per peccatum originale justitiam originalem amisimus, & nascimur filii iræ, obnoxii peccato, rebellioni, concupiscentiæ, morti, cæterisque hujus vitæ malis. Quartus est status naturæ reparatæ, in quo per merita Christi rursus possumus obtinere gratiam sanctificantem, & jus ad cælestem gloriam, manentibus tamen reliquis naturæ vulneribus ad exercitium virtutis.

306 Quod de facto non detur status puræ naturæ, est certa fidei doctrina contra Pelagianos, & Socinianos. Nascimur quidem sine gratia sanctificante, & subjecti morti, aliisque puræ naturæ infirmitatibus; at hæc gratiæ privatio aliæque miseriæ primum inductæ sunt per peccatum originale, ante quod Adamum in gratia constitutum fuisse imprimis docet Scriptura, dum Eccles. 7 v. 30 ait: *Quod fecerit Deus hominem rectum:* quæ rectitudo juxta modum loquendi Scripturæ non tantum consistit in carentia peccati, sed in justitia, & gratia: *Recti diligunt te*, Cant. 1 v. 3. *Salvos fecit rectos corde*, Psalm. 7 v. 11. Hinc Apostolus ad Ephes. 4 v. 23 hortatur, ut reparemus illam gratiam, in qua primus homo conditus fuerat, quamque peccando amisit: *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Idem tradunt SS. Patres Irenæus lib. 5 cap. 6, Basil. Homil. 10 in Hexam. Bernard. serm. 1 de Annunt. &c. qui illud Geneseos 1 v. 26: *Faciamus hominem ad*

ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, ita exponunt, ut imaginem in natura, ſimilitudinem in gratia reponant. Tridentinum vero ſeſſ. 5 can. 1 ita ſtatuit: *Si quis non confiteatur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiſo fuiſſet transgreſſus, ſtatim ſanctitatem, & juſtitiam, in qua conditus fuerat, amiſiſſe, anathema ſit.*

Ex quibus Theologi communiſſime dedu- 307
cunt 1, quod Adamus gratiam ſanctificantem ſtatim acceperit in primo inſtanti ſuæ creationis. Nam ut S. Auguſtinus lib. de corrept. & gratia cap. 11 ait: *Tunc ergo Deus dederat homini bonam voluntatem, in illa quippe eum ſecerat, qui fecerat rectum.* Bona autem voluntas in phraſi Auguſtiniana eſt charitas, ut docet lib. 1 de gratia Chriſti cap. 21 his verbis: *Quaſi vero aliud eſſet bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis eſſe clamat ex Deo, & a patre datam, ut filii ejus eſſemus.* 2. Quod Adamus etiam habuerit gratiam actualem, qua indigebat, ut bonum opus ſupernaturale eliceret. *Sicut enim*, ait S. Auguſtinus de natura & gratia cap. 26, *oculus corporis etiam pleniſſime ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere: ſic homo etiam perfectiſſime juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, recte non poteſt vivere.* 3. Quod non ſolum habuerit omnem rerum naturalium cognitionem, quæ ſuæ conditioni congruebat, ſed etiam habitus infuſos virtutum, præcipue fidei, & ſpei; quippe ut Apoſtolus ad Hebr. 11 v. 6 ait, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, & accedentem ad Deum credere oportet, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.*

Dona corporis, quod attinet, imprimis ap- 308
petitus Adami inferior perfecte fuit ſubjectus rationi, ut nusquam contra vel præter ejus im-

perium

perium moveretur ; hoc enim exigebat felicis illius ſtatus rectitudo, & ideo Apoſtolus ad Rom. 7 v. 16 rebellionem concupiſcentiæ peccato adſcribit : *Si autem, quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, id eſt, concupiſcentia rebellis tanquam effectus peccati originalis, ut declarat Tridentinum ſeſſ. 5 can. 5 dicens : *Concupiſcentiam ab Apoſtolo peccatum appellari, quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.* Conſonat S. Auguſt. lib. 2 de peccator. merit. & remiſſ. cap. 22, ubi ait de primis parentibus : *Hanc ergo obedientiam priusquam violaſſent, placebant Deo, & placebat eis Deus, & quamvis corpus animale geſtarent, nihil inobediens in illo ſentiebant ; faciebat quippe hoc ordo juſtitiæ -- ut animæ corpus obediret, atque exhiberet vitæ illi congruum ſine ulla reſiſtentia famulatum*, quod Suarius de oper. 6 dierum lib. 3 cap. 6 adſcribit partim complexo ex variis habitibus ad intellectum, voluntatem, & appetitum ſenſitivum pertinentibus : partim extrinſecæ Dei protectioni, qua Deus objecta ad appetitus inordinatos excitantia removebat, vel ipſis negábat ſuum concurſum, vel ipſum appetitum efficacius movebat, quando neceſſarium erat, ut voluntati ad nutum obediret.

309 Præterea Adamus fuit immortalis, non quidem immortalitate naturali, ut Angeli, & animæ rationales, aut ex ipſa conſtitutione corporis, ſed ex gratuito Dei dono, & ſub conditione, ſi in ſua innocentia perſeveraret. Patet hoc ex Sap. 2 v. 25, ubi dicitur : *Deus creavit hominem inexterminabilem -- invidia autem diaboli, mors intravit in orbem terrarum.* Et ad Rom. 5 v. 12 : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors :* quæ verba a Pelagianis ineptiſſime detorquentur ad mor-

mortem animæ ; nam ut arguit S. Auguſtinus lib. 1 de peccator. merit. cap. 2 : *Pœna, quam Deus hic comminatur, de eo intelligitur, de quo Geneſ. 3 dicitur ; in ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es.* Hinc Concilium Tridentinum ſeſſ. 5 can. 1 anathema dicit illi : *Qui non confitetur primum hominem Adam per offenſam prævaricationis incurriſſe mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus.* Quando igitur aliqui Patres immortalitatem Adamo negare videntur, intelligi debent de immortalitate naturali, & abſoluta.

Denique in felici illo innocentiæ ſtatu Adamus etiam fuit liber a morbis, doloribus corporis, & omni hujus vitæ miſeria, quam immunitatem ipſi præſtitit partim fructus de ligno vitæ, qui temperamentum corporis ſemper in optimo ſtatu conſervaſſet, partim naturalis prudentia, qua externa pericula facile potuiſſet vitare, partim denique ſpecialis Dei providentia, quæ cætera mala avertiſſet. *Vivebat*, inquit S. Auguſt. lib. 14 de civit. cap. 26 deſcribens primævam hominis innocentis felicitatem, *ſine ulla egeſtate, ita ſemper vivere habens in poteſtate. Cibus aderat, ne eſuriret ; potus ne ſitiret ; lignum vitæ, ne illum ſenectus diſſolveret ; nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas moleſtias ullis ejus ſenſibus ingerebat : nullus intrinſece morbus, nullus ictus metuebatur extrinſecus : ſumma in carne ſanitas, in anima tota tranquillitas : ſicut in paradiſo nullus æſtus, aut frigus, ita in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonæ voluntatis offenſio : nihil omnino triſte, nihil inerat inaniter lætum &c.* 310

Enumerata hucusque dona primo homini conceſſa fuiſſe, adeo non abnegant plerique hæretici moderni, ut potius contendant, illa fuiſ- 311

fe

ſe naturæ innocenti debita, ſtatum vero puræ naturæ, quem ſupra deſcripſimus, eſſe impoſſibilem. Sic Lutherus in caput 3 Geneſ. ait, juſtitiam originalem homini tam naturalem fuiſſe, quam naturale eſt oculo, ut lumen percipiat. Calvinus lib. 2 cap. 1, repugnare juſtitiæ divinæ hominem ex natura ſua eſſe mortalem, vel aliquid habere vitii: Janſenius tom. 2 addit, fuiſſe unum ex præcipuis erroribus Pelagianis, quod homo a Deo potuerit creari ſine gratia, & ordinatione ad finem ſupernaturalem. Eundem errorem docuit Michael Bajus ſive de Bay, natus Melini in territorio Athenſi apud Belgas, poſtea Doctor Lovanienſis, ejusdemque Univerſitatis Cancellarius, & ſacrarum litterarum Profeſſor, quo in munere nova cum Joanne Heſſelio docere, & magnas inter doctos contentiones excitare cœpit, quas Pius IV impoſito partibus litigantibus ſilentio ſopivit, donec Bajus anno 1563 e Concilio Tridentino, ad quod a Rege Catholico delegatus fuerat, redux, non nulla opuſcula ſua typis mandare curavit.

312 Ex his enim opuſculis cum multi articuli ad ſedem Apoſtolicam delati fuiſſent, Pius V anno 1567 ſolennem edidit conſtitutionem: *Ex omnibus*, in qua tacito tamen Baji nomine 79 propoſitiones damnavit, addita iſta clauſula: *Quas quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quamquam non nullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento ſuſpectas, temerarias, hæreticas, erroneas, ſcandaloſas &c. reſpective damnamus.* Verum poſtquam Bulla a Morillonio, Granvillani S. R. E. Cardinalis, & Mechlinienſis Archiepiſcopi Vicario generali, coram facultate theologica Lovanienſi fuit promulgata, Bajus datis ad Pontificem litteris expoſuit,

fuit, se nullum illius transumptum neque Romæ, neque Lovanii obtinere potuisse, cum interim sententiæ damnatæ per inferiorem Germaniam circumferrentur. Misit insuper doctrinæ suæ apologiam contendens, inter sententias damnatas plurimas sibi falso imputari, easque ad mentem S. Augustini veras esse. Cogitet igitur Pontifex, utrum hac apologia attentius perlecta, Bullam tanquam legitimam, & sufficienter discussam haberi velit, an tanquam subreptitiam rescindere.

Respondit Pius, constitutionem suam non 313 sine matura deliberatione fuisse editam, nihilominus, ut Bajo satisfieret, curavisse, ut & libri, & ipsæ propositiones & scripta apologetica novo ac maturo examine expenderentur; quibus expensis: *Quæ super hoc ipso jam decrevimus, eadem de integro decernenda, statuendaque esse judicamus.* Cum vero Morillonius istud breve Bajo redderet, & ab eo sciscitaretur, num damnatas propositiones ejurare vellet: reposuit, se id facere non posse, nisi haberet Bullæ transsumptum, eoquod in illa diceretur: *Nonnullas propositiones sustineri posse in rigore, & proprio verborum sensu.* Non admisit hunc prætextum Morillonius, sed quamvis Bullæ transsumptum non concesserit, eoquod Pontifex rem istam silentio supprimi cuperet; institit urgere Bajum, donec tandem genu flexus sententias omnes in bulla damnatas ejuraverit. Paulo post Morillonius bullam Pii V, quam antea coram sola facultate theologica promulgaverat, ritu solemni proposuit in scholis publicis; sed licet tunc omnes se subjecerint, brevi iterum aliqui damnatos articulos pertinaciter defendere cœperunt, asserentes, hanc bullam ab ipsa sede Apostolica aliquando fore retractandam.

Ita-

314 Itaque Gregorius XIII Pii Succeſſor anno 1579 edita nova conſtitutione, *Proviſionis noſtræ*, Bullam Pianam confirmavit, omnesque articulos in illa contentos iterato damnavit, miſſo Lovanium Franciſco Toleto S. J. Concionatore, & Theologo Sedis Apoſtolicæ, ac poſtea Cardinale, qui anno ſequente in frequentiſſimo totius Academiæ conſeſſu per Conradum Sylvium Univerſitatis Notarium conſtitutionem Gregorii juſſit recitari, eaque recitata ad Bajum converſus petiit: *Anne agnoſceret in Bulla multos articulos damnari, qui in quibusdam ejus libellis prius editis continerentur, etiam in eo ſenſu, quo in Bulla damnarentur.* Affirmante Bajo, rogavit deinceps, *Anne eosdem, & reliquos ibi comprehenſos, & lectos damnaret?* tum ille: *Damno*, inquit, *ſecundum Bullæ ipſius intentionem & ſicut Bulla damnat.* Idem poſtea fecere cum omnibus reliquis Theologiæ Doctoribus, Licentiati, Baccalaurei, & Studioſi uno ore conclamantes: *Articulos damnamus, Bullam reverenter ſuſcipimus, atque obedientiam pollicemur.* Porro Bulla Pii V, & Gregorii XIII rurſus confirmata fuit ab Urbano VIII in conſtitutione *In eminenti.* Hæc de cauſa Bajana partim ex litteris Morillonii ad Cardinalem Granvillanum, partim ex actis facultatis Theologicæ Lovanienſis deſumpta, abunde ſufficere poſſent: nihilominus Janſeniſtæ

315 Excipiunt 1, propoſitiones non fuiſſe damnatas in rigore & proprio verborum ſenſu ab Auctoribus intento. Ajunt enim in clauſula Bullæ Pianæ virgulam ſive comma non eſſe ponendum poſt verbum: *Suſtineri poſſent;* ſed poſt illa: *in ſenſu ab aſſertoribus intento*, ita, ut hic nexus prodeat: *Quamquam nonnullæ ex iſtis propoſitionibus aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigo-*

re, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, eas tamen ut hæreticas &c. damnamus. Contra est 1. Quando Pontifices damnant aliquas propositiones, non solent illas damnare in sensu alieno, & peregrino, sed in proprio, & usitato; ridiculum quippe foret damnare sententias, quas ipsimet in sensu proprio judicant esse sanas, & ab omni erroris suspicione remotas. 2. Ipse Bajus publice professus est, se omnes articulos in bulla contentos damnare, & ex illis multos contineri in suis libellis, cui damnationi se subjecit tota Academia Lovaniensis. 3. Quamvis forte in aliquibus exemplaribus vel incuria vel dolo comma primum post verba: *In sensu ab assertoribus intento* positum fuerit, potius debet attendi ad exemplar Romæ excusum, ut anno 1644 declaravit sacra Congregatio Cardinalium. Testatur autem Cardinalis de Lugo, die 28 Octob. 1644 se vidisse in ipso Francisci Toleti autographo comma post verbum *Possent.*

Excipiunt 2. Propositiones tantum esse damna- 316
tas censura vaga, indeterminata, & in globo; non enim quamlibet damnari ut hæreticam, vel ut erroneam &c. sed solum respective, id est aliquas ut hæreticas, alias ut erroneas &c. imo aliquas solum esse damnatas propter acerbitatem censuræ, ut notat ipse Vasquez, Toletus, Bellarm. &c. Contra est 1. Modus generatim damnandi libros, & propositiones ex illis extractas, neutiquam in Ecclesia novus est, sed jam usurpatus a Joanne XXII. in damnatione quinque articulorum Joannis de Poliaco, a Concilio Constantiensi in damnatione articulorum Joannis Wicleffi, & Joannis Hufs. Eundem modum postea secuti sunt Sixtus IV contra Petrum de Osma, Leo X contra Lutherum &c. 2. Modo in genere constet aliquam sententiam a summo

Pontifice profcriptam effe, quilibet fincere orthodoxus fcit fibi ab illa abftinendum. An vero illa fententia hanc vel illam cenfuram mereatur, potiffimum ex fubjecta materia colligi debet, & Doctorum examini relinquitur. 3. Efto, quod aliquae propofitiones Bajanae damnatae fint folum propter acerbitatem cenfurae, pleraeque ex illis nullam cenfuram continent, adeoque fuerunt damnatae propter ipfam doctrinam. Profecto Bulla Pii V quoad doctrinam a tota Ecclefia etiam a Gallicana fuit acceptata, ut oftendit Tournelius tom. 1 de gratia Chrifti quaeft. 3.

QUÆSTIO I.

An natura gratiae confiftat in hoc, ut conferatur indignis, vel non merentibus?

317 Ad ea, quae in hac difputatione dicenda funt, melius intelligenda praemittendus eft duplex error Baji, & Janfenii circa ipfam naturam gratiae: ut enim ftatum purae naturae tanquam commentum Pelagii, & impoffibilem rejicere valeant, fingunt ad gratiam proprie talem non requiri, ut fit indebita naturae, fed fufficere, modo non debeatur ex meritis. *Gratiae propriiffime dictae*, verba funt Janfenii column. 181, *folummodo fecundum doctrinam Scripturarum & Auguftini repugnat opus creaturae, cui illa debeatur.* At vero tali modo quod verbis negant, reipfa affirmant, nec aliam gratiam admittunt quam naturalem, quam ipfe Pelagius non negavit. Hoc ipfum apertius produnt, dum ex altera parte ad naturam gratiae requirunt, ut conferatur male merentibus, & pofitive indignis; hinc Quesnellus propofitione 37 ait: *Gratia Adami non producebat, nifi merita humana.*

Di-

Dicendum 1. Ad gratiam theologicam 318
proprie dictam non sufficit, quod non procedat ex merito, sed etiam requiritur, ut sit indebita naturæ. Ita omnes Catholici. Prob. Quando S. Scriptura, concilia & Patres loquuntur de gratia, quæ ad obtinendam beatitudinem hujus providentiæ necessaria est, & a Deo nobis conceditur, semper intelligunt donum prorsus gratuitum, & naturæ jam creatæ indebitum. Sic Apostolus ad Ephes. 2 v. 8 ait: *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est.* Concilium Tridentinum sess. 6 can. 1 anathema dicit asserenti, *Hominem suis operibus, quæ per humanæ naturæ vires fiunt, absque divina gratia posse justificari.* Idem jam pridem statuerunt concilia Africana & Milevitanum contra Pelagium. Audiamus ex Patribus S. Augustinum. Hic epist. 95. ad Innocent. ita scripsit: *Etsi quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ut non nihil essemus --- quia non præcedentium aliquorum operum meritis Dei bonitate donata est; alia est tamen, qua prædestinati vocamur, justificamur, glorificamur, & de hac erat quæstio cum Pelagio.* Item epist. 105 ad Sixtum: *Abjiciatur a Christianorum cordibus ista fallacia; nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus, ut homines essemus, sed qua justificati sumus, ut homines justi essemus.* Conf. Rationi, & conceptui doni gratuiti longe magis opponitur exigentia physica naturæ, quam meritum congruum: ergo, cum de conceptu gratiæ sit, ut excedat meritum congruum, longe magis debet excedere exigentiam naturæ.

Dicendum 2. Ad gratiam theologicam pro- 319
prie dictam non requiritur, ut conferatur indigno. Prob. Humanitas Christi, Angeli, &

Adamus in prima sui creatione, item homines justi habuerunt gratias proprie dictas, nec tamen positive fuere indigni. Nam 1 unio hypostatica non solum fuit propriissime gratia, sed exemplar altissimum totius gratiæ, ut inquit S. Augustinus lib. de prædestinat. sanct. cap. 15; cum tamen fide certum sit humanitatem illam nunquam habuisse peccatum. 2. Quod Angeli statim in prima sui creatione acceperint gratiam, docet idem S. Augustinus lib. 12 de civit. cap. 9 de illis dicens: *Erat Deus simul in eis condens naturam, & largiens gratiam.* 3. De Adamo constat ex iis, quæ num. 306 dicta sunt. 4. Donum perseverantiæ finalis juxta Tridentinum sess. 6 can. 22 in justis est vera gratia, idem de vita æterna asserit Scriptura. Hinc merito damnatæ sunt propositiones Baji. 8. *In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.* Et 9. *Dona concessa homini integro, & Angelo forsitan non inprobanda ratione possunt dici gratia, sed quia secundum usum sacræ Scripturæ nomine gratiæ ea tantum munera intelliguntur, quæ per JEsum Christum male merentibus & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.* Conf. Si unus homo alteri liberaliter præstet magnum beneficium, nemo dubitat, quin illi faciat gratiam, etiamsi hoc beneficio non sit positive indignus.

Objectiones.

320 Obj. 1. Juxta S. Scripturam rationi gratiæ tantum opponitur meritum; ergo non requiritur, ut sit indebita naturæ. Ant. prob. ex epist. S. Pauli ad Romanos 4 v. 4: *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum,* & cap. 11 v. 6: *Si autem gra-*

gratia jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia. Conf. Quando Scriptura & concilia dicunt, juſtificationem & vitam æternam eſſe gratiam, loquuntur tantum de homine lapſo, & poſitive indigno: ergo non debent intelligi de natura innocente. Reſp. Ex eo, quod in textibus objectis Apoſtolus tantum loquatur de meritis, quia ſermo erat de Judæis, qui juſtitiam reponebant in operibus legis, ſequitur quidem, quod gratia non poſſit eſſe debita operibus naturalibus; at non ſequitur, quod ideo poſſit eſſe debita naturæ, imo potius colligitur contrarium. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. ſi gratia confertur indigno, eſt quidem majus beneficium, ſed hoc non requiritur ad omnem gratiam proprie dictam, & vita æterna etiam in ſtatu naturæ integræ fuiſſet vera gratia, ut colligitur ex propoſitione 3 Baji: *Et bonis Angelis, & primo homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſet usque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia.*

Dices. S. Auguſtinus diſputans contra Pe- 321
lagianos ſolum dicit id, quod non debetur ex meritis, dari gratuito, & eſſe gratiam, nusquam vero requirit, ut ſit indebitum naturæ. Conf. Lib. 4 contra Julian. cap. 3 ait: *Nec enim gratia Dei per JEſum Chriſtum Dominum noſtrum lapidibus, aut lignis, pecoribusve præſtatur, ſed quia imago Dei eſt, meretur hanc gratiam, non tamen, ut ejus voluntas poſſit præcedere.* Ergo gratiæ non obeſt, quod ſit debita naturæ. Reſp. Neg. Ant. S. Auguſtinus contra Pelagianos ſæpe ſolum facit mentionem meritorum, quia illi potiſſimum contendebant gratiam ex meritis humanis dari; quando autem dixerunt gratiam eſſe ipſam humanam naturam, & quæ illam naturaliter conſequuntur, etiam hoc aperte reprobat epiſt. 95 & 105 cit. Ad Conf. Conc. Ant. Diſt. Conſ. quod ſit debita naturæ debito propor-

tionis, Conc. Ant. debito exigentiæ, Neg. Ant. Cum natura rationalis condita sit ad imaginem Dei potius quam lapides, & bruta, utique majorem habet proportionem ad recipiendam gratiam, quam proportionem hic S. Doctor meritum appellat. Interim lib. 3 contra Maximinum cap. 15 ait: *Homo ad similitudinem factus non est verus filius, & ideo fit gratia filius, quia non est natura.*

522 Obj. 2. Etsi supposita existentia primi hominis necessarium fuerit, ut Deus illi dederit gratiam sanctificantem, aliaque dona supernaturalia; tamen hæc dona proprie possunt dici gratia; quia ipsa existentia hominis est gratiosa, seu gratis concessa: ergo. Conf. Vita æterna proprie dicitur gratia, etsi debeatur meritis præcedentibus: ergo a pari. Resp. Neg. Ant. Nam ut ex probationibus patet, per gratiam proprie talem intelligitur donum, quod homini jam supposita sua existentia est indebitum; alias immerito a Patribus, & Conciliis Pelagius tanquam hostis gratiæ damnatus fuisset; hinc quando Jansenius lib. 1 de statu naturæ puræ cap. 2 & 3 fatetur, gratiam collatam Angelis, & homini in prima creatione fuisse supernaturalem, idque constanter docere Augustinum, rursus secum ipso pugnat, & conceptum entis supernaturalis destruit asserendo illam gratiam pro prima creatione fuisse a natura inseparabilem. Ad Conf. Dist. Ant. etsi debeatur meritis, quæ tamen ipsa sunt gratia naturæ indebita, Conc. Ant. aliter, Neg. Ant. & Conf. *Quomodo*, inquit S. August. de grat. & lib. arbit. cap. 6, *Gratia est vita æterna, cum gratia non pro operibus reddatur, sed gratis detur? Ista quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolvi, nisi intelligatur, & ipsa bona opera, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere.*

523 Dices. Quamvis Deus primo homini necessario concesserit gratiam, hæc necessitas non fundabatur in ipsa natura hominis, sed in bonitate, mise-

misericordia, & sapientia Dei: ergo gratia fuit gratuita, ut infert Jansenius, qui docet, hoc debitum esse tam strictum, ut tam parum possit immutari, quam ipse Deus. Conf. Illud donum est supernaturale, quod a creatura neque fluit, tanquam proprietas, neque continetur in viribus illius activis, neque illi debetur, quasi ex illius meritis, sed hæc omnia etiam juxta Bajum, & Jansenium conveniunt donis primo homini concessis: ergo. Resp. Neg. Ant. impossibile est, ut Deus ab intrinseco sit necessitatus ad plus concedendum creaturæ, quam illa ex natura & meritis suis a suo auctore potest exigere: neque stante hac necessitate concedendo dona exerceret liberalitatem majorem, quam ipsa creatio in se contineret. Imo si homo supposita creatione necessario deberet ordinari ad beatitudinem supernaturalem, non amplius opus esset dono speciali. Ad Conf. Transf. Maj. si per quasi merita naturæ intelligatur ipsa exigentia physica naturæ, Neg. min. nam si Deus naturaliter ista dona non posset negare; hoc ipso creatura illa exigeret: ergo non transcenderent exigentiam naturæ, præsertim juxta Jansenium, juxta quem Deus non haberet aliam libertatem assumendi hominem in filium adoptivum, quam qua libertate generat verbum & Spiritus sanctus spiratur.

Obj. 3. Gratia in S. Scriptura vocatur mi- 324
seratio, misericordia, aspersio sanguinis Christi &c. ergo tantum confertur indignis. Conf. Omnes gratiæ de facto dantur hominibus ob merita, & passionem Christi; atqui hæ conferuntur indignis; hinc ait Apostolus ad Romanos 5 v. 8: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. ergo aliqua gratia tantum confertur indi-

gnis, Conc. Conf. omnis gratia, Neg. Conf. Quoniam in Adamo peccavimus, utique fuimus indigni divina gratia, & hinc prima nostra justificatio est gratia ex pura misericordia: at postquam homo remissionem peccati originalis iterum obtinuit, & justificatus est, ulterioribus gratiis non amplius indignus est positive, multo minus positive gratia indigni fuerunt Angeli, & Adam in prima creatione; hinc gratiæ illorum erant quidem ex liberalitate, non tamen ex pura misericordia. Imo misericordia potest exerceri erga quemlibet egentem, licet non sit male meritus. Ad Conf. Conc. Maj. Dist. min. hæ gratiæ conferuntur indignis ampliative, id est, qui fuerunt aliquando indigni, Conc. min. semper adhuc indignis pro statu, Neg. min. cum donum, quod indulgetur inimico, magis sit gratuitum, utique Deus charitatem suam maxime commendavit, quod Christus pro nobis sit mortuus, cum adhuc essemus peccatores. Videatur num. 296.

325 Dices. S. Augustinus nullam aliam agnoscit gratiam, quam quæ confertur indignis; nam epist. 95 ad Innocent. excusans Patres Palæstinos, quos Pelagius ambiguo gratiæ nomine deceperat, ait: *Illos nullam aliam gratiam intelligere potuisse, nisi quam in libris Dei legerent, & populus Dei prædicare consueverunt, eam utique, qua justificamur ab iniquitate, & qua salvamur ab infirmitate; non qua creati sumus.* Unde monet, *eam a Pelagio exigendam esse confessionem gratiæ, quæ non est natura, sed qua salvatur natura.* Conf. Quando Apostolus ad Rom. 6 v. 23 dixit, *stipendium peccati mors*, non addidit: stipendium justitiæ vita æterna, sed *gratia Dei vita æterna;* quia nempe, ut S. Augustinus in Enchirid. cap. 106. disputat, post Adæ ruinam

nova

nova quadam & singulari Dei gratia ad salvandum hominem opus erat. Resp. Neg. Ant. Cum Pelagius non admiserit peccatum originale, & ideo negaverit gratiam Christi esse necessariam, ut homo etiam de facto vitam æternam consequatur, S. Augustinus merito duo ab illo petiit, nempe ut profiteretur gratiam, & quod per illam a peccato justificemur, adeoque loquitur de gratia medicinali, quæ datur homini lapso. Ad Conf. etiam juxta nos gratia medicinalis est nova, & singularis, quia debet esse fortior, ut rebellionem concupiscentiæ compescat, aliaque vulnera naturæ sanet.

Obj. 4. Ex una parte Deus cuilibet crea- 326
turæ liberrime potest conferre omnia dona, quorum est capax: ex altera parte creatura est capax cujuslibet gratiæ sibi proportionatæ: ergo ratio gratiæ non consistit in hoc, quod sit aliquid indebitum creaturæ, sed quod conferatur indigno. Conf. In quolibet statu homo essentialiter dependet a Deo, & ejus adjutorium exigit: ergo gratia non potest esse in uno statu magis debita quam in altero. Resp. Transf. Ant. quoad 1 membr., Dist. quoad 2. Creatura est capax cujuslibet gratiæ, quin tamen quamlibet exigat, Conc. Ant. ita ut quamlibet exigat, Neg. Ant. Quamvis Deus creaturæ per se nihil debeat debito stricte dicto, si tamen aliquam creaturam producit, perfectio, & sapientia Dei postulat, ut addat ea, quæ ad finem, & perfectionem operis necessaria sunt; atque hæc sola creatura a suo creatore debito latius accepto exigit: cum igitur natura humana sufficienter esset perfecta, si haberet necessaria ad obtinendum finem naturalem, gratiæ supernaturales neque in sensu latiore illi debitæ sunt. Ad Conf. Dist. Ant. ita tamen, ut non quilibet status homini sit debitus, Conc. Ant. ut sit debitus, Neg. Ant.

Homini per se tantum est debitus status naturæ puræ; hinc media ad consequendum finem supernaturalem ipsi solum debita sunt ex suppositione gratuitæ elevationis ad statum altiorem.

327 Dices. Bona indoles, præclarum ingenium, splendor natalium, divitiæ, principatus &c. nulli homini debentur, & tamen sunt dona solum naturalia: ergo. Conf. Quid requiratur ad naturam gratiæ, debet haberi ex revelatis; ex his autem solum habentur, quæ pertinent ad præsentem statum, in quo gratia semper indignis confertur. Resp. Dist. Ant. ista nulli homini debentur determinate, Conc. Ant. nulli indeterminate, Neg. Ant. Sicut causæ naturales sunt diversissimæ, & pro diversis circumstantiis diversimode operantur, ita necesse est, ut inde nascantur homines diversæ indolis, ingenii &c. & quia insuper ipsa multitudo hominum requirit, ut ad conservandam pacem conveniant in aliquam societatem, quæ potestate legitima regatur, enumerata dona neutiquam transcendunt vires, & exigentiam totius naturæ, licet non debeantur individuo determinato. Ad Conf. Imprimis doctrina revelata non est restricta ad præsentem statum naturæ lapsæ, sed comprehendit etiam naturam integram. Dein ex iis, quæ docemur circa præsentem statum, deducuntur multa pertinentia ad alios status, & vicissim notitia status integri plurimum confert ad statum naturæ lapsæ rite intelligendum, ut patebit ex dicendis.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An homo potuisset creari, quin per gratiam sanctificantem elevaretur ad finem supernaturalem?

Quæstio hæc potissimum versatur in eo, an 328
ordinatio naturæ humanæ ad finem supernaturalem, gratia sanctificans, aliaque auxilia, Adamo in ordine ad hunc finem concessa fuerint dona mere gratuita, & quoad substantiam supernaturalia, an vero tantum naturalia? Solet autem res aliqua dici alteri naturalis 1. Quia ab ipso ortu illi conceditur. 2. Quia naturæ aliquo modo est consentanea, eamque perficit. 3. Quia est ipsius rei essentia, pars, proprietas, aut saltem aliquid ita necessarium, ut sine illo natura positive esset imperfecta. 4. Quia Deus salvis justitiæ, bonitatis, & sapientiæ legibus illam naturæ non potest denegare. De primis duobus modis nulla est controversia; sicut enim certum est, hoc duplici sensu dona justitiæ originalis primo homini posse dici naturalia, sic inde neutiquam sequitur, statum puræ naturæ esse impossibilem. Circa duos modos posteriores

Dicendum. Potuit homo creari, quin ele- 329
varetur ad finem supernaturalem, adeoque possibilis erat status puræ naturæ. Ita contra hæreticos num. 311 citatos Catholici. Prob. 1. Exaltatio hominis per gratiam sanctificantem ad finem supernaturalem fuit donum prorsus gratuitum, & naturæ humanæ indebitum: ergo. Ant. prob. Ex damnatis propositionibus Baji 21: *Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.* 23: *Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam*

dam supernaturali, & gratuito supra conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret. Adde propositionem 3tiam citatam num. 320. Conf. Scriptura, Patres & Concilia dona Adamo collata passim vocant gratiam; gratia autem simpliciter prolata regulariter denotat gratiam strictè dictam, & supernaturalem quoad substantiam. Sic S. Augustinus lib. 13 de civit. cap. 13 de primis parentibus ait: *Postquam transgressio peccati facta est, gratia deserente divina, de corporum suorum nuditate confusi sunt.* Nullum itaque est effugium P. Berti, quod exaltatio hominis ad finem supernaturalem creaturæ rationali non quidem fuerit debita tanquam pars aut proprietas, quam ex propriis viribus efficere aut mereri potuisset; attamen prout illa est imago Dei, & appetitu naturali in finem supernaturalem tendit. Nam conclusio ulterius

330 Prob. 2. Si visio beatifica, gratiaque sanctificans, aliaque dona connexa ex quocunque titulo essent naturaliter debita creaturæ rationali, homo quasi naturaliter esset filius, hæres, & amicus Dei; atqui hoc repugnat Deo, creaturæ, & supernaturalitati beatitudinis. Nam 1. Deus est supremus omnium Dominus: ergo repugnat, quod non possit hominem ex essentia sua servum relinquere in conditione servili, sed quasi teneatur illum assumere in amicum, hæredem, & filium. 2. Omnis creatura tanquam serva longe magis Deo subjecta est, quam quodvis mancipium suo Domino: ergo amicitia, & hæreditas propria filiorum Dei non potest illi connaturaliter esse debita. 3. Si hæc dona naturaliter essent debita naturæ, hoc ipso cessarent esse supernaturalia, & non essent magis gratia, quam creatio, conservatio, aliæque dotes naturales: quod falsum esse patet ex quæstione

præ-

præcedente. Hinc damnata eſt propoſitio 35 Quesnelli : *Gratia Adami* (originalis, & ſanctificans, ut ex contextu patet) *eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.* Conf. Quando finis eſt indebitus, etiam media, & ordinatio ad talem finem ſunt indebita, ſed finis ſcilicet viſio beatifica, & hæreditas filiorum Dei eſt indebita : ergo.

Itaque homo in ſtatu puræ naturæ tantum 331
fuiſſet ordinatus ad beatitudinem naturalem, conſiſtentem tum in cognitione Dei abſtractiva quidem, ſed valde clara, & perfecta, tum in amore Dei naturali, cognitioni proportionato cum excluſione omnis peccati, doloris, miſeriæ, & anxietatis ; hinc etiam iſta beatitudo deberet eſſe perpetua, & beatus de hac perpetuitate certus, ſicut in tractatu ſecundo dixi de beatitudine ſupernaturali : ut vero homo felicitatem naturalem conſequeretur, debuiſſet illam mereri per actus virtutum naturales, idque dependenter a gratiis naturalibus. Quippe Deus etiam in illo ſtatu homini indidiſſet principia morum tum univerſalia, e. g. Deum eſſe colendum, malum fugiendum &c. tum particularia ad præſentes circumſtantias accommodata e. g. quod honeſtum ſit hic & nunc Deum invocare, inhoneſtum proximo rem ſuam auferre &c. quibus etiam acceſſiſſent impulſus voluntatis indeliberati, quod oporteat hic, & nunc facere id, quod intellectus repræſentat ut honeſtum. Hæc auxilia ſicut homini in eo ſtatu fuiſſent neceſſaria, quia voluntas non poteſt amare honeſtum, qua tale, niſi illud actu ut tale cognoſcat ; ſic fuiſſent ſufficientia ad bene operandum & conſequendam felicitatem naturalem, & aliqua ex illis etiam congrua.

Nam 1. Cum Deus ſit infinite ſapiens, ju- 332
ſtus, & bonus, non potuit creaturam ordinare

ad

ad aliquem finem, quin ei suppeditaret media moraliter sufficientia ad illum finem consequendum; alias talis creatura esset pessime constituta: ergo Deus, ut auctor naturae, debuisset homini concedere auxilia saltem sufficientia ad bene operandum, & vitanda peccata; idque non solum ex liberalitate, sed ex debito fundato in ipsa exigentia naturæ, & perfectionibus Dei necessariis: unde auxilia sufficientia non fuissent gratia supernaturalis, sed tantum naturalis, & in sensu latiore, in quantum ipsa creatio est aliquod donum naturæ indebitum. 2. Quamvis auxilium congruum non sit debitum singulis determinate in omnibus circumstantiis, tamen Deus, ut auctor, & providus gubernator universi non videtur posse omnibus individuis, & in omnibus circumstantiis dare auxilia solum inefficacia; ita ut nemo unquam actu aliquid bonum operetur: ergo auxilium congruum saltem debetur aliquibus indeterminate, consequenter rursus non transcenderet exigentiam totius naturæ. Fuisset nihilominus favor specialis, quia Deus etiam ut auctor naturae auxilium congruum potuisset negare cuilibet homini in particulari.

Objectiones.

333 Obj. 1. Deus non potuit condere naturam humanam, quin illam ordinaret ad veram beatitudinem; sed hæc consistit in visione intuitiva Dei; nam S. Augustinus lib. 3 contra Julianum docet, Deum fore injustum, si parvulos non baptizatos excluderet a regno cœlorum, nisi haberent peccatum originale. *Quare*, inquit cap. 12, *nihil male merentes tot in parvulis imagines Dei, si non baptizentur, non admittitis ad regnum Dei*, & paulo post: *Qua justitia quæso a regno Dei, a vita Dei alienatur imago Dei, in nullo transgressa legem Dei.* Conf. S. Augu-

Auguſtinus ſæpe docet, beatitudinem non poſſe obtineri ſine gratia; ergo non datur alia, quam ſupernaturalis. Reſp. Diſt. Maj. quin illam ordinaret ad beatitudinem naturalem, Conc. Maj. ad ſupernaturalem, Neg. Maj. & Diſt. min. beatitudo ſupernaturalis conſiſtit in viſione intuitiva Dei, Conc. min. naturalis, Neg. min. S. Auguſtinus loquitur de præſenti providentia, & ſtatu naturæ elevatæ, in quo Deus innocentibus promiſit viſionem Dei; nam ipſe Julianus cum cæteris Pelagianis fatebatur, hominem de facto a Deo ordinatum eſſe ad eam beatitudinem, quæ modo datur in vita æterna. Hinc ad Conſ. Diſt. Ant. beatitudinem ſupernaturalem non poſſe obtineri ſine gratia, Conc. Ant. naturalem, Neg. Ant. & Diſt. Conſ. ergo non datur alia, quam ſupernaturalis de facto in ſtatu naturæ elevatæ, Conc. Conſ. non poſſet dari alia in ſtatu naturæ puræ, Neg. Conſ.

Dices. In omni ſtatu beatitudo debet poſſe 334
obtineri per actus virtutum meritorios; hoc non poſſet fieri in ſtatu puræ naturæ, tum quia actus virtutum non poſſunt elici ſine gratia, tum quia actus naturalis non ſunt proportionati ad merendum præmium æternum. Conſ. In ſtatu puræ naturæ homo non eſſet capax remiſſionis peccati; nam peccatum nulli remittitur ſine infuſione gratiæ, & condonatione veniæ, quæ nulli creaturæ debetur. Reſp. Diſt. Maj. debet poſſe obtineri per actus virtutum meritorios naturales, Conc. Maj. ſupernaturales, Subdiſt. beatitudo ſupernaturalis, Conc. Maj. naturalis, Neg. Maj. Ad actus meritorios naturales non requiritur gratia ſupernaturalis, & opera bona hominis innocentis in ſtatu naturæ puræ non haberent minorem proportionem ad præmium æternum naturale, quam opera hominis juſti ad beatitudi-

nem

nem supernaturalem. Ad Conf. Neg. Ant. Peccata naturæ puræ potuissent remitti vel per qualitatem intrinsecam mere naturalem vel per condonationem extrinsecam, & quamvis homo illam non potuisset mereri, sicut de facto non potest, & a Deo in damnatione relinqueretur, hoc accideret ex propria ipsius culpa. Vel si contendas, ipsam bonitatem Dei exigere, ne hic favor omnibus, & in omnibus circumstantiis negetur, ne in desperationem præcipitentur, ex eo ad summum sequitur, quod sit philosophice supernaturalis.

335 Obj. 2. Appetitus naturalis non fertur nisi in bonum debitum; sed homo naturaliter appetit videre Deum intuitive: ergo. Conf. S. Augustinus lib. 8 de civit. Dei cap. 8 de Platonicis ait: *Non dixerunt beatum esse hominem fruentem corpore, vel fruentem animo, sed fruentem Deo, sicut oculus luce*: ergo. Resp. Dist. Maj. appetitus innatus non fertur nisi in bonum debitum, Conc. Maj. appetitus elicitus, & conditionatus, Neg. Maj. & sic Dist. min. Conf. Appetitus innatus nihil aliud est, quam propensio, vel ordinatio rei ad bonum naturaliter debitum, unde tantum appetit beatitudinem in communi, & quam viribus naturalibus potest obtinere: appetitus vero elicitus est actus, quo voluntas fertur in bonum cognitum. Hinc sicut possumus cognoscere bona etiam nobis indebita, ita appetitu elicito in illa possumus tendere, attamen solum inefficaciter, & conditionate, si videlicet consecutio talis boni nobis sit possibilis. Cum igitur solum ex revelatione divina nobis constet, visionem Dei intuitivam possibilem, & a Deo promissam esse, sine hac revelatione ne quidem dari potest appetitus elicitus visionis intuitivæ efficax, & absolutus. Quare ad Conf. dico, Platonicos vel tantum locutos fuisse de cognitione Dei abstra-

ctiva,

ctiva, vel si de Deo, & ultimo hominis fine paulo dignius senserunt, id delibarunt ex commercio cum Hebræis, ac lectione Scripturarum.

Dices. Quilibet viso effectu naturaliter cupit cognoscere ejus causam primam: ergo homini inest appetitus naturalis videndi Deum intuitive, ut docet S. Thomas 1 part. q. 12 art. 2. Conf. SS. Patres sæpe asserunt dona integritatis, & gratiam sanctificantem primis parentibus fuisse naturalia, quod etiam confirmat Cælestinus in epist. ad Episcopos Galliæ cap. 1, ubi ait: *In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse.* Resp. Dist. Ant. appetit cognoscere causam primam cognitione sibi proportionata, & naturaliter possibili, Conc. Ant. improportionata, Neg. Ant. & Dist. Conf. ergo homini inest ad videndum Deum appetitus naturalis secundum quid, Conc. Conf. simpliciter & absolute naturalis, Neg. Conf. Quamvis homo præsupposita revelatione de promissa beatitudine supernaturali ab ipsa natura stimuletur ad illam appetendam; quia tamen hæc revelatio est aliquid prorsus indebitum, hic appetitus non elicitur sine omni prævia gratia, adeoque est tantum naturalis secundum quid, in quo sensu etiam lex naturalis dicitur obligare ad servanda præcepta supernaturalia. Ad Conf. Dist. Ant. SS. Patres asserunt hæc dona fuisse naturalia, id est, cum ipsa natura accepta, eique consentanea, Conc. Ant. naturæ secundum se debita, Neg. Ant. Vid. 328. 336

Obj. 3. Beatitudo debet perfecte satiare appetitum rationalem hominis; hoc non faceret cognitio tantum abstractiva, quia non est vera possessio Dei; alias homo jam posset esse beatus in hac vita, imo etiam reprobi possent Deo 337

per cognitionem abstractivam frui. Conf. Homo exoptaret Deum videre intuitive; nam ut S. Augustinus lib. 1 Confess. cap. 1 habet: *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te Deus.* Resp. Conc. Maj. Dist. min. hoc non faceret cognitio abstractiva qualiscunque, Conc. min. valde perfecta, neg. min. Licet cognitio abstractiva immediate tantum repræsentet creaturas, & in hac vita appetitum rationalem non perfecte satiet; posset tamen Deus in altera vita tam claras sui species in præmium meritorum infundere, ut inde incomparabiliter perfectior cognitio oriretur: hæc vero cognitio jam esset quædam intentionalis perceptio, & possessio Dei boni infiniti longe magis perfecta in ordine ad finem hominis, quam visio intuitiva Angeli. Ad Conf. Neg. Ant. intellectum de desiderio absoluto & anxio; quippe beatus sciret cognitionem intuitivam sibi nec possibilem, nec debitam esse, adeoque sine omni inquietudine divinæ voluntati se conformaret, & in Deo plene requiesceret per possessionem sibi proportionatam.

338 Dices. In statu puræ naturæ nulla daretur resurrectio corporum; ergo beatitudo hominis nunquam esset perfecta, nec unquam posset satiari desiderium animæ resumendi suum corpus. Conf. Cognitio abstractiva non exigit esse perpetua, nec excludit errorem, peccatum, aliasque miserias: ergo. Resp. Transf. Ant. quia hæc resurrectio solum esset supernaturalis philosophice, & natura humana per illam non elevaretur supra suamconditionem, Dist. Conf. beatitudo hominis non esset perfecta integraliter, Conc. Conf. essentialiter, Neg. Conf. Hoc ipso, quod resurrectio corporis animæ non esset debita, nec in illo statu possibilis, hoc desiderium non deberet satiari, nec animum inquietum redderet, exclu-

cludente omnem triſtitiam maximo gaudio, quo in Deum perfectiſſime cognitum abriperetur. Ad Conf. Diſt. Ant. cognitio abſtractiva hæc non præſtaret præciſe ex ſe, Conc. Ant. vi ſtatus beatifici, Neg. Ant. & Conſ. Licet quælibet cognitio abſtractiva in individuo eſſet deſtruibilis, quia tamen ſtatus beatitudinis perpetuitatem exigit, anima certiſſime cognoſceret, quod ſemper aliqua cognitio ſit duratura, eaque in ſuo genere foret perfecta tum divini Numinis, tum rerum naturalium notitia, adeoque cum amore Dei inde reſultante excluderet omnem errorem, & peccatum.

Obj. 4. In ſtatu naturæ puræ homo non 339
poſſet amare Deum propter ſe, & ſuper omnia, ſed implicat talis ſtatus, eoquod creatura eſſet male diſpoſita ad ultimum ſuum finem: ergo. Conf. S. Auguſtinus variis in locis docet omnem amorem creaturæ rationalis eſſe charitatem, vel cupiditatem; per charitatem autem intelligit amorem ſupernaturalem. Reſp. Diſt. Maj. non poſſet ita amare Deum amore ſupernaturali, filiali, & amicabili, Conc. Maj. amore naturali, & benevolo quidem, non tamen filiali, & amicabili, Neg. Maj. Nota hic damnatas propoſitiones Baji 34: *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis ſcilicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana eſt, & commentitia, ad illudendum ſacris litteris, & plurimis veterum teſtimoniis excogitata*, & 36: *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, per elationem præſumptionis humanæ cum injuria crucis Chriſti defenditur a nonnullis Doctoribus.* Porro quando Patres ad amorem Dei requirunt gratiam, loquuntur de amore ſupernaturali. Ad Conf. Neg. Ant. ſed S. Auguſtinus per charitatem intelligit omnem amorem honeſti, & vir-

tutis, ut exſplicavi de actibus humanis diſput. 3. q. 3.

340 Dices. Fuit capitalis error Pelagii, quod diceret amorem Dei ſuper omnia poſſe haberi ſolis naturæ viribus, ut teſtatur S. Auguſtinus lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 18 dicens: *Unde eſt in hominibus charitas Dei, & proximi, niſi ex ipſo Deo? nam ſi non ex Deo, ſed ex hominibus vicerunt Pelagiani; ſi autem ex Deo vicimus Pelagianos.* Conf. Si homo absque gratia poſſet diligere juſtitiam naturalem, poſſet ex ſe ipſo fieri melior: ergo. Reſp. Diſt. Ant. quod diceret amorem Dei filialem, & amicabilem, ad quem tenemur in ſtatu naturæ elevatæ, haberi poſſe ſolis naturæ viribus, Conc. Ant. quod hoc diceret de amore præciſe naturali, Neg. Ant. & ſuppoſitum, quod de hoc unquam inter Pelagianos, & Catholicos fuerit controverſia. Ad Conf. Diſt. Ant. poſſet fieri melior ex ſe ipſo ſine gratia ſupernaturali, Conc. Ant. ſine gratia naturali, Subdiſt. melior in ordine ſupernaturali, Neg. Ant. in naturali, Conc. Ant. Sicut non eſt abſurdum, quod homo in ſtatu naturæ elevatæ libere poſſit gratiæ cooperari, & ſic melior fieri: ita non eſt abſurdum, quod ſe ipſum poſſit naturaliter perficere auxiliante gratia naturali.

341 Cæterum amor Dei ſupernaturalis & naturalis ex triplici capite differunt 1 ratione principiorum influentium; nam ad amorem ſupernaturalem in ſtatu elevationis requiritur cognitio de Deo, tanquam auctore ſupernaturali, adeoque illuſtratio ſupernaturalis dependens a fide. Item ſupernaturalis motio voluntatis, & vel habitus, vel aliud principium ſupernaturale. 2. Ratione modi tendendi; quippe amor naturalis eſt amor ſolius benevolentiæ, qualem etiam poteſt haberi ſervus erga dominum, cujus amicitiam ſperare nunquam poteſt; amor vero ſupernaturalis eſt

amor

amor amicitiæ, & filialis, quo bene volumus Deo tanquam intimo amico, imo tanquam Patri, qui nos per gratiam in filios adoptavit. 3. Ratione objecti saltem indirecti, quia Deus in statu elevationis non tantum amatur ut auctor supernaturalium, sed amor hic etiam involvit propositum efficax, & absolutum servandi omnia mandata Dei, supernaturalia quoque, quale propositum absolutum non involveret amor ille naturalis, sed tantum propositum absolutum servandi legem naturalem, & suo modo conditionatum, servandi etiam supernaturalem, si videlicet daretur, & cognosceretur.

QUÆSTIO III.

An homo innocens potuisset creari obnoxius morti, morbis, aliisque hujus vitæ miseriis?

Sicut Pelagiani contenderunt de facto hominem 342
ita fuisse conditum, ut morti, morbis, doloribus &c. fuerit subjectus, licet nec in se ipso, nec in Adamo peccaverit, quod falsum esse num. 309 & 310 ostendimus: ita Lutherus, Calvinus, Bajus, & Jansenius in errorem extreme oppositum prolapsi sunt, docentes, absolute, & ex terminis repugnare, ut homo innocens ullo modo miser sit, adeoque miserias hujus vitæ necessario esse pœnas alicujus peccati, ex quo rursus sequeretur implicare statum puræ naturæ, prout a nobis describitur. Verum contrarium docent Catholici media incedentes via. Quamquam enim unanimiter asserant, has miserias de facto esse pœnas peccati, tamen æque constanter tenent, primum hominem a Deo citra præjudicium ullius perfectionis potuisse statim in his miseriis creari, & innocentem iisdem subjici, adeoque possibilem esse statum puræ naturæ non solum inte-

græ, ſed etiam non integræ. Quamvis id diſplicere videatur P. Berti, qui lib. 13 theolog. diſcipl. ait: potuiſſe mortem, cæterasque corporales miſerias absque culpa a ſupremo Domino immitti, nimis ægre fateor, ſi ad immortalis animæ naturam, hominisque præſtantiam animum mentemque converto.

343 Dicendum 1. Immunitas a morte, & reliquis hujus vitæ miſeriis non eſt bonum naturaliter debitum homini innocenti, adeoque potuiſſet Deus primum hominem ſtatim a creatione illis ſubjicere. Prob. Pars 1ma ex damnatione propoſitionis 78 Baji; *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.* 2. Auctoritate Patrum, qui teſte Bellarmino cap. 9 de gratia primi hominis conſtanter ita ſentiunt. S. Auguſt. lib. 6. de Geneſ. ad litteram cap. 25. ita habet: *Aliud eſt non poſſe mori, aliud poſſe non mori, ſecundum quem modum primus homo creatus eſt immortalis, quod ei præſtabatur de ligno vitæ, non de conditione naturæ*, & inferius: *mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris*: ſimilia habet lib. 13 de civit. cap. 20 & lib. 1 de peccator. merit. cap. 3. Ratio concluſionis eſt, quia homo ſicut reliqua animalia componitur ex elementis, humoribus, & qualitatibus inter ſe pugnantibus; ergo ſicut ob hanc pugnam animalia cætera ſunt obnoxia morti, ſic homo, niſi ab illa per ſpecialem gratiam, & providentiam conſervetur.

344 Prob. 2da pars 1 ex damnatione propoſitionum Baji, quarum 25 ita habet: *Deus non potuiſſet ab initio creare talem hominem, qualis nunc naſcitur.* 73: *omnes omnino juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum, unde Job & Martyres, quæ ſunt paſſi, propter ſua peccata paſſi ſunt.* In qua poſteriore damnatur fundamentum prioris, ut advertit Ripalda diſp. 12 ſect. 1. 2. Auctoritate

tate Patrum, qui passim docent immunitatem ab his miseriis Adamo fuisse concessam ex singulari beneficio. S. Augustinus lib. 3 de liber. arbitr. cap. 20, postquam contra Manichæos ostendit difficultatem, & ignorantiam, quas habet anima, de facto contrahi ex peccato originali, addit, *quod etiamsi Deus animas cum tali ignorantia, & difficultate in corpus misisset, non ideo esset culpandus, sed laudandus.* Quam doctrinam rursus confirmat in libris retractationum, quos scripsit ultimo vitæ tempore. Ratio conclusionis est, quia mors inter omnia mala physica est maximum; ergo si naturæ innocenti non debetur immunitas a morte, illi etiam non debetur immunitas a cæteris miseriis.

Objectiones.

Obj. 1. Juxta S. Scripturam Sap. I v. 13, & 345
16: *Deus mortem non fecit --- impii autem manibus, & verbis accersierunt illam;* atqui si mors homini esset naturalis, Deus illam fecisset, non homo accersivisset per peccata, quomodo ergo ad Rom. 5 v. 12. dicitur: *Per peccatum mors?* Conf. Concilium Arausicanum II Can. 2 asserit: *Injustitiam dare Deo, qui putat Adamum ejusque posteros morituros, quamvis ipse non peccasset:* ergo homo tantum dicitur immortalis *beneficio creationis*, sicut in Concilio Constantinopolitano VI. Angeli immortales dicuntur *gratia conditoris*, licet ex sua natura immortales sint. Resp. Textus Scripturæ loquuntur de hac providentia, in qua Deus hominem creavit inexterminabilem, ex speciali nempe privilegio, & nisi peccet. Imo etiam in statu puræ naturæ mors sequeretur ex ipsa naturæ conditione, a Deo autem solum permitteretur. Ad Conf. eadem est responsio. Nam licet nunc, postquam Deus homini innocenti im-

mortalitatem gratuito promisit, injustum foret, si mortem illi infligeret; hæc tamen injustitia non fundatur in jure naturali ad immortalitatem. Aliud est de Angelis, de quibus aliunde probatur, quod sint spirituales, & ex natura sua immortales; hinc nomen gratiæ ibi sumitur latius pro dono naturali.

346 Dices 1. Damnatio propositionum Baji sufficienter evitatur, modo dicatur, quod Deus per absolutam potentiam possit creare hominem mortalem, licet id non possit spectata sua sapientia, & justitia. 2. Quod potuerit creare hominem qualis nunc datur nempe sine gratia sanctificante in statu puræ naturæ integræ. Conf. Propositio 25 Baji habet hunc sensum: Deus ab initio non potuit creare hominem cum peccato, ut nunc nascitur; atqui in hoc sensu est verissima. Resp. Neg. Ant. Tum quia justitia originalis, & immunitas a morte est beneficium gratiæ, non naturalis conditio, adeoque ex nulla perfectione Dei necessaria est debita: tum quia omnipotentiæ divinæ repugnat omne id, quod est inordinatum, & injustum; nam *in Deo*, ut ait S. Anselmus lib. 1 cur Deus homo cap. 10: *quodlibet parum inconveniens sequitur impossibilitas*. Quod autem Bajus etiam locutus sit de aliis vitæ miseriis, clare patet ex propositione 73. Ad Conf. Neg. Maj. Bajus manifeste loquitur de dono integritatis, & nemo unquam ausus est dicere, quod Deus ab initio potuerit creare hominem cum peccato, adeoque propositio Baji nulli damnationi subjecta fuisset.

347 Dices 2. Propositiones Baji tantum fuerunt damnatæ ex prudenti quadam œconomia ad sopiendas discordias, & quoad tempus donec sufficienter probarentur; non enim est verisimile, quod Pius V & Gregorius XIII voluerint damnare

nare doctrinam S. Augustini a septem Pontificibus præsertim a Cælestino in epistola ad Episcopos Galliæ jam prius approbatam. Conf. Juxta Hormisdam Pontificem ex libris S. Augustini potest colligi, quid de gratia, & libero arbitrio credat Ecclesia. Resp. Neg. Ant. Nam 1 propositiones Baji fuerunt damnatæ tanquam hæreticæ, erroneæ, temerariæ &c. & quidem ut Pius V testatur, *ponderatæ stricto examine*. 2. Postquam pro illis stabiliendis Jansenius tres integros libros edidit, constitutiones Pii V & Greg. XIII confirmavit Urbanus VIII, *Perpetuo*, ut ait, *valitura constitutione*. 3. Quamvis S. Augustinus quandoque utatur iisdem verbis, quibus Bajus, illa usurpat in longe alio sensu. 4. Etsi in materia de gratia, & libero arbitrio sit summe æstimandus, & a summis Pontificibus merito laudatus, nunquam ejus doctrina universim fuit approbata tanquam infallibilis. 5. Cælestinus ad finem epistolæ expresse dicit, se circa profundiores quæstiones nihil velle decidere, sed sufficere septem capita, quæ ex doctrina Augustini inter canones relata sunt, in his autem nihil occurrit de propositionibus Bajanis. Ad Conf. Hormisdas idem affirmat de libris S. Hilarii & Prosperi, quin ideo habeant infallibilem auctoritatem.

Obj. 2. S. Augustinus contra Pelagianos 348
constanter asserit injustum, vel impotentem fore Deum, si hominem innocentem his miseriis obnoxium crearet. Sic lib. 1 contra Julianum universaliter pronuntiat: *Neque enim sub Deo justo miser esse quispiam, nisi mereatur, potest*, & lib. 4 cap. ult. *Quid restat, nisi ut causa istorum malorum sit iniquitas vel impotentia Dei, aut pœna primi, veterisque peccati? sed quia nec injustus, nec impotens est Deus, restat, quod non vis, sed cogeris confiteri, quod grave jugum super filios*

lios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium, non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset. Similia habet lib. 1 & 2 operis imperfecti & epist. 28 ad S. Hieronymum. Resp. Dist. Ant. hoc asserit de præsenti providentia, & statu naturæ elevatæ, Conc. Ant. de statu naturæ puræ, Neg. Ant. Quando S. Augustinus agit contra Pelagianos semper loquitur de præsenti rerum ordine, in quo Deus Adamo ejusque posteris promisit immunitatem a vitæ hujus miseriis; hac autem promissione posita utique Deus foret injustus, aut impotens, si hominem innocentem iisdem miseriis involveret. At cum hæc promissio fuerit liberrima, & in statu puræ naturæ data non fuisset, Deus nullius injustitiæ aut impotentiæ esset arguendus, etsi hominem in iis miseriis reliquisset, quæ ex conditione ipsius naturæ humanæ oriuntur.

349 Dices 1. Controversia inter S. Augustinum & Pelagianos erat in eo, utrum Deus Adamum creaverit in justitia originali, & an illius posteri in pœnam peccati originalis hac justitia fuerint privati; ergo si tantum egisset ex supposito promissionis divinæ, laborasset falso supposito, & petiisset principium. Conf. S. Augustinus in libris Operis Imperfecti sæpe ait, seclusa etiam auctoritate Scripturarum ex solis hujus vitæ miseriis existentiam peccati originalis posse colligi, & ex illis philosophos gentiles tale peccatum fuisse subodoratos. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. nisi hoc suppositum aliunde sufficienter probasset, Conc. Conf. secus, Neg. Conf. S. Doctor utrumque hoc suppositum in pluribus locis probavit, tum ex Scriptura, tum ex consensu totius orbis orthodoxi, ut patet ex lib. 1 de peccat. merit. cap. 2. & lib. 1 contra Julian. cap. 5. Ad Conf. Dist. Ant. existentiam peccati originalis

ex

ex solis miseriis posse colligi conjecturaliter, & congruenter, Conc. Ant. certo, Neg. Ant. Ut dogma de existentia peccati originalis credibilius redderet, S. Augustinus non semper adhibuit argumenta certa, sed etiam conjecturalia, & inter hæc philosophorum gentilium auctoritatem, qua Julianus gloriabatur. Interim ipsemet lib. 6 contra Julian. cap. 4 monet, certam peccati originalis existentiam tantum haberi ex S. Scriptura. Porro gentiles aliquod primævum peccatum suspicati sunt, vel ex innato omnigenæ felicitatis desiderio, vel ex lectione librorum Moysis & commercio cum Judæis.

Dices 2. Quamvis S. Doctor lib. 3 de libero arbitrio cap. 20 nostram sententiam docuerit, illam iterum revocavit lib. de dono persever. c. 11 asserens, quæ ibi contra Manichæos disputaverat, non procedere contra Pelagianos, & epist. 28 ad Hieron. sibi non sufficere illa, quæ de pœnis parvulorum scripsisset in libris de libero arbitrio. Conf. Hujus vitæ miserias non posse habere Deum auctorem non solum agnoverunt hæretici, Manichæi, Marcionitæ, Materiarii, sed etiam Catholici: ergo. Resp. Neg. Ant. cum Manichæi, ut Deum auctorem mali facerent, negarent peccatum originale, & omnes Scripturas veteris testamenti, ex novo autem omnia ea expungerent testimonia, quæ originalis peccati fidem confirmant, S. Augustinus contra illos solum potuit agere ex variis hypothesibus, & ratiociniis, ex quibus saltem constaret, Deum non esse mali auctorem. Pelagianos vero scripturas admittentes confutabat ex illis, & præsenti rerum providentia; & hinc ait, illis nihil prodesse, quod de statu puræ naturæ contra Manichæos disputaverat, ut patet ex libro 1 retract. cap. 9 in epistola vero ad S. Hieron. tantum dicit, prius dicta, quod scilicet cruciatus aliis 350

bonis

bonis compenſentur, non ſufficere contra Pelagianos ad exſplicandam doctrinam de parvulis absque baptismo decedentibus, quos ille docuit ob peccatum originale æternis affligi pœnis. Ad Conf. cum Hæretici ex hoc principio intulerint ſuos errores, illorum ſenſus nihil probat, Catholici vero nunquam eidem adhæſerunt, imo illud etiam negarunt cum Ariſtotele Peripatetici contra Platonicos.

851 Obj. 3. In ſtatu naturæ puræ mors eſſet neceſſaria, corporum autem reſurrectio impoſſibilis, utpote ſupernaturalis; atqui hoc dici non poteſt, quia ſi corpora non reſurgerent, Deus eſſet injuſtus, ut docent S. Chryſoſt. Cyrill. Damaſcen. &c. Conf. Anima eſt immortalis: ergo ex natura ſua exigit vitam immortalem; hinc Honorius, & Theodoſius edicto quodam proſcripſerunt Pelagianos, quod aſſererent homines morituros fuiſſe ſine peccato. Reſp. Conc. Maj. quoad 1 membrum, quoad 2 Tranſ. Neg. min. Patres citati tantum loquuntur de debito convenientiæ; ut enim ethnicis perſuaderent reſurrectionem carnis, uſi ſunt etiam argumento ab æquitate petito, videlicet, decens omnino eſſe, ut corpus, quod laborum particeps fuit, fiat etiam particeps præmii. Quod ſi contenderes, animæ reunionem cum corpore ſine injuſtitia ſtricte dicta negari non poſſe, everteres argumentum, quia ſic reſurrectio non eſſet ſupernaturalis, ſeu tranſcendens exigentiam naturæ. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quemadmodum poſitis idoneis diſpoſitionibus anima a Deo creatur, & corpori infunditur, ſic deficientibus diſpoſitionibus ad vitam neceſſariis immortalis ſpiritus revertitur ad eum, a quo factus eſt. Imperatores autem loquebantur de ſtatu præſentis providentiæ.

Di-

Dices. Difficultas, & ignorantia sunt pœna peccati, ut sæpe docet S. Augustinus maxime lib. 3 de lib. arbitr. cap. 18: *Sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia ignorantia, & difficultas.* Et ratio est, quia alias ea, quæ tunc ab homine fierent ex ignorantia invincibili, tribuerentur Deo tanquam auctori. Conf. Quamvis Christus assumpserit alias infirmitates naturæ humanæ, non assumpsit ignorantiam: ergo illa non præcise oritur ex defectu naturæ. Resp. Dist. Ant. sunt pœna peccati in præsenti statu naturæ lapsæ, Conc. Ant. necessario, & in omni statu, Neg. Ant. Ignorantia est defectus connaturalis homini; cum enim ejus intellectus sit valde limitatus, & plurimum dependeat ab impressione sensuum, veritates tum speculativas, tum practicas difficulter penetrat: ex quo tantum sequitur, quod ignorantia invincibilis, & quæ ex illa fiunt, sint a Deo permittente. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Christus ignorantiam non assumpsit, quia specialiter dedecebat dignitatem supremi Judicis, Doctoris, Legislatoris, & Regis Angelorum ac hominum. Idem dic de rebellione concupiscentiæ, quam S. Augustinus potissimum per difficultatem denotat, ob specialem dedecentiam, quam habet respectu sanctitatis, & Majestatis Verbi. 352

QUÆSTIO IV.

An homo potuisset creari cum concupiscentia rebelli?

Concupiscentia alia est habitualis, alia actualis. 353
Prior est ipse appetitus sensitivus, qui concupiscere potest, imo necessario debet bona sensibilia, & delectabilia sufficienter sibi proposita: posterior est ipse actus seu motus appetitus sensi-

tivi

tivi in bonum ſenſibile, & delectabile, quod cum ſæpe fiat contra rectam rationem, quin potentia rationalis ejusmodi actus poſſit directe impedire aut reprimere. Ejusmodi motus vocantur rebellio concupiſcentiæ adverſus rationem, de qua loquitur Apoſtolus ad Rom. 7 v. 23 dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Ex quo patet concupiſcentiam rebellem rurſus dupliciter accipi poſſe, primo pro ipſis actibus appetitui rationali reluctantibus, qui paſſiones vocari, & undecim numerari ſolent. Ad appetitum concupiſcibilem pertinent, Amor, Odium, Deſiderium, Fuga, Gaudium, Triſtitia: ad iraſcibilem ſpectant Spes, Deſperatio, Audacia, Timor, Ira. Secundo, & in ſenſu hic magis uſitato concupiſcentia rebellis accipitur pro ipſo appetitu ſenſitivo, prout involvit negationem doni indebiti, per quod illum in primis parentibus imperio rationis perfecte ſubjectum fuiſſe diximus num. 308.

354 Dicendum. Potuiſſet homo creari cum aliqua ſaltem rebellione concupiſcentiæ. Ita communis Theologorum. Prob. 1 auctoritate Pontificum, qui damnarunt propoſitionem Baji 26: *Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.* Cujus propoſitionis ſenſus, & quidem ab auctore intentus eſt, non potuiſſe hominem creari ſine juſtitia originali, & immunitate a rebellione concupiſcentiæ; hunc enim ſenſum Bajo tribuit ipſe Janſenius lib. 3 de ſtatu puræ naturæ cap. ult. Idem colligitur ex aliis propoſitionibus damnatis Baji e. g. ex 49: *Concupiſcentia ſive lex membrorum, & prava ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.* Conf. Auctoritate Patrum Dionyſii Areopag. Baſilii, Chryſoſt. &c. quorum teſtimo-

monia refert Bellarm. cap. 5 de gratia primi hominis. S. Augustinus lib. 4 contra Julian. cap. ult. ait: *Gratia quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum, & animale corpus bestialem libidinem non habebat*: & lib. 5 cap. 7: *Libidinem naturalem esse & vinci posse*: ergo juxta S. Doctorem libido est defectus naturalis, & quod primus homo ejus rebellionem non senserit, gratuito Dei favori erat adscribendum.

Probatur conclusio ratione Scoti. Ex una 355
parte connaturale est homini, ut in sensus incurrant multa objecta delectabilia etiam prohibita, quæ dein penetrant ad sensum internum, & inde ad appetitum sensitivum; ex altera parte appetitus sensitivus in talia objecta sufficienter proposita connaturaliter, & necessario movetur, cum non minus sit potentia necessaria, quam sensus externi: ergo appetitus sensitivus necessitate naturali fertur in bona delectabilia, licet sint prohibita, & contra rationem. Neque dici potest, quod Deus in statu puræ naturæ hæc omnia debuisset impedire, sicut impedivit in statu naturæ integræ; hoc enim gratis fingitur, & quod inde nulla indecentia redundet in Deum, dudum docuit S. Augustinus lib. 7 retract. cap. 9 his verbis: *Ignorantia, & difficultas, etsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus, sicut in eodem tertio libro* (de libero arbitrio) *disputavimus*. Interim non nego de facto rebellionem concupiscentiæ esse majorem, quam fuisset in prima creatione naturæ puræ, partim ob proprios habitus vitiosos, partim ob habitus vitiosos parentum, qui non raro suas propensiones cum materia primigenia in posteros transfundunt. Hinc dixi cum aliqua rebellione concupiscentiæ, quod est contra Calvinum, Bajum & Jansenium. Item contra Laurentium Berti existimantem, hac ratione

Deum

Deum fore auctorem concupiſcentiæ rebellis, quam per ſe malam eſſe multis probat lib. 11 & 12 de Theolog. diſcipl.

Objectiones.

356 Obj. 1. Si homo conderetur cum rebellione concupiſcentiæ, Deus eſſet auctor concupiſcentiæ rebellis; hoc non poteſt dici, quia 1 Joann. 2 v. 16 expreſſe legitur: *Concupiſcentia carnis non eſt ex Patre.* Conf. Juxta Apoſtolum ad Rom. 7 v. 17 & 20 concupiſcentia rebellis eſt peccatum; nam Deus illam prohibet in decalogo, & Chriſtus Matth. 5 v. 28 dixit: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Reſp. Diſt. Maj. Deus eſſet auctor concupiſcentiæ rebellis actualis, Neg. Maj. habitualis, Subdiſt. concupiſcentiæ rebellis, quæ eſt talis, Conc. Maj. qua talis, Neg. Maj. Deus tantum eſt auctor appetitus ſenſitivi, in quantum eſt potentia producendi actus convenientes rectæ rationi; ſic enim eſt perfectio naturæ; in quantum vero eſt potentia producendi actus rectæ rationi adverſantes, non eſt a Deo, niſi permittente, ſed provenit ex defectu creaturæ, uti etiam actus ab illa producti. Sic voluntas eſt perfectio naturæ, & a Deo provenit, ſi ſpectetur ſecundum ſuam entitatem, & potentiam proſequendi objecta licita; in quantum vero ferri poteſt in objecta illicita, potius eſt defectus naturæ. Ad Conf. Diſt. Ant. concupiſcentia rebellis eſt peccatum, ſi habeat adjunctum voluntatis conſenſum, Conc. Ant. ſecus, Subdiſt. eſt peccatum improprie dictum, Conc. Ant. proprie dictum, Neg. Ant. In decalogo tantum prohibetur concupiſcentia actualis, & libera, quomodo autem habitualis ab Apoſtolo peccatum vocetur, diximus Num. 240.

Di-

Dices 1. S. Auguſtinus contra Julianum ſæpe contendit, quod concupiſcentia ſit aliquod malum, ſed nullum malum poteſt eſſe a Deo: ergo. Maj. patet ex lib. 3 contra Julian. ubi cap. 21 ait: *Hoc intereſt, quod ego dico, me malum frenare, tu autem, te bonum: ego dico, mihi malum repugnare, tu tibi bonum.* Conf. lib. 4 contra eundem cap. 14. docet: *Concupiſcentiam, quæ nos ad ſentiendum, ſive conſentientes mente, ſive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit, contrariam eſſe dilectioni ſapientiæ, & virtutibus inimicam:* ergo non poteſt eſſe a Deo. Reſp. Diſt. Maj. docet, quod concupiſcentia, nempe rebellis, ſit aliquod malum phyſicum, Conc. Maj. morale & culpabile, Neg. Maj. & Diſt. min. Deus non poteſt eſſe auctor mali moralis, Conc. min. phyſici, Subdiſt. ſi ſpectetur formaliter & qua tale, Conc. min. ſi ſpectetur præciſe materialiter, & entitative, Neg. min. & Conſ. Ad Conf. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo non poteſt eſſe a Deo phyſice, & permiſſive, Neg. Conſ. moraliter, & intentive, Conc. Conſ. Quamvis mala phyſica, & negationes majoris perfectionis ſuo modo realiter ſint a Deo, tamen formaliter, & proprie loquendo Deus non eſt illorum auctor, ut exſplicat S. Auguſtinus lib. 3 Oper. imperfect. cap. 60 his verbis: *Ejus hominis, qui fatuus natus eſt, Deum dicimus, quamvis non dicamus ipſius fatuitatis auctorem, quia fatuitas non eſt natura, atque ſubſtantia, quæ non naſcitur, niſi creante Deo, ſed ejusdem naturæ vitium, quod accidit ſinente Deo.* 357

Dices 2. Juxta S. Auguſtinum illa concupiſcentia eſt mala, quam Julianus dixerat eſſe bonam; ſed Julianus tantum dixit illam eſſe bonam, quæ inclinat in bonum ſenſibile, & qua homo bene utitur; illius vero exceſſum malum eſſe non diffitebatur, ut teſtatur S. Auguſtinus 358

lib. 2 de nuptiis cap. 19, referens hæc verba Juliani: *Merito & in bene utentibus genus concupiſcentiæ modusque laudatur, & in turpibus exceſſus ejus punitur.* Conf. Qui fatetur concupiſcentiam eſſe malam, & tamen eſſe a Deo, ſentit cum Manichæis; hinc S. Auguſtinus lib. 5 cap. ult. Julian. ita alloquitur: *Fatere ergo ingenitos eſſe homini motus malos, contra quos caſtitas dimicat, & ne dicere cum Manichæis cogaris, alieni mali naturæ nobis ineſſe commixtionem, noſtrum potius originalem confitere languorem.* Reſp. Conc. Maj. Diſt. min. dixit eſſe bonam, quatenus inclinat in bonum ſenſibile tantum licitum, Neg. min. etiam in illicitum, Conc. min. Julianus, ut S. Doctor lib. 4 contra ipſum cap. 14 advertit, vivacitatem, utilitatem, & neceſſitatem appetitus ſenſitivi non ſatis diſtinxit a libidine, & ipſam concupiſcentiam rebellem qua talem dixit eſſe bonam, modo homo illi non conſentiat, & hinc naturam per peccatum originale nullo modo eſſe vitiatam; econtra S. Auguſtinus contendit, concupiſcentiam, quando ad peccatum inclinat, ſemper eſſe malam, præſertim in hac providentia, in qua eſt effectus, & pœna peccati originalis. Ad Conf. Rurſus ſermo eſt de hac providentia, in qua motus mali, cum ſint effectus peccati, utique Deo tribui nequeunt.

359 Obj. 2. Homo e manibus ſui conditoris debet prodire absque inordinatione, & defectu; atqui concupiſcentia eſt inordinatio, & defectus; inordinatum quippe eſt, quod potentia inferior non ſubjiciatur ſuperiori, & homo condatur cum ſtimulo ad peccatum. Conf. Eſt de rectitudine naturali hominis, ut pars ſuperior dominetur inferiori: ergo concupiſcentia rebellis ineſt homini contra naturam. Reſp. Diſt. Maj. debet prodire absque defectu morali, & poſitivo, Conc.

Conc. Maj. absque defectu phyſico, & negativo, Subdiſt. ſi hic defectus proveniat ab ipſo Deo, Conc. Maj. ſi ſolum a natura, Neg. Maj. Alias homo non potuiſſet creari cum potentia peccandi. Nempe rectæ rationi non debetur in concupiſcentiam dominium deſpoticum, vi cujus omnes illius actus habeat in poteſtate etiam quoad ſenſum; ſed ſolum dominium, quaſi politicum, ut ſcilicet ejus motus habeat in poteſtate quoad conſenſum, & invita nequeat ſubjugari; hinc non eſt poſitive inordinatum, quod Deus condat hominem cum ſtimulo ad peccatum ſolum inefficaci eo fine, ut ex pugna ſequatur victoria, homini valde utilis, & Deo glorioſa. Ad Conſ. Diſt. Ant. ut pars ſuperior dominetur inferiori quoad conſenſum, Conc. Ant. quoad ſenſum, Neg. Ant. & Diſt. Conſ. ergo concupiſcentia rebellis ineſt contra naturam, ſi reſpiciatur inclinatio partis ſuperioris, Conc. Conſ. reſpective ad inclinationem partis inferioris, Neg. Conſ. Homo ſimul eſt animal, & rationalis, qua animal propendet in bonum delectabile, qua rationalis in bonum honeſtum; unde motus concupiſcentiæ rebellis, licet ſint naturales parti inferiori, poſſunt eſſe contra naturam partis ſuperioris, cui potius virtus naturalis eſt.

Dices 1. Concupiſcentia rebellis eſt per ſe 360
connexa cum defectu morali, nempe cum motibus pravis, & hinc a Deo odio habetur; atqui Deus non poteſt condere aliquid per ſe cum malo morali connexum: ergo. Conſ. Deus homini neque peccatum ſuadere, neque habitum vitioſum, aut aliam qualitatem ad peccatum inclinantem poteſt infundere: ergo neque illum creare cum concupiſcentia rebelli. Reſp. Diſt. Maj. concupiſcentia rebellis quæ talis, eſt per ſe connexa cum defectu morali, Neg. Maj. qua talis, Subdiſt. cum defectu morali ſtricte, &

formaliter tali, Neg. Maj. late & solum denominative tali, Conc. Maj. & Neg. suppositum, quod Deus sit auctor concupiscentiæ rebellis qua talis. Concupiscentia per se tantum tendit in bonum sensibile, quod si illicitum sit, mere est per accidens; quare Deus concupiscentiam non odit præcise ratione sui, & odio redundante in personam, sed ratione peccati, cujus est effectus, vel causa, si homo motibus pravis libere consentiat: si vero non consentiat, ejusmodi motus sunt tantum malum morale late, & denominative, quamquam neque sub ista ratione a Deo intendantur. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Si Deus peccatum suaderet, illud positive intenderet, & habitus pravus unice ad peccatum inclinaret, econtra concupiscentia per se non inclinat potius ad peccatum, quam non peccatum.

361 Dices 2. Actus concupiscentiæ opponuntur rectæ rationi, & sunt desideria peccati: ergo concupiscentia tales actus producens proprie, & formaliter mala est, utpote inclinans ad illud, cui consentire proprie malum est. Conf. Juxta S. Thomam 2. 2 q. 43 art. 1 in corp. obex sapientiæ, & virtutis est moraliter malus, quia scandalum; sed concupiscentia est obex sapientiæ, & virtutum: ergo. Resp. Dist. Ant. actus concupiscentiæ opponuntur rectæ rationi per se, & in omnibus circumstantiis, Neg. Ant. per accidens, & in aliquibus circumstantiis, Conc. Ant. quoad hoc membrum 1, & Dist. etiam quoad alterum. Sunt desideria peccati efficacia, Neg. Ant. inefficacia ac indeliberata, Conc. Ant. & Neg. Conf. Illud solum proprie est malum moraliter, cui consentire per se, & in omnibus circumstantiis malum est; concupiscentia autem ad malum tantum inclinat per accidens, neque ad illud inclinat ut prohibitum, sed tantum ut delectabile, relinquens homini adhuc libertatem ad gene-

generosam victoriam. Imo ut aliquid sit malum morale stricte tale, non tantum debet esse inclinatio ad peccatum, sed ipsa formalis transgressio legis, alias quælibet tentatio ad peccatum jam esset peccatum. Ad Conf. eadem proportionaliter est responsio, quod nempe concupiscentia non sit obex sapientiæ & virtutis per se, adeoque non habeat rationem veri scandali, ut ibidem docet S. Thomas in responsione ad 4tum.

Obj. 3. Quod est causa justi pudoris non potest esse a Deo; alias homo erubesceret de opere Dei. Atqui concupiscentia est causa justi pudoris, ut docet S. August. lib. 1 de nuptiis cap. 122: ergo. Conf. Si concupiscentia esset a Deo, possemus illam a Deo petere; hoc falsum: ergo. Resp. Dist. Maj. non potest esse a Deo, in quantum est causa justi pudoris, Conc. Maj. in quantum est bonum aliquod physicum, Neg. Maj. & Dist. min. concupiscentia est causa justi pudoris, in quantum est defectus naturæ, & pœna peccati, Conc. min. in quantum est potentia appetendi res licitas, Neg. min. Sæpe solemus erubescere de defectibus tantum physicis e. g. de corporis deformitate, de hebetudine ingenii &c. Cum igitur concupiscentia rebellis sit defectus naturæ, & in præsenti statu etiam pœna peccati, merito natura nobis indidit erubescentiam de illius actibus, qui non solum de se turpes, & defectuosi sunt, sed etiam ad peccatum inclinant; neque tamen ideo sumus Deo ingrati, aut erubescimus de ipsius opere, quatenus est opus Dei. Ad Conf. Neg. Maj. Quamvis prudenter, & cum laude creatoris patiamur rebellionem concupiscentiæ, illa non est donum Dei, ut erravit Julianus, sed potius negatio doni majoris; nemo autem prudenter petit, ut Deus erga se sit minus liberalis. 362

363 Dices. Concupiſcentia nullam habet utilitatem, alias potuiſſet etiam dari in Adamo ante peccatum, quod eſt contra S. Auguſtinum, qui ſæpe docet, legem membrorum eſſe pœnam peccati, & ultionem: hinc adverſus Julianum invehitur, quod libidinem, & concupiſcentiam introducat in paradiſum. Conf. Juxta S. Anſelmum lib. 1, cur Deus homo cap. 10: *Sicut in Deo quamlibet parvum inconveniens ſequitur impoſſibilitas, ita quamlibet parvam rationem, ſi majori non vincatur, comitatur neceſſitas:* ergo Deus non poteſt facere aliquid inconveniens, aut minus conveniens; atqui ſaltem minus conveniens eſt, ſi homo producatur cum concupiſcentia: ergo. Reſp. Neg. Ant. Sicut nunc, ita in ſtatu puræ naturæ concupiſcentia fuiſſet occaſio pugnandi, & cauſa non ſuperbiendi, hinc potuiſſet etiam dari in Adamo innocente, niſi Deus in hac providentia, de qua loquitur S. Auguſtinus, gratuito donum integritatis illi conceſſiſſet. Ad Conf. Conc. Ant. Diſt. Conſ. Deus non poteſt facere aliquid poſitive inconveniens, aut minus conveniens formaliter, Conc. Conſ. negative inconveniens, aut materialiter tantum minus conveniens, Neg. Conſ. concupiſcentia non eſt inordinatio, & defectus poſitivus, cum non tollat ordinem naturæ debitum aut neceſſarium ad ultimum finem, & licet ſit aliquid minus conveniens materialiter, & in ſe, in ſtatu tamen puræ naturæ non eſſet aliquid minus conveniens formaliter in ordine ad finem a Deo intentum.

364 Obj. 4. Juxta datas hucusque reſponſiones concupiſcentia tantum eſſet mala, quia homo illa male utitur, adeoque non aliter quam e. g. cibi, vinum, pecuniæ &c. quibus ad peccandum abuti poſſumus; atqui hæc eſt ipſiſſima doctrina Juliani, quam acerrime inſectatus

eſt

est S. Augustinus: ergo. Conf. Malo naturali e. g. morti, morbis, licet consentire: ergo si concupiscentia est tantum malum naturale, licet illi consentire. Resp. Neg. Maj. Concupiscentia rebellis, ejusque motus juxta S. Augustinum, & nos mali sunt, & quidem aliquo modo moraliter, quatenus inclinant ad peccatum, idque longe magis, quam aliæ res sensibiles, ut advertit S. Augustinus lib. 5 contra Julian. cap. 10: *Quis enim malam eam pecuniam dixerit; & tamen pecuniam malus quidam spiritus concupiscit: sed ipsa contra bonum spiritum non concupiscit, quod libido facit, atque ideo, & qui hoc malum esse negat, peccat.* Ad Conf. Dist. Ant. malo naturali licet consentire, si non sit peccandi periculum, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. Mors, morbi &c. ex se non habent adjunctum peccandi periculum, quia natura ab illis abhorret; at magnum datur periculum peccandi in motibus concupiscentiæ ob fragilitatem carnis & propensionem in res sensibiles.

Dices. Omnis propensio naturalis naturæ 365 bonæ bona est; ergo si concupiscentia est propensio naturalis, est bona: ergo illam licet sequi. Conf. Bonum est sequi naturam non depravatam: ergo si concupiscentia posset dari in natura innocente, bonum esset sequi motus concupiscentiæ. Resp. Dist. Ant. si natura sit bona bonitate indefectibili, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. Natura in puris naturalibus condita esset quidem bona, sed bonitate defectibili; quippe propendendo ad turpia, deficeret, itaque talis propensio quantumlibet naturalis non esset bona. Ex quo patet, ea, ad quæ natura propendet, tunc tantum licere sequi, quando in illa propendet, ut bona est. Ad Conf. Dist. Ant. bonum est sequi naturam non depravatam, in quantum est

bona, & dictat, quod illi ut rationali convenit, Conc. Ant. in quantum eſt defectibilis, & propendet ad illicita, Neg. Ant. & Conſ. Cæterum quomodo homo in ſtatu puræ naturæ habuiſſet libertatem, & potentiam moralem ſervandi legem naturalem, commodius exſplicabitur inferius, ubi ſtatus puræ naturæ, cum ſtatu naturæ lapſæ comparabitur.

QUÆSTIO V.

An concupiſcentia in renatis ſit peccatum?

366 Quemadmodum Sectarii noſtri temporis dicunt, peccatum originale conſiſtere in vulneribus naturæ, concupiſcentia potiſſimum, ita cum Luthero, Calvino, & Janſenio contendunt, eandem concupiſcentiam, ejusque motus, licet omnem advertentiam rationis, & conſenſum voluntatis prævertant, in renatis etiam poſt baptismum vere ac proprie peccatum eſſe, quod nobis a Deo imputari poſſet ad damnationem, licet intuitu meritorum Chriſti credentibus non imputetur. Mitius ſenſit Cajetanus cum aliis quibusdam, inter quos teſte Tournelio eſt Gonetus; iſti enim quoniam in motu ſenſualitatis etiam ſepoſito voluntatis conſenſu neſcio quid libertatis eſſe putant, aſſerunt ejusmodi motus eſſe peccatum veniale, quod etiam approbat Durandus, quando motus procedunt ex imaginatione rei illicitæ, non item ſi ex ſola diſpoſitione corporis. Ego præcipue agam contra hæreticos, ex dicendis tamen facile colligi poterit, non ſolum motus libidinis, ſed alios quoscunque ſive ad voluntatem, ſive ad intellectum pertineant, nullum omnino peccatum eſſe, ſi prorſus indeliberate ſive fidelibus, ſive infidelibus accidant.

Dicen-

Dicendum, Concupiscentia antecedens omnem deliberationem vel consensum voluntatis in renatis non est peccatum vere, ac proprie tale. 367
Prob. 1. auctoritate Scripturæ. Eccles. 18 v. 30 præcipitur: *Post concupiscentias tuas non eas*. Atqui hoc præceptum esset frustraneum, & impossibile, si motus concupiscentiæ indeliberati jam essent peccatum, ut advertit S. Augustinus lib. 5 contra Julian. cap. 3. dicens: *Frustra dictum est post concupiscentias tuas non eas, si jam quisque reus est, quod tumultuantes, & ad mala trahere nitentes sentit eas*: Matth. 15 v. 19 Christus inquit, *De corde enim exeunt cogitationes malæ, hæc sunt, quæ coinquinant hominem*, ubi juxta S. Hieron. aliosque interpretes per cor intelligitur voluntas libera. Hinc S. Augustinus lib. de continent. cap. 2 ait: *Quamdiu caro concupiscit adversus spiritum, sat est nobis non consentire malis, quæ sentimus in nobis*: Jacob. 1 v. 14 habetur: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus: deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum*: in quæ verba S. Augustinus lib. 6 contra Julian. cap. 5 ita discurrit: *In his verbis partus a pariente discernitur; pariens enim est concupiscentia, partus peccatum; sed concupiscentia non parit, nisi conceperit, non concipit, nisi illexerit, hoc est ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum.*

Prob. 2. auctoritate Ecclesiæ, & Patrum. 368
Concilium Tridentinum sess. 5 cap. 7 ait: *Manere in baptizatis concupiscentiam, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi gratiam repugnantibus non valet.* Pius V, Gregor. XIII, & Urban. VIII damnarunt propositiones Baji, 48: *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, non concupisces*: 49nam citatam num. 355 & 71mam: *Motus*

pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto non concupisces : unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum non concupisces, quamvis transgressio in peccatum non imputetur. Ex Patribus græcis apud Bellarm. lib. 5 de amissione gratiæ nostram sententiam tradunt Method. Basil. Chrysost. Cyrill. &c. ex Latinis Cyprianus, Hilar. Ambros. Hieron. Gregor. Magnus. Audiamus ad hoc unum, & alterum textum S. Augustini, qui teste Calvino consensum totius antiquitatis circa rem præsentem exhibet. Hic lib. 1 retract. cap. 15 apertissime ait : *Concupiscentiam infirmitatem esse, non autem peccatum, nisi per metonymiam*, & lib. de perfect. justit. quem juxta Bellarminum scripsit ultimum, docet : *Adeo motus concupiscentiæ involuntarios non esse peccata, ut pro eorum remissione non sit opus dicere : dimitte nobis debita nostra.*

369 Prob. 3 rationibus theologicis. 1 Concupiscentia manet in homine renato & justificato, ut de se ipso testatur Apost. ad Rom. 7 v. 23 : *Video aliam legem in membris meis &c.* : atqui in renatis, & justificatis non potest esse peccatum grave, ut ostendi num. 232. 2. Omne peccatum debet esse voluntarium, & liberum; atqui concupiscentia antecedens advertentiam rationis, vel consensum voluntatis, nec libera, nec voluntaria est, cum tam parum sit in potestate virorum etiam sapientium, & vigilantium non habere primos illos concupiscentiæ motus, quam parum id est in potestate dormientium; hinc rursus S. Augustinus lib. 1 de civit. cap. 25 ait : *Illa concupiscentialis inobedientia, quanto magis est absque culpa in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis.* 3. Sicut Deus illa solum nobis præcipit, quæ facere possumus, ita ea tantum prohibet, quæ omittere possumus : nam *fidelis est Deus, qui*

qui non patietur nos tentari supra id, quod possumus, 1 ad Cor. 10 v. 13; atqui motus indeliberatos concupiscentiæ non possumus omittere, aut vitare, ut testatur experientia: ergo.

Objectiones.

Obj. 1. In Scriptura concupiscentia antecedens consensum voluntatis sæpe vocatur peccatum, *Nunc autem jam non ego operor, sed quod habitat in me, peccatum*, ad Rom. 7 v. 17. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore*, ad Rom. 6 v. 12: in quem textum Calvinus advertit, Apostolum non dicere: *Peccatum non sit*, sed *non regnet*, quia videlicet semper in membris manet. Conf. S. Paulus ad Rom. 7 concupiscentiam vocat malam, & hoc malum non solum describit privative: *Perficere bonum non invenio*, v. 18: sed etiam positive, *Quod odi malum, illud facio*, v. 15, & ideo propter hoc malum exclamat: *Infelix ego homo*, v. 24 &c. Resp. Dist. Ant. concupiscentia antecedens sæpe vocatur peccatum proprie tale, Neg. Ant. latius, & metonymice tale, Conc. Ant. Quod peccatum in Scriptura sæpe sumatur in sensu lato, jam adverti num. 2. igitur concupiscentia tunc solum proprie peccatum est, quando in nobis regnat, id est, quando ejus desideriis ad mala perpetranda consentimus, ut exsplicat S. Augustinus lib. 2 Operis imperfecti, & ipse Apostolus statim addens: *Ut obediatis concupiscentiis ejus.* Ad Conf. Etiam juxta nos omnia ista verissima sunt, quia concupiscentia est corruptio, & malum quoddam incitans ad peccatum, cum quo miser homo continuo debet confligere, illud mortificare, destruere &c. 370

Dices 1. Quod est transgressio legis, est peccatum proprie dictum; sed motus concupiscentiæ rebellis sunt transgressio legis: *Non concupisces;* 371

pisces; hinc Apost. ad Rom. 7 v. 7 inquit: *Peccatum non cognovi nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret.* Conf. Eoden cap. v. 21 ita loquitur: *Invenio igitur legem mihi volenti facere bonum, quoniam malum mihi adjacet:* ergo, infert Calvinus, testatur Apostolus, velle se legem servare, & bonum facere, sed non posse propter adjacentem concupiscentiam legi repugnantem. Resp. Transf. Maj. Dist. min. motus concupiscentiæ deliberati sunt transgressio legis, Conc. min. indeliberati, Subdist. legis proxime obligantis, Neg. min. remote obligantis, Transf. min. & Neg. Conf. Lex *non concupisces*, imprimis non prohibet concupiscentiam habitualem, quæ homini est naturalis; motus autem concupiscentiæ indeliberatos ad summum prohibet in actu primo, & remote, id est, prohiberet illos, si deliberate excitarentur. Porro Apostolus loquitur de motibus deliberatis, quos Judæi putaverant non esse peccata. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Juxta S. Augustinum lib. 1 cont. 2 epist. Pelag. cap. 10 sensus est, legem bonam esse volenti juxta eam vivere, quia retrahit a peccato, ad quod concupiscentia incitat, hinc ibidem Apostolus pergit: *condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem.*

372 Dices 2. S. Paulus v. 14 dixerat: *Scimus enim, quod lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato: quod enim operor non intelligo:* ergo fatetur se non servare legem, quia illa spiritualis, ipse vero carnalis: neque loquitur de lege prohibente motus voluntarios, hanc enim servare se paulo post ait: *Quod odi, facio, & mente servio legi Dei.* Conf. Si lex tantum prohiberet motus voluntarios, posset in hac vita servari saltem adjuvante Dei gratia; atqui hoc est contra S. Augustinum sermone 5 de verbis Apost. ubi ait: *Quid dicis o Lex: non concupi-*

cupi-

cupiſces, & ego nolo concupiſcere, non implet legem infirmitas mea; ſed legem laudat voluntas mea. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. ſenſus juxta S. Auguſtin. lib. 2 retract. cap. 1 eſt: Scimus, quia finis legis eſt, ut homines omnino faciat perfectos, & ſpirituales: ego autem, quia nondum ſpirituale corpus habeo, ſed per peccatum Adami venditus ſum, & concupiſcentiæ ſubjectus, necdum ſervo legem, quantum ad totam ejus perfectionem, & finem requiritur. Ad Conſ. Diſt. Maj. lex poſſet ſervari, quantum requiritur ad vitandum peccatum, Conc. Maj. quantum requiritur ad totam perfectionem, & finem præcepti, qui tamen proprie præceptus non eſt, Neg. Maj. & ſic Diſt. min. Neg. Conſ. Cæterum caput 7 ad Rom. valde obſcurum eſſe fatentur interpretes, & ipſe D. Petrus teſtatur in epiſtolis Pauli, quædam eſſe difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant ad ſuam propriam perditionem.

Obj. 2. S. Auguſtinus ſæpe docet motus in- 373
deliberatos concupiſcentiæ eſſe prohibitos. Sic lib. 1 de nuptiis cap. 23 ait: *Si non fit, quod ſcriptum eſt: non concupiſces: fiat ſaltem, quod alibi legitur: poſt concupiſcentias tuas non eas:* & ſerm. 5 de verb. Apoſt. *Si concupiſcis, quod lex vetat, quæ dicit; non concupiſces: ſervas tamen aliud, quod item lex jubet, poſt concupiſcentias tuas non eas.* Conf. lib. de ſpirit. & lit. cap. ult. docet: *Eum ſolum non concupiſcere ad ſenſum præcepti: non concupiſces, qui nullos patitur motus concupiſcentiæ, ne quidem involuntarios.* Reſp. Neg. Ant. præſertim de prohibitione proxime, & in actu ſecundo obligante. Quippe ſæpe in lege ſolet exprimi finis legis, quamvis non finis, ſed tantum media ſint præcepta, e. g. præcipiatur alicui: ſana ægrotum, is non peccat, etiamſi ſanare

nare non possit, dummodo adhibeat media, quantum est ex se. Simili modo S. Augustinus locis objectis tantum vult, legem, *non concupisces*, pro fine habere, ut homo perveniat ad eum statum, in quo nullos habeat concupiscentiæ motus, licet hic finis proprie non sit præceptus; nam epist. 20 inquit: *Lex posuit, non concupisces, non quod hic valeamus non concupiscere, sed ad hoc, quod perficiendo tendamus.* Ad Conf. Ibi, ut ex contextu patet, sermo est de motibus non omnino involuntariis, sed semideliberatis, vel rursus exponi potest de perfectione, & fine legis; addit enim: *Istud, non concupisces, pertinere ad vitam immortalem; illud vero, post concupiscentias tuas non eas, ad vitam mortalem.*

374 Dices 1. Juxta S. Augustinum motus indeliberati concupiscentiæ proprie sunt peccatum; nam lib. 14 de civit. cap. 10 ait: *Neque enim nullum peccatum est, quæ lex prohibet, concupiscere*, & lib. 19 cap. 4: *Neque enim nullum est vitium, cum, sicut dicit Apostolus, caro concupiscit adversus spiritum.* Denique lib. 6 contra Julian. cap. 8: *Neque nulla est iniquitas, cum in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur.* Conf. Si concupiscentia non esset peccatum formale, non noceret eis, qui eidem non consentiunt; atqui juxta S. Augustinum lib. 4. contra Julian. cap. 2 eis nocet: ergo. Resp. Neg. Ant. In locis objectis S. Doctor peccatum, vitium, iniquitatem, non sumit stricte, & formaliter, sed latius pro omni eo, quod inordinatum & defectuosum est, adeoque solum objective, aut metonymice peccatum, ut patet ex textibus pro nobis citatis. Ad Conf. Dist. Ant. non noceret ut peccatum, Conc. Ant. ut defectus causans miserabilem pugnam, & minuens

nuens gaudium cæleſte, Neg. Ant. ita enim S. Doctor ſe ipſum ibidem exſplicat.

Dices 2. Lib. 5 contra Julian. cap. 3 com- 375
parat concupiſcentiam cæcitati cordis, quæ proprie, & formaliter non tantum eſt pœna, & cauſa peccati, ſed etiam peccatum. *Sicut*, inquit, *cæcitas cordis, & peccatum eſt, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor ſuperbum digna animadverſione punitur, & cauſa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur: ita concupiſcentia carnis, & peccatum eſt, quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis, & pœna peccati eſt, quia reddita eſt meritis inobedientiæ, & cauſa peccati eſt, defectione conſentientis, vel contagione naſcentis.* Conf. Cum Julianus diceret, concupiſcentiam, ſi pœna peccati eſſet, fore laudabilem, velut ultricem ſceleris, repoſuit S. Auguſtinus, tali modo etiam dæmones laudari poſſe, per quos Deus peccatores punit. Atqui dæmones ſunt formaliter mali: ergo. Reſp. Diſt. Ant. cæcitas cordis non tantum eſt pœna, ſed etiam peccatum formale, ſi ſit voluntaria, Conc. Ant. ſi non, Subdiſt. eſt peccatum objective, id eſt, aliquid inordinatum & vitioſum, Conc. Ant. aliquid proprie culpabile, Neg. Ant. S. Doctor hic contra Julianum vult probare, quod concupiſcentia non ſit laudabilis, licet ſit pœna peccati, & in hunc ſolum finem utitur comparatione dæmonum, & cæcitatis humanæ, in quibus nullum peccatum formale ſine conſenſu voluntatis invenitur; conſequenter etiam concupiſcentia tunc tantum eſt peccatum formale, ſi accedit conſenſus voluntatis. Ex quibus jam patet etiam reſponſio ad confirmationem.

Obj. 3. Concupiſcentia eſt peccatum for- 376
male in infidelibus: ergo etiam in baptizatis. Ant. prob. ex S. Auguſtino, qui lib. 6 contra Julian. c. 17 ait: *Nos concupiſcentiam malam dicimus,*

cimus, & manere tamen in baptizatis, quamvis reatus ejus fuerit remissus, atque vacuatus, non quo *ipsa erat rea, neque enim aliqua persona est, sed quo reum hominem originaliter faciebat*. Ergo concupiscentia in infidelibus habet reatum, ut rursus aperte docet lib. 1 de nupt. cap. 32: *Hæc igitur remissio peccati, quamdiu non fit in prole, sic ibi est lex ista peccati, ut etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus ejus cum illa sit, qui eam teneat æterni supplicii debitorem*. Conf. Concupiscentia per baptismum remittitur: ergo ante baptismum est peccatum. Resp. Neg. Ant. Ad prob. Conc. Ant. Dist. Conf. ergo concupiscentia in infidelibus habet reatum, qui oritur ab ipsa concupiscentia, & in ipsa fundatur, Neg. Conf. qui est aliunde, & a concupiscentia separari potest, Conc. Conf. S. Augustinus non vult, quod aliquis æterni supplicii reus sit propter ipsam concupiscentiam in se; sed propter illam, ut ortam a peccato originali, quod hominem reum constituit. Ad Conf. Dist. Ant. concupiscentia tollitur per baptismum, quatenus cessat esse imputabilis ad vituperium & pœnam, Conc. Ant. quoad suam entitatem, Neg. Ant. alias Apostolus non amplius potuisset de concupiscentia conqueri. Vid. etiam num. 241.

377 Dices. S. Augustinus lib. 1 de nupt. cap. 28 docet, reatum se habere ad concupiscentiam, sicut reatus adulterii ad adulterium; atqui adulterium nunquam potest esse sine reatu: ergo. Conf. Eodem lib. cap. 15 ait: *Dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur*. Resp. in hoc argumento Lutheri omnia falsa esse; nam imprimis S. Augustinus non comparat concupiscentiam cum adulterio, ut ostendat in illa, sicut in hoc reatum esse perpetuum, sed tantum contendit, concupi-

upiſcentiam poſſe manere, etſi non maneat reatus, ſicut viciſſim poteſt manere reatus adulterii, quin maneat adulterium. Dein etiam reatus adulterii non manet, ſi peccatum remittitur: *Manent ergo*, inquit ibidem S. Doctor, *peccata præterita, niſi remittantur.* Ad Conf. Diſt. Ant. non dimitti concupiſcentiam, ut non ſit, id eſt, ut non maneat ſecundum ſe, Conc. Ant. ut ſolum non imputetur extrinſece, Neg. Ant. Nam S. Doctor immediate prius expreſſe docet: *In baptismo univerſorum factam eſſe remiſſionem peccatorum:* poſtea autem aſſerit per baptismum ſolvi reatum, licet ſuperſit infirmitas: *Donec ſanetur proficiente renovatione interioris hominis de die in diem.*

Ob. 4. Quidquid opponitur rectæ rationi, ſemper eſt peccatum; ſed concupiſcentia antecedens opponitur rectæ rationi; quippe ejusmodi motus nunquam poſſunt approbari, & hinc ſemper tenemur rebellem concupiſcentiam odiſſe. Conf. Deus omnia fecit præter peccatum; ſed concupiſcentiam rebellem non fecit: ergo. Reſp. Diſt. Maj. ſi actu cognoſcatur eſſe rectæ rationi adverſum, & evitari valeat, Conc. Maj. Si non ita cognoſcatur, vel evitari nequeat, Subdiſt. eſt peccatum materiale, Tranſ. Maj. formale, Neg. Maj. & ſic Diſt. min. Conſ. cum motus concupiſcentiæ rebellis ad malum inclinent, utique recta ratio illos approbare nequit, ſed potius odiſſe debet; quando autem ejusmodi motus rectam rationem prævertunt, vel reprimi nequeunt, hominem non poſſunt reddere divino odio dignum, ſi ipſis non conſentiat. Ad Conf. Neg. Maj. ſi velit, quod Deus proprie ſit auctor omnium rerum excepto ſolo peccato; nam etiam non poteſt eſſe auctor defectuum naturalium. Poteſt etiam Diſt. min. Deus non facit concupiſcentiam rebellem phyſice, & quoad ſuam entitatem, 378

Neg. min. moraliter, & formaliter, Conc. min, & Neg. Conſ.

379 Dices. Id, quod per ſe trahit ad malum, prohibetur eadem lege, qua prohibetur ipſum malum; ſed concupiſcentia rebellis per ſe trahit ad malum: ergo. Conſ. S. Thomas in multis locis videtur docere, quod motus indeliberati concupiſcentiæ ſaltem ſint peccata venialia. Sic in 2 Diſtinct. 21 q. 1 art. 2 ait: *Tentationem, quæ eſt a carne, eſſe peccatum in eo, qui tentatur, quæ vero eſt a mundo, & diabolo non eſſe peccatum, niſi per delectationem conſenſus.* Reſp. Diſt. Maj. ſi ſit in noſtra poteſtate, ut illud pro libitu poſſimus aſſumere, vel relinquere, Conc. Maj. ſecus, Neg. Maj. & ſic Diſt. min. Conſ. Ad Conſ. Neg. Ant. Angelicus 2. 2 q. 112 art. 5 expreſſe ait: *Omne peccatum pendet ex judicio rationis, quia etiam primus motus ſenſualitatis non habet, quod ſit peccatum, niſi in quantum judicio rationis reprimi poteſt*, & ideo ſublato judicio rationis, tollitur ratio peccati. Unde quando videtur contrarium dicere, intelligi debet de motibus non omnino involuntariis. Porro inter tentationes concupiſcentiæ, mundi, & dæmonis ideo ſolum facit diſcrimen, quia externa non tam facile poteſt evitari, quam interna, ſi hæc exſurgit ex cogitatione rei delectabilis; ſi enim ratio vigilaſſet, facile potuiſſet evitari. Videatur Card. Gotti tom. 2 in 1. 2 q. 5 dub. 2.

QUÆSTIO VI.

An homo in ſtatu naturæ lapſæ ſit debilior, quam fuiſſet in ſtatu naturæ puræ?

380 Quæſtioni huic anſam præbuit parabola evangelica, quam deſcribit S. Luc. c. 10 v. 30 & ſeq. ubi homo quidam a Jeruſalem in Jericho deſcendens, inci-

incidit in latrones, a quibus ſpoliatus & plagis inflictis ſemivivus relictus eſt; tranſiens vero Samaritanus quidam vulnera ejus obligavit, eumque priſtinæ ſanitati reſtituit. Pio huic Samaritano SS. Patres comparant Chriſtum Redemptorem; viatori autem genus humanum per peccatum originale donis ſupernaturalibus ſpoliatum, & vulneratum; adeo, ut juxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 5 can. 1 totus Adam per illam prævaricationis offenſam ſecundum corpus & animam in deterius mutatus fuerit. Unde licet inter omnes Catholicos certum ſit, quod natura lapſa ſit multo debilior ad agendum bonum etiam naturale, quam fuit natura integra: controvertitur tamen, an hæc major debilitas ſolum proveniat ex defectu virium, & donorum ſupernaturalium, an vero etiam naturalium.

Itaque controverſia proprie verſatur in hoc, 381
an vires homini naturaliter debitæ ex vi ſolius peccati originalis ſint imminutæ in ordine ad ſervandam legem naturalem? Nam 1 ſatis probabile videtur, quod homo in ſtatu naturæ puræ, & innocentis accepiſſet copioſiores gratias naturales, utpote illis longe minus indignus, quam homo lapſus. 2. Jam alibi adverti, quod de facto natura lapſa ſit debilior, propter peccata actualia, per quæ homo contraxit majorem infirmitatem, & novam propenſionem ad malum ex prava conſuetudine, perturbatione humorum, & vitiis perſonalibus. 3. Certum eſt, quod homo per ſolas vires naturales non poſſit agere bonum ſupernatutale; nam ut infra contra Pelagianos oſtendam, ad quodvis minimum opus ſalutare requiritur gratia ſupernaturalis, prout etiam requirebatur in ſtatu juſtitiæ originalis. Ex quibus ulterius patet 4, quod homo ex ſolis viribus naturalibus non poſſit ſervare totam legem

ſupernaturalem, utpote præcipientem actus ſupernaturales, & ſalutares.

882 Dicendum. Natura lapſa ſpectando vires homini innocenti naturaliter debitas non eſt debilior in ordine ad obſervandam legem naturalem, quam fuiſſet natura pura. Ita teſte Suario communis antiquorum, & teſte Dominico Soto unanimis; hodie tamen non pauci ſunt contrarii, inter quos recenſentur Alvarez, Contenſon, Lugo, Haunold, Simonet, Antoine &c. Prob. 1. Quando Concilium Tridentinum & SS. Patres deſcribunt mutationem per peccatum originale in Adamo, & natura humana factam, illam tantum ponunt in jactura bonorum ſupernaturalium, ſcilicet in amiſſione juſtitiæ originalis, & perfectionum ab illa provenientium: ergo natura lapſa gratis dicitur facta eſſe debilior quoad vires naturales. Antecedens quoad primum membrum conſtat ex canone Tridentini ſupra citato: quod vero attinet ſecundum membrum, S. Chryſoſtomus Homil. de cruce Domini ait: *Hominem privatum eſſe donis, quibus antea ornatus fuerat, & relictum eſſe nudum*, id eſt, in puris naturalibus. Eodem modo rem exſplicat S. Ambroſ. lib. 6 in Lucam, & S. Auguſtinus lib. 9 de Geneſi ad litt. cap. 10, & lib. 11 cap. 31 idem repetit S. Proſper contra collatorem cap. 19; hinc inter Theologos per modum axiomatis receptum erat: Natura lapſa differt a natura pura, ſicut homo ſpoliatus veſtibus differt ab homine nudo.

883 Prob. 2 ex damnatione propoſitionis Bajanæ ſæpius jam citatæ: *Deus non potuiſſet ab initio creare talem hominem, qualis nunc naſcitur.* Quæ propoſitio non tantum vult, quod homo non potuerit creari ſine gratia ſanctificante, & cum aliqua rebellione concupiſcentiæ; nam Bajus loquitur de homine lapſo, prout nunc datur,

adeo-

adeoque afflicto iis miseriis, infirmitate, ac debilitate virium ad bonum, quales nunc experitur. Sicut igitur ob mentem Baji Adversarii inferunt, primum hominem potuisse creari cum aliqua infirmitate, & rebellione concupiscentiæ, ita nos merito inferimus, quod per se potuisset esse tam infirmus, quam modo est. Et ita revera videtur etiam sensisse S. Augustinus citatus num. 344 & 355. Conf. Dæmones per lapsum non sunt deteriores facti in naturalibus, sed tantum spoliati donis gratuitis, ut cum pluribus Patribus docet S. Dionysius de divinis nominibus cap. 4 dicens : *Nec angelica munera iis quondam attributa per peccatum sunt permutata, sed integra sunt* : ergo idem dicendum de homine lapso.

Probatur 3. ac præcipue. Si natura la- 384
psa fuisset facta debilior, tunc quatenus per peccatum originale perdidisset potentiam moralem solis viribus naturalibus servandi diu totam legem naturalem, quam tamen potentiam habuisset natura pura; hoc dici nequit: ergo &c. Maj. est præcipuum fundamentum Adversariorum, min. prob. Quia tali modo homo in pœnam peccati originalis incurrisset necessitatem moralem peccandi mortaliter, ac contrahendi reatum pœnæ æternæ, & quidem quantum est ex se, irreparabiliter; hæc autem pœna esset nimis gravis, & plane improportionata peccato originali tantum voluntate aliena commisso. Conf. Non potest satis explicari, quænam alia mutatio præter spoliationem donorum supernaturalium in natura humana per peccatum acciderit; neque enim Deus addidit qualitatem, nescio quam morbidam; hoc enim gratis fingitur: nec ab anima, aut illius potentiis aliquid subtraxit, cum sint indivisibiles: neque verisimile est, corpus omnium hominum in suo temperamento, & organis fuisse im-

mutatum vi folius peccati originalis, aut quod talem mutationem quotidie in pœnam efficiat Deus: nec denique objecta externa funt magis delectabilia in natura lapfa, quam fuiffent in natura pura, adeoque tunc appetitus naturalis non minus neceffario in illa propendiffet.

Objectiones.

385 Obj. 1. Concilium Tridentinum can. fupra citato inquit: *Totum Adam per illam prævaricationis offenfam fecundum corpus, & animam in deterius mutatum effe*: ergo in Adamo fuerunt imminutæ vires naturales ad bonum naturale; alias hæc ultima verba nihil adderent præcedentibus, in quibus jam dictum erat, eum fuiffe fpoliatum donis gratuitis. Conf. Idem Tridentinum feff. 6 can. 1 ex Araufícano II ait: *Liberum arbitrium per peccatum originale fuiffe viribus attenuatum, & inclinatum*: ergo. Refp. Conc. Ant. Neg. Conf. Hæc ultima verba canonis funt quafi conclufio, & generica complexio eorum, quæ prius in fpecie, & per partes fuerunt enumerata, qui modus concludendi, etfi nihil novi dicat, non eft inutilis repetitio priorum, fed gravis, & iterata illorum inculcatio. Ad Conf. Dift. Ant. liberum arbitrium fuiffe attenuatum, & inclinatum per ablationem donorum fupernaturalium, Conc. Ant. virium naturalium, Neg. Ant. Sicut liberum arbitrium per dona juftitiæ originalis mirum in modum fuit corroboratum, quo minus ad illicita propenderet: ita per eorum ablationem vere, & proprie attenuatum, & inclinatum fuit, licet nihil de viribus naturalibus perdiderit, ferme ficut Samfon abfciffis crinibus vere fuit infirmatus, quamvis vires homini communes non amiferit.

Dices

Dices 1. SS. Patres interpretantes parabo- 386
lam evangelicam initio memoratam docent, quod homo per peccatum originale non tantum fuerit ſpoliatus donis ſupernaturalibus, ſed etiam vulneratus in naturalibus, ſicut ille viator non tantum fuit ſpoliatus, ſed etiam vulneratus: ergo. Conf. Viator ille fuit relictus ſemivivus; atqui hoc non poteſt exſplicari in noſtra ſententia: ergo. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Vulnus eſt ſeparatio ſeu ſciſſio partium prius conjunctarum cauſativa doloris; cum igitur per peccatum originale natura humana fuerit ſpoliata juſtitia originali, & tali modo appetitus ſenſibilis, & rationalis invicem ſeparati, non ſine moleſtia, & dolore naturæ lapſæ, hæc revera fuit etiam vulnerata in naturalibus; intellectui inflictum vulnus ignorantiæ, voluntati vulnus malitiæ, appetitui ſenſitivo vulnus rebellionis contra rationem. Ad Conf. Conc. Maj. Neg. min. Natura lapſa vix amplius habet dimidium illius vitæ, quam habuit natura integra ad bonum agendum.

Dices 2. Vulneratio plus denotat quam 387
ſpoliatio: ergo natura lapſa non tantum fuit privata juſtitia originali; alias homo etiam in ſtatu puræ naturæ poſſet dici vulneratus in naturalibus. Conf. S. Auguſtinus de natura & gratia cap. 3 ait: *Natura humana medico indiget, quia ſana non eſt; vitium vero, quod iſta naturalia contenebrat & infirmat, ut illuminatione & curatione opus ſit, non ab inculpabili artifice contractum eſt, ſed ab originali peccato.* Hinc commune eſt Theologorum axioma, quod natura lapſa fuerit vulnerata in naturalibus. Reſp. Diſt. Ant. vulneratio plus denotat explicite & formaliter, Conc. Ant. implicite, & in ſenſu reali, Neg. Ant. ſpoliatio explicite tantum denotat amiſſionem juſtitiæ originalis, vulneratio ſeparationem appetitus rationalis, & ſenſitivi, quia

tamen hæc ipſa ſeparatio in amiſſione juſtitiæ originalis a parte rei conſiſtit, utraque vox revera idem exſplicat, ut indicat S. Ambroſ. lib. 7 in Lucam: *Deſpoliant, quæ accepimus indumenta gratiæ ſpiritualis, & ſic vulnera inferre conſueverunt.* Ad Conf. S. Auguſtinus agit contra Pelagianos, & ſolum vult infirmitatem naturæ humanæ de facto eſſe pœnam peccati, cum in ſtatu puræ naturæ ſolum fuiſſet defectus naturalis, cujus etiam tunc Deus non fuiſſet auctor. Porro objecto Theologorum axiomati merito opponimus illud, quod num. 382. pro nobis allegavimus.

388 Obj. 2. Homo per peccatum originale fuit redactus in captivitatem, & ſervitutem dæmonis: ergo eſt debilior ad operandum bonum, utpote expoſitus gravioribus tentationibus, minus adjutus auxiliis divinis, deſtitutus providentia illa favorabili, qua Deus illum protegeret, niſi peccando ſe indignum reddidiſſet. Conſ. In ſtatu naturæ lapſæ major eſt ignorantia intellectus, & propenſio voluntatis in ſenſibilia, vehementior rebellio concupiſcentiæ, deteriora corporis organa, plures morbi &c. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo eſt debilior ſpectando vires, & dona indebita, Conc. Conſ. vires naturaliter debitas, Neg. Conſ. Servitus, & captivitas dæmonis potiſſimum conſiſtit in hoc, quod peccato non poſſit ſuis viribus excutere jugum peccati, nec recuperare libertatem filiorum Dei. Quamvis autem Deus in natura innocente forte non permiſiſſet tantas tentationes, & fortiora contuliſſet auxilia naturalia; hæc tantum fuiſſent dona indebita. Interim etiam in ſtatu naturæ lapſæ dæmon præciſe vi peccati originalis non poteſt hominem tentare ea vehementia, ut non poſſit, faciendo, quantum eſt in ſe, ejusmodi

modi tentationes ſuperare. Ad Conf. Diſt. Ant. datur major ignorantia intellectus &c. quam fuit in ſtatu naturæ elevatæ, Conc. Ant. quam fuiſſet in ſtatu naturæ puræ, Neg. Ant. Unde enim probatur, quod Deus non potuiſſet tunc omnia iſta permittere ?

Dices. Natura lapſa per peccatum origina- 389
le fuit averſa a Deo non ſolum ut fine ſuo ſupernaturali, ſed etiam naturali: ergo perdidit jus ad media, quibus finem naturalem conſequi potuiſſet; hæc autem media fuiſſent vires naturales ad victoriam tentationum, obſervandam legem, faciendum bonum naturale: ergo. Conf. Peccatum imminuit inclinationem naturalem ad bonum: ergo. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conf. perdidit jus ad illa media, in quantum non amplius conducunt ad beatitudinem naturalem, Conc. Conſ. in quantum ſunt neceſſaria ad vitanda peccata, & pœnam ſenſus, præſertim æternam, Neg. Conſ. quia homo in hac providentia tantum fuit ordinatus ad finem ſupernaturalem, utique poſt peccatum non amplius habet jus ad beatitudinem naturalem: hinc natura pura, & innocens fuiſſet quidem felicior, quia non habuiſſet impedimentum felicitatis naturalis, ſine ſpeciali favore Dei inauferibile, non tamen fuiſſet fortior, nec habuiſſet majores vires ad fugiendum malum, & operandum bonum. Ad Conf. Diſt. Ant. peccatum actuale imminuit inclinationem ad bonum, Conc. Ant. originale, Subdiſt. indirecte, quatenus removet juſtitiam originalem, quæ cohibet naturalem inclinationem ad ſenſualia, Conc. Ant. directe, Neg. Ant. & Conſ. Reſponſio eſt ex D. Thoma 1. 2 q. 82 art. 1 ad 3.

Obj. 3. Juxta S. Thomam 1. 2 q. 109 art. 390
2 in corpore: *In ſtatu naturæ corruptæ deficit homo ad hoc, quod ſecundum ſuam naturam po-*

test, ut non possit totum hujusmodi bonum implere per sua naturalia, sed tantum agere bonum aliquod particulare, quia non est totaliter corrupta, & toto bono naturæ privata : ergo homo in natura lapsa non habet potentiam observandi totam legem sine gratia Dei. Conf. Idem q. 83 art. 3 ad 1 docet : *Quod concupiscentia, quæ transcendit limites rationis, insit homini contra naturam, & talem esse concupiscentiam originalis peccati.* Resp. Conc. Maj. Dist. Conf. ergo homo sine gratia Dei non habet potentiam physicam observandi totam legem, Neg. Ant. moralem, Subdist. completam, Conc. Conf. inchoatam, Neg. Conf. Mens S. Thomæ manifeste constat ex part. 1 q. 85 art. 3 ad 1 ubi ait : *Manifestum est, quod illa subjectio corporis ad animam & inferiorum virium ad rationem non erat naturalis, alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in dæmonibus naturalia permanserint.* Ne igitur sibi contradicat, loco objecto tantum vult, quod vires naturales hominis post ablatum donum integritatis ita sint defectuosæ, ut non possit potentia morali, & completa totam legem servare, sed solum aliqua bona particularia agere. Ad Conf. solum docet, quod concupiscentia rebellis sit contra naturam constitutam in justitia originali.

391 Dices 1. Homini in statu naturæ puræ fuisset debita potentia moralis ad observandam totam legem, alias fuisset male constitutus in ordine ad suum finem : ergo si in statu naturæ lapsæ tantum habet potentiam physicam, hoc ipso est debilior. Conf. Potentia observandi legem solum aliquo tempore non datur sine auxilio sufficienti : ergo jam est aliqua gratia, si autem gratia, quomodo debita ? Resp. Dist. Ant. homini in statu naturæ puræ fuisset debita potentia mo-

moralis inchoata, Conc. Ant. completa, Subdist. fuisset debita absolute, Neg. Ant. conditionate, si nempe faciat, quod est in se, Conc. Ant. & Neg. Cons. ac suppositum, quod non eandem potentiam etiam habeat in statu naturæ lapsæ. In utroque statu homini fuisset debitum auxilium sufficiens, quo aliquo tempore posset legem servare, & bene agere, quod si fecisset, & auxilium sui Creatoris, quem facile ex creaturis cognoscere potuisset, diligenter invocasset, Deus eidem semper dedisset ulteriora auxilia, quibus adjutus potuisset moraliter servare totam legem naturalem graviter obligantem, & ultimum suum finem consequi; si vero primis auxiliis non fuisset cooperatus, & propterea ulteriora ipsi fuissent denegata, impotentia moralis consequens, jam non esset imputanda auctori naturæ, sed culpæ hominis. Ad Conf. Dist. Ant. sine auxilio sufficiente ordinis naturalis, Conc. Ant. ordinis supernaturalis, Neg. Ant. & Dist. Conf. ergo jam est aliqua gratia stricte dicta, Neg. Conf. latius dicta, Conc. Conf. Vid. num. 332.

Dices 2. Si homo naturaliter posset imple- 392
re conditionem, sub qua ipsi debetur potentia completa servandi totam legem, hæc potentia ipsi absolute esset debita; nam debitum conditionatum impleta conditione transit in absolutum; sed hoc pro statu naturæ lapsæ dici non potest: ergo. Conf. Ad hoc ut homo actu istam conditionem impleat, requiritur auxilium congruum: ergo cum istud nemini sit debitum, completa potentia non potest dari sine gratia speciali. Resp. Dist. Maj. & si actu istam conditionem sine speciali auxilio impleret, Conc. Maj. secus, Neg. Maj. conditio a nobis assignata non est, si homo possit facere, quod est in se, sed si actu faciat, quod est in se; jam vero licet homo aliquo

quo tempore legem observare posset, id tamen nunquam faceret sine speciali auxilio, seu tali, quod Deus prævideret conjungendum cum consensu, adeoque potentia proxima servandi totam legem esset gratia ex gratia, ferme sicut vita æterna, quæ est debita nostris bonis operibus ex gratia tamen factis. Interim tamen hæc gratia solum esset ordinis naturalis, quia saltem debita aliquibus indeterminate. Ex quibus etiam patet responsio ad Confirmationem. Vid. cit. num. 332.

DISPUTATIO II.

De necessitate gratiæ in statu naturæ lapsæ.

393 Ut in hac disputatione orthodoxe sentiamus, caute incedendum erit inter duos errores oppositos; nam sicut antiquiores hæretici longe minus, quam fides docet, gratiæ divinæ tribuerunt; ita recentiores, ut gratiam Dei extollant, vires liberi arbitrii nimium deprimunt. Sic 1. Joannes Wiclef, & Huss asserebant, nullum actum moraliter bonum fieri posse sine gratia sanctificante: ex principiis fidei, ajebant, est per se notum, quod, quidquid homo in peccato mortali fecerit, peccat mortaliter. 2. Calvinus, & Lutherus docuerunt, omnia opera, quæ fiunt sine fide justificante, esse peccata, quamvis justis propter fidem non imputentur ad culpam. 3. Utrumque hunc errorem amplexus est Bajus dicens: omnia opera infidelium, & peccatorum esse peccata, & liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valere, hinc commentitiam esse distinctionem inter opera salutaria, & non salutaria. 4. Principiis Baji pro more insistit Jansenius lib. 3 de statu naturæ lapsæ cap. 15 & 16.

Erro-

Erroribus iſtis jam præluſerant Prædeſtinatiani, ſeu ut alii vocant, Prædeſtinati, contendentes, liberum arbitrium per peccatum originale extinctum fuiſſe, & hinc omnia ſive bona ſive mala in hominibus fieri prædeſtinatione Dei, quam doctrinam a Calviniſtis renovatam proſcripſit ſynodus Tridentina ſeſſ. 6 can. 17 his verbis: *Si quis juſtificationis gratiam non niſi prædeſtinatis contingere ad vitam dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, utpote divina poteſtate prædeſtinatos ad malum, anathema ſit.* Equidem Jacobus Uſſerius Calviniſta Hybernus, & Janſenius lib. 8 de hæreſi Pelag. cap. 23 negat hæreſim Prædeſtinatianorum unquam revera exſtitiſſe, ſed illam nihil aliud eſſe quam doctrinam S. Auguſtini, & Proſperi invidioſe a Semipelagianis expoſitam; eoquod Prædeſtinatianorum dogmata ea ipſa fuerint, quæ a Semipelagianis contra doctrinam S. Auguſtini opponebantur, quin ſatis conſtet, ubi hæc ſecta exorta fuerit, aut quosnam habuerit ſectatores. 394

Verum ex his neutiquam ſequitur, nullos revera fuiſſe, qui ea tanquam vera, & S. Auguſtini doctrinæ conſentanea defenderint, quæ Semipelagiani eidem tanquam falſa, & impia objiciebant; nam hæreſis Prædeſtinatianorum expreſſe meminerunt Sigebertus Gemblacenſis, Proſper Tyro in Chronico, Arnobius junior in expoſitione Pſalterii, Gennadius Maſſilienſis in appendice catalogi Auguſtiniani de hæreſibus. Initium hujus hæreſis Jacobus Sirmondus, & Ludovicus Cellotius tribuunt cuidam Floro Monacho Adrumetano, alii melius illud adſcribunt Lucido Presbytero Gallo, qui tamen ſuos errores juxta ſtatutum ſynodi Arelatenſis circa annum 475 iterum revocavit. Pertinacius ſæculo IX 395

iisdem inhæsit Gotesschalcus Orbacensis Monachus in diœcesi Suessionensi, qui ideo a Moguntina synodo sub Rabano Archiepiscopo damnatus, & ad Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem remissus, damnationis sententiam pariter ab ipso reportavit, reclusus in carcere, ubi virgis cæsus ac librum, quem scripserat, in ignem prope accensum conjicere coactus fuit, ut narrat ipse Hincmarus in epistola ad Nicolaum I.

396 Ex antiquioribus divinam gratiam oppugnarunt Stoici, qui vitæ quidem hujus commoditates a Diis se habere profitebantur, virtutem autem, partamque ex illa laudem totam hominis esse contendebant. 2. Judæi tum qui negabant gratiam Christi sine legis observatione sufficere ad salutem, tum qui gratiam Evangelii meritis legis Mosaicæ debitam esse asserebant, & hinc iniquo prorsus animo ferebant, gentiles ad hanc gratiam vocatos esse; utrosque gemina epistola redarguit S. Paulus, priores epistola ad Galatas, posteriores epistola ad Romanos. 3. Origenes, cujus auctoritate circa necessitatem gratiæ Pelagiani maxime gloriati sunt. S. Hieronymus illum vocat Pelagiani erroris principem. 4. Theodorus Mopsuestenus & Ruffinus presbyter, an vero ille Aquilejensis propter libros editos famosus, an potius natione Syrus, disputant Critici. 5. & præcipue Pelagiani, ac Semipelagiani, quorum errores fusius exponere expedit.

De erroribus Pelagianorum.

397 Pelagius ex majore Britannia ortus, a natura ingenio fortissimo, celerrimo, & acutissimo instructus, simul tamen litigiosus ac versipellis, & ideo a S. Prospero vocatus coluber Britannus, professione Monachus erat, nihilominus, quia nul-

nullis ſacris ordinibus fuerat initiatus, a multis pro more illorum temporum inter laicos recenſetur. Hic quemadmodum negavit peccatum originale, ita contendit, ſolas vires naturales liberi arbitrii ſufficere ad implendam totam legem; hinc nullam Dei gratiam ad vitanda peccata, exercendas virtutes & obtinendam ſalutem æternam neceſſariam eſſe, quem in finem in ordine ad operationes humanas tria diſtinxit, poſſibilitatem, voluntatem, actionem. *Harum trium* (verba ſunt S. Auguſtini lib. de gratia Chriſti cap. 3) *primum, id eſt, poſſibilitatem datam confitetur a Creatore naturæ, nec eſſe in noſtra poteſtate, ſed eam nos habere etiamſi nolimus: duo vero reliqua, id eſt voluntatem, & actionem, noſtra eſſe aſſerit, atque ita nobis tribuit, ut non niſi a nobis eſſe contendat.*

Cum vero hæc doctrina Catholicos valde 398
offenderet, ad vitandam hæreſis notam Pelagiani 1 nomine tenus admiſerunt neceſſitatem gratiæ, ſed per illam tantum intellexerunt liberum arbitrium, eoquod nullis noſtris præcedentibus meritis gratis a Deo in creatione nobis concedatur. 2. Hac fraude detecta nomen gratiæ tribuerunt legi, & doctrinæ Evangelii, per quam inſtruimur, quid ad conſequendam vitam æternam agere, & vitare debeamus: addiderunt inſuper exempla Chriſti, & peccatorum remiſſionem, quam ſolam gratuitam eſſe, nec meritis retribui affirmabant. 3. Denique inſtantibus Catholicis, ut etiam gratiam internam profiterentur, admiſerunt gratiam illuſtrationis initio quidem tantum ex parte objecti, in quantum illud per revelationem & doctrinam opportunius menti ad credendum proponitur; dein vero Catholicorum argumentis convicti etiam ex parte ſubjecti ſeu intellectus. Attamen hanc ipſam gratiam dixerunt ſolum eſſe neceſſariam ad facilius

ope-

operandum, eamque naturalibus meritis, nempe desiderio recte vivendi, fide, & oratione obtineri posse, quemadmodum patet ex S. Augustino, cujus testimonia adducit Tournel. part. 1 de gratia Christi cap. 4.

399 Gratiam internam, qua Deus immediate afficiat, & corroboret voluntatem, eamque ad opera supernaturalia juvet, omnino nunquam confessi sunt; nam S. Augustinus lib. de gratia Christi, postquam cap. 4 retulit Pelagium tria distinxisse, possibilitatem, voluntatem, & actionem, cap. 5 hæc addit: *Scire debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem, voluntatis, atque operis, & ideo non adjuvat, ut velimus, non adjuvat, ut agamus, sed tantummodo adjuvat, ut velle & agere valeamus*: & cap. 10: *Nos volumus eam gratiam iste aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur, & speratur, nec solum revelatur sapientia, verum & amatur, non solum suadetur omne, quod bonum est, verum & persuadetur.* Denique cap. 34: *Nec alicubi* (in scriptis Pelagii) *potui reperire, hanc eum gratiam confiteri, qua ipsa etiam voluntas, & actio subministratione spiritus adjuvatur.* Similia habet de reliquis Pelagianis lib. de Hæres. hæresi 88, ubi de illis ait: *Hi Dei gratiæ, quæ diffunditur in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur, in tantum inimici sunt, ut sine hac hominem posse credant facere omnia divina mandata.*

400 Quando igitur Pelagius non solum adstruxit auxilium possibilitatis, sed etiam dixit: *Deum adjuvare nos, ut velle, & agere valeamus, imo quod ipsemet per suam gratiam in nobis operetur velle, quod sanctum est;* revera nihil aliud admisit, quam quod liberum arbitrium etiam debeat ad-

adjuvari per illustrationem, ut exsplicat S. Augustinus de grat. Christ. cit. cap. 10. Eodem ferme sensu Julianus a S. Augustino convictus tandem confessus est, *necessariam esse gratiam interiorem, & hominem in bono opere per illam semper adjuvari*, nempe per gratiam intellectus & solum datam secundum nostra merita, ut patet ex lib. 1 ad Bonifac. cap. 19. Neque obstat, quod ipse S. Augustinus de gratia Christi cap. 29 ad Pelagium scripserit: *Tolle facilius, & non solum plenus, verum etiam sanus est sensus, si ita dicatur, ut quod per liberum facere jubentur homines arbitrium, possint implere per gratiam.* Per hoc enim S. Doctor neutiquam voluit indicare Pelagium circa existentiam, & naturam gratiæ tantum errasse in eo, quod gratiam dixerit solum necessariam esse ad facilius posse; sed tantum indicat hanc propositionem; *ut quod per liberum facere &c.* fore catholicam, si intelligatur de absoluta necessitate. Interim capite sequenti aperte declarat: *Se in scriptis Pelagii nunquam invenisse veram Christi gratiam, quemadmodum confitenda est.*

Ex quibus colligitur, quam male Jansenius 40
lib. 5 de hæres. Pelag. S. Augustinum in suas partes trahere conetur, dum ait, controversiam inter illum, & Pelagianos tantum fuisse de gratia necessitante, eoquod ipsi Pelagiani admiserint gratiam voluntatis, quæ activam indifferentiam relinquat. Sed præter jam dicta contra est, quia controversia inter S. Augustinum, & Pelagianos fuit de ea gratia, quæ secundum fidem catholicam admitti debet, ut patet ex lib. de gratia Christi c. 10; atqui talis non est gratia necessitans, quæ a Concilio Trident., & Ecclesia damnatur, ut hæretica; hinc Concilia in causa Pelagianorum celebrata Pelagium solum damnant, quod non admiserit gratiam inspira-

tionis. Audiamus canonem 4tum concilii Milevitani : *Quisquis dixerit gratiam Dei per JEsum Christum Dominum nostrum propter hoc nos tantum adjuvare ad non peccandum , quia per ipsam nobis revelatur , & aperitur intelligentia mandatorum , ut sciamus , quid appetere , & vitare debeamus , non autem per illam præstari , ut quod faciendum cognoverimus , etiam facere diligamus , atque valeamus , anathema sit.* Certe ipse S. Augustinus libertatem humanam contra Pelagianorum calumnias integro libro de gratia & libero arbitrio defendit , ut adverti de actibus humanis num. 373.

402 Dices 1. Pelagiani objiciebant S. Augustino , quod admittat fatum , imo illum accusarunt Manichæismi : ergo S. Augustinus ab illis exigebat confessionem gratiæ necessitantis. Conf. S. Augustinus contendebat cum Pelagianis de gratia , quam ipsi repudiabant , quia putabant , eam tollere libertatem arbitrii : ergo contentio erat de gratia necessitante. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Verum quidem est , quod Pelagiani ob admissum peccatum originale S. Augustino Manichæismum & propter admissam gratiam fatum objecerint , sed falso , & calumniose ; hinc ipsemet contra has calumnias se defendit , & lib. 2 contra 2 epist. Pelag. expresse ait : *Peccato Adæ liberum arbitrium de hominum natura periisse non dicimus - - - nec sub nomine gratiæ fatum asserimus.* Ad Conf. Dist. Ant. quia putabant eam tollere libertatem male intellectam , Conc. Ant. vere intellectam , Neg. Ant. Pelagiani libertatem indifferentiæ constituebant in completa facultate volendi , & agendi etiam bonum salutare absque omni gratia præsertim inspirationis , & ex hoc malo conceptu male inferebant , per gratiam libertatem tolli. S. Augustinus e-

con-

contra contendebat, gratiam ad omne bonum salutare esse necessariam, idque salva libertate humana.

403 Dices 2. Pelagius admittebat adjutorium possibilitatis, & negabat adjutorium voluntatis, & actionis, sed per adjutorium possibilitatis intelligebat gratiam indifferentem; per adjutorium vero voluntatis & actionis gratiam necessitantem: ergo. Conf. Gratia, quam S. Augustinus exigebat, est illa, *Quæ operatur velle, & perficere, & quæ non solum promittitur magnitudo præmiorum, sed creditur, & speratur*; sed talis gratia non relinquit in voluntate libertatem; alias velle, & agere deberet tribui voluntati, utpote quæ se ipsam ad bonum determinaret. Resp. Conc. Maj. Neg. min. sed per adjutorium possibilitatis intellexit liberum arbitrium, legem, & doctrinam, per adjutorium vero voluntatis, & actionis gratiam inspirationis, ut constat ex S. Augustino lib. de gratia Christi cap. 6. Ad Conf. Conc. Maj. Neg. min. Quod hæc omnia præstare possit gratia congrua sine ulla libertatis læsione suo loco fuse exsplicabimus; neque ideo velle & agere potest tribui voluntati; licet enim se ipsam determinet, id non potest facere sine gratia, & in actum bonum solum influit tanquam causa minus principalis. Certe juxta ipsum Jansenium in Angelis viatoribus voluntas se ipsam determinabat, quin illorum consensus salutaris principaliter adscribi potuerit voluntati.

404 Quæres. An Pelagiani admiserint gratiam sanctificantem, & virtutes infusas? Resp. Hoc non satis constare, affirmant aliqui cum Antoine, quia dixerunt: *Peccata dimitti abundantia donationis Spiritus sancti, illa condonari per sanctificationem, & peculiarem inhabitationem in Sanctis. Per baptismum conferri*

justitiam, & nos renovari per Spiritum sanctum. Sed cum isti hæretici errores suos innumeris dolis tegere consueverint, facile sub ejusmodi verbis intelligere potuerunt, externam tantum peccatorum condonationem, & favorem, quo homo coram Deo quasi renovatur, & ad regnum cælorum destinatur, accedentibus præsertim doctrina legis, & exemplis Christi, quibus fideles longe efficacius juvantur; hinc S. Augustinus lib. de gratia Christi cap. 38, postquam Pelagii verba retulit, quibus videbatur gratiam internam admittere, subjungit: *Videte quemadmodum & hic aliis quidem verbis, sed tantum in remissione, & exemplo Christi adjutorium constituerit:* cap. autem 30 aperte dixerat, *Istam gratiam, qua justificamur, id est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis in Pelagii, & Cælestii scriptis, quæcunque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri.*

De erroribus Semi-Pelagianorum.

405 Semi-Pelagiani sic dicti a dimidiato quasi, quem propugnabant, Pelagii errore, vocantur etiam Galli, & Massilienses, quoniam sedem suam potissimum fixerunt in Gallia, & Ecclesia Massiliensi. Dissentiunt a Pelagianis, quod admittant peccatum originale, & necessitatem absolutam gratiæ Christi non tantum ad executionem operum salutarium, sed etiam ad eorundem inchoationem, & a fortiori ad ipsam salutem obtinendam, ita tamen, ut homo solis liberi arbitrii viribus ponere possit quædam salutis initia, id est, credere, petere, pulsare, conari, & hoc conatu gratiam Christi promereri; ferme sicut ægrotus, licet se ipsum propriis viribus sanare nequeat, potest tamen propriis viribus facere ini-

tium salutis vocando medicum, ejusque opem exposcendo, qua ratione jam ipse Julianus cum aliis quibusdam Pelagianis hæresim suam temperare visus est, ut colligitur ex S. August. lib. 2 contra secundam epist. Pelag. At quia isti nunquam admiserunt peccatum originale, vulgo sub nomine Semi-Pelagianorum non veniunt.

Occasionem errandi sumpserunt Semi-Pelagiani ex operibus S. Augustini, qui lib. de præd. Sanct. cap. 3 fatetur, se ipsum, antequam factus est Episcopus, in eodem errore versatum fuisse, cumque postea in suis libris contra Pelagianos necessitatem gratiæ, & liberi arbitrii imbecillitatem maximopere prædicaret, existimarunt nonnulli illius doctrinam temperandam esse novis quibusdam dogmatis, quæ postea tanquam erronea rejecta sunt. Et prima quidem Semi-Pelagianismi semina sparserunt Monachi Adrumetani, epistolam S. Augustini ad Sixtum tunc adhuc Presbyterum in sensu a mente illius prorsus alieno accipientes, quos ut corrigeret, etiam edidit S. Augustinus libros de gratia & libero arbitrio, & de corrept. & gratia. Postea Vitalis Carthaginensis aperte se Semi-Pelagianum professus est, asserens, non aliter posse liberum arbitrium & Dei justitiam salvari, quam si dicatur fidei initium esse a nobis, & ex hoc, quod pro sua naturali libertate quisque fecerit, præmium vel supplicium esse recepturum; S. Augustinus vero ad Vitalem dedit epistolam, in qua illius errorem confutat, ac duodecim regulas fidei circa gratiam Dei proponit. 406

Ex Africa Semi-Pelagianismus transfretavit in Galliam, ubi per multos, eosque magni nominis viros præsertim in Arelatensi, & Lugdunensi Provincia propagatus fuit, qua de re S. Augustinus a Prospero, qui ejus doctri- 407

 nam

nam defendendam ſuſceperat, admonitus, rurſus duos libros, unum de prædeſtinat. Sanct. alterum de dono perſeverantiæ conſcripſit, eosque, ut malo graſſanti occurreret, ad Maſſilienſes direxit; ſed hoc non obſtante adeo crevit Semi-Pelagianorum numerus, ut pro deſpecta, & calcata S. Auguſtini doctrina Proſper, & Hilarius coacti ſint Romam adire & apud Cæleſtinum Papam querelas deponere, a quo obtinuerunt epiſtolam ad quosdam Epiſcopos Galliæ, in qua Pontifex laudat doctrinam S. Auguſtini & ejus obtrectatoribus ſilentium imponit. Quod deinde confirmavit Gelaſius Papa, dum damnatis anno 404 in ſynodo Romana Caſſiani & Fauſti libris S. Auguſtini, & Proſperi opera commendavit. Interim circa Semi-Pelagianismum nihil adhuc ab Eccleſia erat definitum, hinc mirum non eſt, quod illi tunc adhæſerint viri pietate, & eruditione præſtantes, & Pelagianæ hæreſeos acerrimi impugnatores, ut Caſſianus, & Fauſtus uterque inter Eccleſiæ Gallicanæ Sanctos relatus.

408 Erat autem Joannes Caſſianus Presbyter Maſſilienſis & a S. Proſpero vocatur Collator ob celebres, quas edidit, Patrum collationes, in quibus tamen maxime collat. 13 ſub perſona Abbatis Chæremonis Semi-Pelagianismum apertiſſime tuetur. Fauſtus ex Abbate Lyrinenſi factus Epiſcopus Regienſis ex mandato Concilii Arelatenſis & Lugdunenſis ſcriptis confutavit Lucidum prædeſtinatianum, ſed mandati limites prætergreſſus in Maſſilienſium errorem prolapſus eſt. Inter cæteros Semi-Pelagianos præcipue nominandi veniunt Hilarius Epiſcopus Arelatenſis, Honoratus Epiſcopus Maſſilienſis, Severus, Sulpitius Presbyter Gallicanus, & Vincentius quidam, an vero Lyrinenſis, qui ſcripſit commonitorium adverſus hæreticos, inter eruditos non

con-

convenit. Tandem ſæculo VI anno 529 in concilio Arauſicano II ſub Felice IV Semi-Pelagianiſmus confixus eſt 25 canonibus ex S. Auguſtini doctrina conflatis, quod concilium rurſus confirmavit Bonifacius II. & indubitatam habet apud omnes Catholicos auctoritatem.

Errores præcipui Maſſilienſium juxta S. Proſperum, & Hilarium fuere. 1. Quod licet Gratia Chriſti neceſſaria ſit ad omne opus ſalutare perficiendum, & incipiendum, nihilominus aliquod initium juſtitiæ, & ſalutis ſit in nobis, nimirum voluntas quædam illam obtinendi; ex quo ſequeretur, quod gratia Dei ſit pediſſequa naturæ. 2. Quod gratia Chriſti omnes quidem ad ſe invitet, ſed quemlibet proprio arbitrio vocanti parere, & ab illa ſe retrahere, unde gratia potius ſubjiceretur voluntati, quam voluntas gratiæ. 3. Deum æqualiter omnes velle ſalvos fieri, proin nullum dari ſpecialem favorem in electione prædeſtinatorum, ſed diſcretionem unius ab alio præciſe dependere ab humano arbitrio, etſi ſub gratia conſtituto. 4. Prædeſtinationem non eſſe gratuitam, ſed ob merita prævifa etiam ſolum conditionate, hinc parvulos baptiſmum conſequi vel non conſequi ex meritis, quæ fuiſſent poſituri, ſi ad annos diſcretionis perveniſſent. 5. Perſeverantiam denique in bono non eſſe donum Dei ſingulare ex ſpeciali Dei effectu profectum, ſed in noſtro arbitrio poſitum. 409

Fatendum tamen Semi-Pelagianorum doctrinam non ſemper ſibi fuiſſe ſimilem; nam aliqui ad ſolum credendi affectum, & ſalutis, aut operis ſalutaris deſiderium, neceſſitatem divinæ gratiæ negabant: alii Pelagianis propiores etiam fidem, orationem, & quædam bona opera per ſolum liberum arbitrium haberi poſſe arbitrati ſunt: aliqui operibus naturalibus reſpectu gra- 10

tiæ tribuebant rationem meriti; alii dicebant illa tantum esse conditionem, qua posita nihilominus gratia gratis detur. Jansenius autem iterum contendit, Semi-Pelagianos tantum errasse in eo, quod ad initium fidei & salutis solum admiserint auxilium sine quo non, non item auxilium quo, id est, juxta ipsius loquendi modum gratiam necessitantem, ut patet ex 4ta illius propositione damnata: *Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset voluntas humana resistere, vel obtemperare.*

411 Verum falsitas assertionis Jansenianæ patet 1 ex confessione ipsorum Semi-Pelagianorum; nam Cassianus collat. 13. cap. 9, & Faustus lib. de liber. arbitr. cap. 17 manifeste docent, Deum in negotio salutis exspectare in nobis ortum quemdam, atque conatum, & tum primum gratiam concedere, S. Augustinus vero lib. de prædest. Sanct. c. 19 ex communi omnium Massiliensium sensu ita loquitur: *Nos dicimus nostram Deum non præscivisse nisi fidem, qua credere incipimus, & ideo elegisse nos ante mundi constitutionem, ac prædestinasse, ut etiam sancti, & immaculati gratia, atque opere ejus essemus.* 2. Ex testimoniis Prosperi, & Hilarii ad S. Augustinum, qui postea libros de prædest. SS. & dono perseverantiæ in hunc ipsum finem edidit, ut ostenderet etiam fidem, & initium fidei a Deo esse. 3. Ex Concilio Arausicano II, in quo Semi-Pelagiani manifeste ideo damnantur, quod dixerint, humana opera ante gratiam præcedere. Audiatur can. 3: *Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ vel Apostolo idem dicenti: Inventus*

ſum a non quærentibus me ; palam apparui his, qui me non interrogabant.

Dices 1. Semi-Pelagiani juxta S. Proſperum in epiſt. ad S. Auguſtinum admiſerunt *initialem gratiam, vi cujus meremur pervenire ad gratiam ſalvantem.* S. Hilarius in epiſt. ad eundem ait, juxta illos *ad nullum opus incipiendum, nedum perficiendum quemquam ſibi ſufficere.* S. Auguſtinus lib. de prædeſt. ſanct. cap. 1 de iisdem Semi-Pelagianis ſic ſcribit : *Pervenerunt etiam iſti, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum ſibi quemquam ſufficere poſſe conſentiant :* ergo ſaltem non omnes Semi-Pelagiani negarunt neceſſitatem gratiæ prævenientis ad initium fidei, & ſalutis. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. S. Proſper, ut ex contextu patet, ſolum teſtatur, Semi-Pelagianos admiſiſſe gratiam initialem, quæ cum natura, & libero arbitrio ſit identificata. S. Hilarius loquitur de operibus ſalutaribus, inter quæ a Semi-Pelagianis initium fidei & deſiderium ſalutis non computabantur. *Neque enim ait alicui operi curationis annumerandum putant - - - unumquemque ægrotum velle ſanari.* S. Auguſtinus ibi tantum repetit verba Proſperi, & Hilarii, proinde eandem exſplicationem admittit, præſertim cum ſtatim poſt verba objecta probet, ipſum initium fidei eſſe donum Dei, idque a Semi-Pelagianis, contra quos ſcribit, negari. 412

Dices 2. Caſſianus collat. 13 cap. 3 expreſſe affirmat, *Non ſolum actuum, verum etiam cogitationum bonarum principium ex Deo eſſe, qui nobis & initia ſanctæ voluntatis inſpirat, & virtutem atque opportunitatem eorum, quæ recte cupimus, tribuit peragendi.* Similia habet Gennadius de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 19 & 21. 413

Conf. S. Auguſtinus adhuc implicitus errori Semi-Pelagianorum ſæpe agnovit gratiam prævenientem fidei, ac bonæ voluntatis initium, ut probat Janſenius lib. 8. de hæreſi Pelagiana cap. 4. Reſp. Hanc Caſſiani ſententiam catholicam eſſe, ſed ut obſervat S. Proſper lib. contra Collatorem, cap. 2 in ea diu non ſtetit. *Cito, inquit, a ſententia ſua inſtabili levitate diſſentit.* Adde, quod Caſſianus per inſpirationem plerumque intelligat ſolam doctrinam, ut quando collat. 13 cap. 4 loquitur de S. Abrahamo & Antonio. Gennadium quidam volunt reſipuiſſe, antequam citatum librum ſcripſit: alii dicunt, hunc librum eſſe alterius utpote apprime catholicum, & laudatum ab Adriano I epiſt. ad Carol. Magnum. Ad Conf. S. Auguſtinus non in omnibus operibus ante epiſcopatum editis Semi-Pelagianiſmum tradidit, & de prædeſt. ſanct. cap. 3 ait: non aliter ſe fuiſſe in ſententia Semi-Pelagianorum, quam quia fidem non putabat gratia Dei præveniri; in libris autem retractationum & 83 quæſtionum, ex quibus Janſenius teſtimonia colligit, nihil ejus generis emendatione dignum notat.

414 Dices 3. Semi-Pelagiani admiſerunt in homine lapſo illam gratiam, quam Auguſtinus agnovit in homine ſano; atqui in homine ſano agnovit gratiam ad ipſum initium ſalutis neceſſariam: ergo. Maj. prob. juxta S. Hilarium epiſtola ad S. Auguſtinum Semi-Pelagiani moleſte ferebant, ita dividi gratiam, ut primus homo tantum acceperit talem, qua poſſet perſeverare, nunc autem prædeſtinati talem, qua illis perſeverantia ipſa daretur: ergo. Conf. S. Auguſtinus inter gratiam naturæ innocentis & lapſæ ſæpe ſtatuit hoc diſcrimen, quod prior fuerit verſatilis, poſterior invincibilis: ergo. Reſp. Neg. Maj.

Maj. in probatione ſermo eſt de gratia perſeverantiæ finalis, quam Semi-Pelagiani negabant eſſe donum Dei, & ideo illam diviſionem gratiæ moleſte ferebant; inter Adamum innocentem autem, & ejus poſteros hoc ſolum diſcrimen admittebant, quod ille potuiſſet inchoare ipſum opus bonum ſolis ſuis viribus, poſteri vero a ſe ipſis tantum poſſint habere initium fidei. Ad Conf. dico, diſcrimen inter gratias utriusque ſtatus juxta S. Auguſtinum eſſe partim in hoc, quod Adamo tantum fuerit collata gratia ſufficiens, dum homini lapſo ſæpe confertur gratia efficax: partim in eo, quod natura lapſa indigeat gratia medicinali, & fortiori, ut ipſemet indicat lib. de corrept. & gratia cap. 12 & nos ſuo tempore fuſius exſplicabimus.

QUÆSTIO I.

An & qualis gratia homini ſit neceſſaria ad actus ſalutares?

Opera moraliter bona duplicis ſunt ordinis, ali- 415
qua ſunt naturalia, quibus præciſe naturalis quædam rectitudo, & honeſtas ineſt, ut cum infidelis ex naturali honeſtate motus reveretur parentes, tuetur innocentem &c. alia ſunt ſupernaturalia, quæ ad æternam animæ ſalutem pertinent, & ad eam conſequendam conducunt per modum diſpoſitionis, aut meriti, uti fides, ſpes, pœnitentia ſupernaturalis &c. Ego in hac quæſtione agam de actibus ſalutaribus præcipue contra Pelagianos, & Semi-Pelagianos; tota autem diſputatio procedet pro ſtatu naturæ lapſæ, ut in ipſo titulo indicavi, & quia in illa ſæpe etiam fi[illegible] mentio de victoria tentationum, ſtatim etiam notare juvat, illas tripliciter vinci poſſe 1, Peccaminoſe, quando homo ita re-

ſiſtit uni tentationi, ut ſuccumbat alteri. 2. Salutariter, quando tentationi reſiſtit ex motivo Chriſtianæ virtutis, & ſimul cum merito ſupernaturali. 3. Quaſi indifferenter, id eſt, neque peccando, neque actum pietatis ſupernaturalis exercendo.

416 Dicendum 1. Ad quemlibet actum ſalutarem, & vitam æternam conſequendam neceſſaria eſt gratia theologice ſupernaturalis, libero arbitrio, ac promulgationi legis, & Evangelii ſuperaddita. Prob. 1 auctoritate Scripturæ, quæ innumeris locis omnem bonam voluntatem, & actionem noſtram divinæ gratiæ tribuit. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, Joann. 6 v. 44. *Sine me nihil poteſtis facere*, Joann. 15 v. 5. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*, ad Rom. 9 v. 16. *Omne datum optimum de ſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum*, Jacob. 1 v. 17: quos textus de gratia theologica ſupernaturali intelligendos eſſe, patet ex auctoritate Innocentii I, & Zoſimi, qui doctrinam Pelagianorum, & Bonifacii II, qui doctrinam Maſſilienſium ut hæreticam damnarunt. In eodem ſenſu illos intellexerunt SS. Patres, præſertim Proſper, Hilarius, Fulgentius, & Auguſtinus, qui ſolus hanc veritatem catholicam plusquam triginta libris contra Pelagianos invictiſſime propugnavit.

417 Probatur 2 auctoritate Conciliorum. Dioſpolitanum anno 415 proſcripſit hunc articulum Pelagii: *Gratia Dei atque adjutorium non ad ſingulos actus datur, ſed de libero eſt arbitrio, vel in lege, atque doctrina.* Quem articulum ipſe Pelagius damnavit, licet doloſe; hinc S. Auguſtinus lib. de peccato originali ait, Pelagium in eo Concilio abſolutionem ſuam fallendo ſuffuratum eſſe. Quapropter eundem errorem rurſus damnavit Concilium Milevitanum II, ſeu potius Cartha-

thaginense III. Item Arausicanum II can. 7. ac denique Tridentinum, quod sess. 6 de justif. can. 1 ita definiit: *Si quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per naturæ humanæ (vires) vel per legis doctrinam fiunt, absque divina per JEsum Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit*, & can. 2: *Si quis dixerit ad hoc solum gratiam per JEsum Christum dari, ut facilius homo juste vivere, & vitam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen & difficulter possit, anathema sit.* Ratio conclusionis est, quia homo de facto ordinatur ad beatitudinem supernaturalem: ergo actus, quibus illam promeretur, debent esse supernaturales; atqui actus supernaturales non possunt elici viribus mere naturalibus, alias non transcenderent exigentiam totius naturæ.

Dicendum 2. Gratia theologice supernatu- 418
ralis simpliciter est necessaria non tantum ad justificationem perfectam, & consecutionem vitæ æternæ, sed etiam ad initium fidei, justificationis, & salutis. Prob. 1 ex Scriptura: *Qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet*, ad Philipp. 1 v. 6. *Vobis donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed ut pro illo patiamini*, v. 29. *Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est*, ad Ephes. 2 v. 8. Ex quibus, & similibus Scripturæ verbis necessitatem gratiæ etiam ad initium fidei & salutis, intulerunt Concilia. Arausicanum II can. 5 tanquam Apostolicis dogmatibus adversarium damnat, *Qui dicit, sicut augmentum ita & initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti, sed naturaliter nobis inesse.* Juxta Tridentinum sess. 6 can. 3: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus*

ritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut dolere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit: can. autem 5 definiit, *Justificationis exordium in adultis a Dei per JEsum Christum proveniente gratia sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur.*

419 Probatur 2. Si homo ex viribus naturalibus posset facere initium fidei, & primos conatus pios ponere, quibus ipsam fidem, ejus augmentum, perfectam justificationem, ac salutem promereretur, gratia, quæ juxta Semi-Pelagianos ad istos actus perfectiores est necessaria, jam non haberet rationem gratiæ sed debiti; atqui hoc repugnat rationi gratiæ, & Scripturæ, dum 1 ad Cor. 4 v. 7 ait: *Quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* quo testimonio Apostoli S. Augustinus lib. de prædest. sanct. confitetur se convictum fuisse, ut Semi-Pelagianismum deponeret; hinc illud pluribus in locis urget: *Videte*, inquit lib. cit. cap. 2, *si aliud agitur isto modo, nisi ut gratia Dei secundum merita nostra detur quolibet modo, ac sic gratia jam non sit gratia: redditur namque hoc pacto debita, non donatur gratis.* Item lib. de dono persever. cap. 23: *Attendant ergo, quomodo fallantur, qui putant esse à nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsemus -- nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse.* Unde Concilium Arausicanum II can. 25 ita concludit: *Hoc salubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis & fidem, & amorem sui inspirat.*

420 Hæc fide certa sunt, nihilominus Durandus, Gabriel, Mastr. &c. existimant ad eliciendos a-

ctus

ctus salutares sufficere gratiam supernaturalem extrinsece, & quoad modum, in quantum nempe gratia de se naturalis confertur ex meritis Christi, & ad finem supernaturalem ordinatur. Vasquez, Valent. & Turrianus gratiam intrinsece, & quoad substantiam supernaturalem solum requirunt ad actus salutares præstantiores, & difficiliores; alii autem longe communius cum D. Thoma 1. 2 q. 63 a. 4 docent, illam ad quemlibet actum salutarem absolute necessariam esse. Quippe gratia intrinsece & entitative naturalis non excedit vires naturæ: ergo homo illam posset suis viribus acquirere: ergo natura humana suis viribus relicta non esset simpliciter impotens elicere actum salutarem, sicut ille non est simpliciter impotens ad elevandum ingens pondus, qui suis viribus potest comparare instrumentum ad illud elevandum sufficiens. Atqui Patres, & concilia damnant eos, qui dicunt gratiam tantum dari ad facilius posse, non vero ad simpliciter posse, & Apost. 2 Cor. 3 v. 5 ait: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Idem probat S. Augustinus lib. 2 contra 2 epist. Pelag. cap. 8 ex verbis Christi: *Sine me nihil potestis facere*, Joann. 15 v. 5.

Alii quamvis admittant ad omnem actum 421
salutarem requiri gratiam intrinsece supernaturalem adjuvantem, in quantum semper necessarius est concursus supernaturalis habitus, vel omnipotentiæ divinæ; putant tamen in homine justo gratia sanctificante, & habitibus infusis instructo non semper requiri gratiam supernaturalem excitantem. Ita sentiunt Cajetan. Sotus, Bellarm. &c. sed contra est, Christus Joann. 15 v. 5 ait: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec nos, nisi in*

me manseritis - - quia sine me nihil potestis facere: ergo sicut palmes continuo indiget influxu vitis ne arescat, & fructum ferat: sic etiam justus, ut operetur bonum salutare, semper indiget actuali influxu virtutis divinæ. Hinc Concilium Tridentinum sess. 6 de justific. cap. 16 in citatum textum ait: *Quod virtus, quam Christus in ipsos justificatos tanquam vitis in palmites jugiter influit, bona eorum opera semper antecedat, comitetur, & subsequatur, sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent.* Idem colligitur ex definitionibus supra citatis, in quibus expresse sit mentio inspirationis. Nempe sicut nihil volitum, nisi cognitum, ita nihil volitum volitione supernaturali, nisi præcognitum cognitione supernaturali. Vid. num. 307, in quo nostra doctrina etiam confirmatur auctoritate S. Augustini.

Objectiones.

422 Obj. 1. Ex Scripturæ locis a nobis adductis solum probatur, ad actus salutares requiri gratiam externam prædicationis Evangelii: *Quomodo enim credent sine prædicante:* ergo. Conf. Juxta Concilia, & Patres ad actus salutares tantum requiritur gratia Christi, sed quodlibet auxilium distinctum a dono creationis est gratia Christi, licet entitative sit naturale, quippe per peccatum Adami omnia dona, dono creationis superaddita perdidimus, & ea non nisi per Christum recuperamus, ut arguit ipse Vasquez. Resp. Neg. Ant. Textus Scripturæ a nobis citati juxta expositionem Patrum, & Conciliorum loquuntur de gratia theologice supernaturali interna; quid enim prodesset externa verbi prædicatio, aut signorum manifestatio; *Nisi Deus det cor intelligens, & oculos videntes,* Deuter. 29 v. 4. Hinc Apost. 1 ad Thessal. 1 v. 5 ait: *Evangeli-*

gelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute, & in Spiritu sancto. Ad Conf. Dist. Maj. requiritur gratia Christi qualiscunque, Neg. Maj. talis, sine qua homo simpliciter est impotens ad eliciendum actum salutarem, Conc. Maj. & sic Dist. min. Neg. Conf. auxilium naturale, in quantum est sufficiens, est in potestate hominis, & illi debetur etiam post lapsum; in quantum autem est congruum, non requiritur necessario ad posse agere, sed tantum ad ipsum actum; adeoque ejus defectus naturam tantum facit impotentem secundum quid, & impotentia consequente. At vero juxta Patres & concilia ad actus salutares requiritur tale auxilium, quod homini lapso est indebitum, & sine quo absolute est impotens salutariter agere.

Dices I. Si semper requireretur gratia en- 423
titative supernaturalis, actus salutaris non esset in nostra potestate, & Deus illum præcipiendo præciperet aliquid ultra nostras vires. Prob. Gratia non est in nostra potestate, cum sit donum Dei prorsus gratuitum: ergo neque actus salutaris, ad quem gratia esset medium simpliciter necessarium. Conf. Deus gratiam confert liberrime: ergo posset illam negare; hoc autem casu actus salutaris esset impossibilis. Resp. Dist. Ant. Actus salutaris non esset in potestate hominis, viribus naturalibus relicti, Conc. Ant. adjuti per gratiam, Neg. Ant. Ad prob. iterum Dist. Ant. gratia non est in nostra potestate quoad existentiam, Conc. Ant. quoad usum, vel abusum, Neg. Ant. Quamvis actus salutaris sit supra vires mere naturales, neque præscindendo a gratuita Dei voluntate gratiam habere possimus; posito tamen, quod Deus gratiam actu conferat, vel saltem offerat, homini liberum est gratiæ cooperari, vel non coo-

perari; hinc S. August. lib. de spirit. & litt. cap. 30 inquit: *Sicut lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed stabilitur.* Ad Conf. Conc. Ant. Dist. Conf. posset illam negare absolute, Conc. Conf. facta suppositione, quod proxime præcipiat, aut suadeat actum salutarem, Neg. Conf. Neque tamen ideo gratia confertur intuitu exigentiæ naturalis, sed præcise propter benevolum decretum, quo Deus statuit homini actum salutarem in ordine ad obtinendam felicitatem supernaturalem præcipere.

424 Dices 2. Saltem sequeretur, quod juxta nos gratia etiam esset necessaria ad peccatum; hoc absurdum: ergo. Maj. patet, quia sæpe contingeret, ut quis non posset proxime peccare, nisi etiam possit elicere actum salutarem e. g. contritionem supernaturalem hic, & nunc præceptam. Min. prob. Quia absurdum est dicere, quod Deus aliquando non possit offendi sine speciali gratia. Conf. Hac ratione peccatum esset necessario connexum cum ente supernaturali: ergo esset supernaturale. Resp. Dist. Maj. gratia esset necessaria ad peccatum aliquando, & per accidens tantum, Transf. Maj. semper, & per se, Neg. Maj. Sæpe potest vitari peccatum per omissionem puram, vel actum mere naturalem; quando autem vitari nequit nisi per actum salutarem, prærequiritur quidem gratia actualis non tamen ad peccatum qua tale, sed qua liberum. Hinc ad prob. Dist. Ant. est absurdum, quod Deus non possit offendi sine speciali gratia, quæ requireretur per se ad offensam Dei qua talem, & ad illam determinaret, Conc. Ant. aliter, Neg. Ant. Ad Conf. Dist. Ant. peccatum esset necessario connexum cum ente supernaturali tanquam abusus, & imperfectio, Conc. Ant. tanquam usus vel aliqua perfectio, Neg. Ant. & Dist. Conf. ergo esset supernaturale præsuppositive, in

in quantum præſupponeret aliquid ſupernaturale, Conc. Conſ. in ſe, & quoad propriam ſuam entitatem, Neg. Conſ. Quod malum poſſit præſupponere aliquod bonum, quin ideo in malum aliqua æſtimabilitas refundatur, patet ex innumeris inſtantiis, ſic omne peccatum formale præſupponit legem Dei, præſumptio bonitatem divinam &c.

Obj. 2. Quando Patres, & concilia dicunt, 425
quod absque gratia non poſſimus elicere actum ſalutarem, ſemper addunt: *Sicut oportet. Ut expedit ad ſalutem &c.* ergo gratia non requiritur ad ſubſtantiam actus, & ad ſimpliciter poſſe. Conf. Actus ſalutaris e. g. amoris eſt aliquod concretum ex actu tanquam ſubjecto, & ſalutaritate tanquam forma; cum ergo actus amoris, in quantum eſt actus moralis, ſit indifferens, ut ſit naturalis vel ſalutaris, ſalutaritas eſt actui tantum extrinſeca, ſicut illi extrinſeca eſt libertas. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Sed ex iſto modo loquendi tantum colligitur, gratiam non eſſe neceſſariam ad quemlibet actum moraliter bonum in genere; neutiquam autem ſequitur, quod actus, qui hic & nunc eſt ſalutaris quoad ſuam ſubſtantiam, & entitatem, poſſit produci per vires mere naturales. Hinc ad Conf. dico, actum ſalutarem ſeu ſupernaturalem non eſſe concretum phyſicum ſed metaphyſicum, in quo forma identificatur cum ſubjecto; quippe actus amoris in genere ad hoc, ut ſit naturalis, vel ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, præciſe eſt indifferens logice, ſicut animal in genere tantum logice eſt indifferens ad rationalitatem & irrationalitatem. Porro quod libertas actui ſit intrinſeca, nulla ſufficiente ratione probatur, ſicut tamen probavimus, actum ſalutarem tranſcendere vires totius naturæ.

426 Dices 1. Si voluntas actus salutares quoad entitatem spectatos non posset producere, tantum esset illorum causa instrumentalis; sed implicat ut potentia vitalis & libera sit tantum causa instrumentalis; nam hæc se ipsam debet movere, & determinare ad agendum; causa vero instrumentalis debet moveri, & determinari ab alio; hinc S. Thomas 2. 2 q. 171 art. 2 ad 3 docet, quod diligere Deum tantum sit actus supernaturalis quoad modum. Conf. Homo justus præter gratiam sanctificantem habet habitus infusos, qui voluntati dant simpliciter posse: ergo saltem ille non indiget gratia excitante supernaturali ad salutariter operandum. Resp. Dist. Maj. Voluntas tantum esset causa instrumentalis, id est, se sola ex propria virtute insufficiens ad actum salutarem producendum, Conc. Maj. id est, esset instrumentum mere inanime, quod ab alio debet determinari, sicut instrumentum ab artifice, Neg. Maj. S. Thomam Didacus Alvarez exponit de actibus charitatis externis e. g. de largitione eleemosynæ, quæ entitative non est supernaturalis. Arriaga putat, quod per supernaturale quoad substantiam intelligat solum illud, quod est miraculosum, & homini nequidem supposita elevatione debitum; quippe ibi S. Thomas pro exemplo adducit patrare miracula, cognoscere occulta &c. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Habitus virtutum complent animam tantum in genere causæ efficientis, ut vero ad agendum excitentur, debet accedere illustratio actualis, ferme sicut in viatore præter potentiam progressivam requiritur lux, ut inoffenso pede ambulare valeat.

427 Dices 2. Concilium Arausicanum II can. ult. ad actus salutares hominis tantum requirit auxilium adjuvans; ait enim: *Quod accepta per Baptismum gratia omnes baptizati Christo auxi-*

liante, & cooperante, quod ad ſalutem pertinet, poſſint adimplere. Item: *quod poſt Baptiſmum cum Dei adjutorio, quæ ſibi ſunt placita, adimplere poſſimus.* Conf. Beatus inſtructus lumine gloriæ non indiget alia gratia ad eliciendam viſionem, & amorem beatificum: ergo juſtus inſtructus habitu fidei non indiget alia gratia ad ſalutariter credendum. Reſp. Neg. Ant. Concilium per verba: *Chriſto auxiliante, & cooperante.* Item: *cum ipſius adjutorio,* intelligit non ſolum gratiam adjuvantem, ſed etiam excitantem, nam can. 7 ſine ullo diſcrimine inter juſtos, & juſtificandos definit: *Nullum bonum, quod ad ſalutem vitæ æternæ pertinet, cogitari, aut eligi poſſe absque illuminatione, & inſpiratione Spiritus ſancti,* idque probat ex verbis Chriſti: *Sine me nihil poteſtis facere,* quæ verba tam ad juſtos quam injuſtos pertinent. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. lumen gloriæ neceſſitat ad viſionem & amorem beatificum, adeoque nulla alia excitatione opus eſt, habitus autem fidei ad actum fidei non neceſſitat, neque objecta operum ſalutarium proponit; ut vero iſta objecta proponantur per actum fidei, ad hunc ipſum actum præſupponitur illuſtratio ſupernaturalis.

Obj. 3. Scriptura ſæpe docet, quod homo ſe ipſum poſſit diſponere ad juſtificationem, ergo voluntas hominis præcedit auxilium Dei. Ant. Prob. variis textibus. *Mane oratio mea præveniet te,* Pſ. 87 v. 14. *Non dereliquiſti quærentes te Domine,* Pſ. 9 v. 11. *Hominis eſt animam præparare,* Proverb. 16 v. 1. *Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus ejus,* ibid. v. 9. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos,* Zachar. 1. v. 3. *Velle adjacet mihi, perficere autem non habeo,* ad Rom. 7 v. 18. Reſp. Diſt. Ant. quod homo ſe poſſit diſponere ad ju-

ſtificationem per gratiam, Conc. Ant. ſine gratia, Neg. Ant. textus Scripturæ ſolum probant, quod homo gratiæ prævenienti libere debeat cooperari, & quod ad hanc ipſam cooperationem etiam indigeat gratia auxiliante, quæ non ſolum det velle, ſed etiam perficere, ut aperte docet S. Auguſtinus centies inclamans: *Voluntas præparatur a Domino.* Idem indicat Pſalmiſta, dum ait: *Converte nos Deus ſalutaris noſter*, Pſalm. 84 v. 5. Hinc Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 5 ita concludit: *Cum dicitur, convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur, cum reſpondemus: converte nos Domine ad te, & convertemur, Dei nos gratia præveniri confitemur.* Nempe dum homo gratiæ prævenienti libere cooperatur credendo, ſperando, deteſtando peccata priora &c. Deus etiam ad illum convertitur, eumque per gratiam ſanctificantem in filium ſuum recipit, ut ibidem exſplicat Tridentinum cap. 6 & 7.

429 Dices 1. Cornelius Centurio per preces & eleemoſynas impetravit gratiam fidei Act. 10 v. 31. Zachæus propter deſiderium videndi Chriſtum meruit audire: *Hodie ſalus huic domui facta eſt*, Luc. 19 v. 9. ad latronem in cruce propter verba: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum*, Luc. 23 v. 42, dixit Chriſtus v. 43: *Hodie mecum eris in paradiſo.* S. Paulus 1 ad Timoth. 1 fatetur, ſe, qui prius blasphemus fuerat, perſecutor, & contumelioſus, miſericordiam eſſe conſecutum: *Quia ignorans fecerat*, v. 13. Reſp. cum Concilio Arauſicano II, can. 25: *Manifeſtiſſime credendum eſt, quod & illius latronis, quem Dominus ad paradiſi patriam revocavit, & Cornelii centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt, & Zachæi, qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit; illa tam admirabilis fides, non fuit de natura, ſed divinæ largitatis donum.* Porro Cornelius ante-

tequam explicite credidit in Chriſtum, opitulante Dei gratia jam credidit in Deum remuneratorem. Unde de illo S. Auguſtinus lib. de prædeſt. ſanct. cap. 2 ait: *Non ſine aliqua fide donabat, & orabat.* S. Paulus ſolum vult, quod ejus ignorantia fuerit aliquis terminus divinæ miſerationis, ob quem minus fuit indignus veniæ, neque enim particula *quia* ſemper denotat cauſam, aut meritum, ut cum Pſal. 40 v. 5 dicitur: *Sana animam meam, quia peccavi tibi.*

Dices 2. Tamen Matth. 25 v. 15 Dominus 430
dicitur ſervis ſuis dediſſe talenta: *Unicuique ſecundum propriam virtutem*, & Chriſtus Matth. 10 v. 11 diſcipulis dixit: *In quamcunque civitatem, aut caſtellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus ſit, & ibi manete.* Conf. Auctoritate Patrum antiquorum, ex quibus nonnulli videntur aſſerere, primos noſtros ad ſalutem conatus eſſe ex ſolis naturæ viribus. Reſp. Verba unicuique ſecundum propriam virtutem juxta Maldonatum in parabola illa non ſignificare Dei œconomiam in diſtributione gratiarum, ſed declarare, quod gratiæ a Deo conceſſæ debeant hominis diligentia, & operibus excoli; alii per talenta intelligunt gratias gratis datas, quæ ut plurimum illis impertiuntur, qui magis idonei ſunt ad illas cum fructu exercendas. Quod ſi Deus etiam in gratiis actualibus non nunquam capacitatem naturalem reſpiciat, illa eſt merus terminus. Sic quando Deus movet divitem ad dandam eleemoſynam, divitiæ non ſunt motivum, aut cauſa moralis hujus motionis. Alter textus communiter ita exſplicatur. Interrogate, quis veſtro dignus ſit hoſpitio ob bonam famam, & hoſpitalitatem, vel ſi de dignitate ad fidem ſermo eſſet, hæc prævia diſpoſitio debuiſſet eſſe a gratia. Ad Conf. Si Patres aliqui pau-

lo durius locuti sunt, considerandum est, eos disputasse contra Marcionitas, & Manichæos, & potissimum laborasse, ut vindicarent liberum arbitrium, cumque tunc nullus esset gratiæ divinæ hostis, securius locuti sunt, ut notat S. August. de prædest. sanct. cap. 4. De singulis in particulari videri potest Tournellius, Antoine &c.

431 Obj. 4. Si gratia actualis simpliciter esset necessaria ad initium fidei, & salutis, tunc Deus conferendo uni primam gratiam, per quam ad fidem vocatur, alteri vero eandem negando, fieret acceptor personarum; quippe æqualiter se habentibus præcise ex diverso affectu gratias inæqualiter distribueret; sed *non est acceptio personarum apud Deum*, ad Coloss. 3 v. 25: ergo. Conf. Si homo per opera naturalia se non posset disponere ad fidem, illa deberet omnibus dari; quomodo enim alias essent inexcusabiles, qui fidem non recipiunt. Resp. Neg. Maj. de acceptione personarum vitiosa; nam ille solus dicitur vitiosus acceptor personarum, qui uni ex affectu ad personam tribuit, quod alteri deberetur: cum igitur Deus nemini gratiam suam debeat, illi, cui gratiam confert, facit beneficium, cui vero eandem negat, non facit injuriam, ut ostendit S. Augustinus exemplo duorum parvulorum, quorum unus venit ad baptismum, & salvatur, alter ad illum non venit, sed damnatur, etsi neuter aliquid mereri potuerit. Ad Conf. Dist. Ant. gratia fidei deberet omnibus dari, qui Deo vocanti, & oblatæ gratiæ obtemperant, Transf. Ant. etiam reluctantibus vel obicem ponentibus, Neg. Ant. Quando Deus hominem vocat ad fidem, hanc vocationem solet auspicari a supernaturali illustratione de existentia Dei, & veritatum revelatarum, tunc illum movet ad desiderium credendi, & piam affectionem,

nem, quæ gratiæ a Deo nemini negantur, nisi propria culpa se indignum reddiderit.

Dices 1. Veritates fidei possunt cognosci 432
solo lumine naturali: ergo etiam credi. Sic hæretici absque gratia credunt multos fidei articulos e. g. Mysterium Trinitatis, Incarnationis &c. imo firmiter credunt res aliquas falsas, licet rationem excedant e. g. corpus Christi esse ubique, parvulos, dum baptizantur, elicere actum fidei &c. Conf. Articuli fidei nostræ tot argumentis redduntur credibiles, ut nemo prudens tantæ credibilitatis evidentiæ valeat resistere: ergo nulla opus est gratia, ut credantur. Resp. Transf. Ant. Dist. Conf. ergo ex solis viribus naturalibus possunt credi fide mere naturali, Transf. Conf. supernaturali, Neg. Conf. Ad fidem supernaturalem inter alia pertinet, ut quis credat propter auctoritatem Dei revelantis, & hanc auctoritatem appretiet super omnia alia motiva, quæ in contrarium objici possent, ita ut vi sui assensus implicite, & virtualiter sit paratus ad credendam quamcunque aliam veritatem a Deo revelatam, & sibi sufficienter propositam; talem fidem non habent hæretici formales, de quibus hic sermo est, cum non credant alios articulos fidei. Porro sicut homo solis viribus naturæ potest peccare, non tamen salutem consequi, ita mirum non est, quod possit pertinaciter adhærere suis figmentis, non tamen absque gratia veritates fidei salutariter amplecti. Ad Conf. eadem est responsio; nisi enim auctoritas, & revelatio divina per lumen supernaturale intellectui applicentur, nunquam potest elici fides supernaturalis, ut ostenditur in tractatu de fide.

Dices 2. Quamvis ægrotus nequeat se ipsum 433
sanare, potest tamen propriis viribus advocare medicum, a quo sanetur: ergo licet ho-

mo sine gratia nequeat credere, prout oportet, aut post lapsum se sanare, potest tamen absque gratia ponere primos conatus, preces, & desideria, quibus ad fidem, & justificationem disponitur. Conf. meritum de congruo vel positiva dispositio moralis, non tollit rationem gratuiti: ergo gratia manet donum gratuitum, etsi homo per conatus naturales ad illam se disponat. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. cum operatio medici, & sanatio corporis sint effectus tantum naturales, utique homo potest ponere aliquam dispositionem ad illos proportionatam; gratia vero ad justificationem requisita est supernaturalis, gratuita, & altioris ordinis, utpote transcendens exigentiam totius naturæ, adeoque conatus mere naturales ad illam omnino nullam habent proportionem, aut exigentiam. Ad Conf. Dist. Ant. non tollit omnem rationem gratuiti, Conc. Ant. illam, quæ juxta Scripturam, Concilia & Patres ad gratiam supernaturalem requiritur, Neg. Ant. Christus Joann. 15 v. 5 dixit: *Sine me nihil potestis facere:* in quæ verba S. Augustinus Tract. 81 in Joannem ita commentatur: *Sive ergo parum, sive multum sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.*)

434 Quæres adhuc: an ad actus salutares necessaria sit sola gratia illustrationis, an etiam gratia inspirationis? Resp. Quamvis Granadus, Thyrsus aliique graves Auctores afferant, absolute fieri posse, ut præcedente sola speciali illustratione Deus statim concurrat ad consensum liberum, & salutarem, communior tamen, & probabilior videtur opinio, quod de facto in statu naturæ lapsæ voluntas adeo infirma sit, ut quamvis cælesti lumine perfusa, & habitibus supernaturalibus instructa nullatenus valeat assurgere ad bonum salutare operandum, nisi etiam præcedat inspiratio seu motus indeliberatus & su-

ſupernaturalis voluntatis, ſive dein hic motus connaturaliter oriatur ex ipſa illuſtratione, ſive ſpecialiter a Deo excitetur. Nam licet Patres, & Concilia illuſtrationem, & inſpirationem quandoque confundant, & pro eodem accipere videantur, quia conjunctæ eſſe ſolent, tamen ſæpe illas expreſſe diſtinguunt. Sic concilium Arauſicanum can. 7 expreſſe definit: *Nihil boni, quod ad ſalutem pertinet, fieri poſſe absque illuminatione, & inſpiratione Spiritus ſancti.* Certe S. Auguſtinus identidem contendebat, ut Pelagius confiteatur gratiam, qua voluntas adjuvatur, & ſapientia amatur, & lib. de ſpiritu & littera cap. 3. expreſſe ait: *Neque liberum arbitrium quidquam, niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via, & cum id quod agendum, & quo nitendum eſt, cœperit non latere, niſi etiam delectet, ut ametur.* Plura Vide apud Tournel. part. 2. de grat. Art. 2 concluſ. 2.

QUÆSTIO II.

An etiam ad quodvis opus moraliter bonum, & vincendam quamvis tentationem neceſſaria ſit gratia ſupernaturalis?

Diſceptatio hæc notiſſimum inſtituitur contra 435
Lutheum, Calvinum, Bajum & Janſenium; nam licet etiam quidam auctores catholici poſt Gregorium Ariminenſem contendant, hominem ſine ſpeciali gratia Dei nullam veritatem practicam cognoſcere, aut bonum morale agere poſſe; plerique tamen ſolum volunt, gratiam ſupernaturalem actualem ad omne opus morale de facto requiri per accidens, eoquod in præſenti providentia Deus nullas alias gratias quam ſupernaturales largiatur. Alii cum Vaſquez tantum requirunt gratiam extrinſece ſupernaturalem

ex meritis Christi, qui plus affirmant, videant, quomodo doctrinam suam a doctrina Baji, & Jansenii distinguant. Equidem Jansenius suam opinionem etiam D. Augustino tribuere conatur, adductis variis ejusdem textibus, in quibus dicere videtur, sine gratia non posse cognosci veritates practicas, nec vinci concupiscentiam, nisi per aliud peccatum; verum in illis locis S. Doctor loquitur de homine indurato, & vehementibus passionibus agitato; nos autem hic solum agimus de bono morali exercendo in illis circumstantiis, in quibus in contrarium non occurrit difficultas, aut tentatio gravis.

436 Dicendum 1. Potest homo opus aliquod moraliter bonum facere, & aliquam tentationem vincere sine gratia actuali supernaturali. Prob. 1. pars. Apostolus ad Roman. 2 v. 14 ait: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter faciunt ea, quæ legis sunt -- qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis:* ergo ipsa natura duce præstant aliqua, quæ lex naturalis præcipit, hæc autem præcipit opera bona; hinc S. Augustinus lib. de Spiritu, & littera cap. 26 de illis, qui naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ait: *Quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus;* & rationem subjicit: *Quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere.* Similia habent S. Basil. Chrysost. Hieron. apud Bellarm. de grat. & libero arbitr. lib. 5 cap. 9: merito itaque damnata est propositio Baji 37: *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum habet, agnoscit.*

Prob.

Prob. 2. Pars ex propositionibus damnatis 437
Baji, & Quesnelli. Bajus Propositione 27. ait: *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*, & 29 fures vocat & latrones, *Qui dicunt tentationi ulli sine gratiæ Dei adjutorio resistere hominem posse, sic, ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.* Quesnellus propositione 39 ita habet: *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*, & 40: *Sine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.* His addi potest propositio 61 Baji: *Illa Doctorum distinctio divinæ legis mandata bifariam impleri; altero modo, quantum ad præceptorum operum substantiam tantum; altero, quantum ad certum quendam modum videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc est ad modum meritorum commentitia est & explodenda.* Juvat insuper hic notare doctrinam P. Berti, qui lib. 18 de theolog. discipl. ait, speculative loquendo verum quidem esse, quod sine gratia aliquod opus moraliter bonum fieri possit, in praxi autem id nunquam fieri, sed hominem lapsum nunquam sine gratia operari absque vitiosa cupiditate aut philautia. Quasi vero, quando propositiones Baji & Quesnelli damnatæ fuerunt, de quæstione mere speculativa actum sit, & Apostolus, dum ait, gentes naturaliter facere, quæ legis sunt, non de ipsa operatione loquatur.

Probatur utraque pars conclusionis ulterius 438
ratione. Ex una parte potest homo solis viribus naturalibus cognoscere veritates quasdam non tantum speculativas, sed etiam morales, & practicas: ex altera parte iisdem viribus natu-

ralibus poteſt bonum morale cognitum amplecti, & quidem ex motivo honeſtatis, etſi levis aliqua tentatio in contrarium occurrat: ergo ſolis viribus naturalibus poteſt elicere actum aliquem moraliter bonum, & vincere tentationem ſaltem levem. Ant. quoad 1 membrum conſtat, quia aliquæ veritates morales e. g. honeſtum eſſe parentes honorare, miſeris ſuccurrere &c. ſunt lumine naturæ notæ. Quoad 2dum membrum probatur ex eo, quia honeſtas moralis cognita per ſe non habet minorem vim movendi, quam bonum delectabile, neque levis tantum tentatio valde movet in contrarium: ergo ſi in actu amplexivo boni honeſti non occurrat magna difficultas, homo æque poteſt amplecti bonum honeſtum, quam delectabile, neque Deus tanquam Auctor naturæ minus debet concurrere ad tales actiones, quam ad alias naturales e. g. ad ambulandum, manducandum &c. Conf. Si natura lapſa a Chriſto non fuiſſet reparata, homo ſolis viribus naturalibus potuiſſet aliquid boni naturalis facere, ut colligitur ex numero 384: ergo id etiam poteſt in ſtatu naturæ reparatæ.

439 Dicendum 2. Multo minus ad quodlibet opus moraliter bonum, aut vincendam quamvis tentationem neceſſaria eſt gratia ſanctificans, aut gratia fidei; hinc non omnia opera peccatorum, & infidelium ſunt peccata. Concluſio eſt indubitata. Prob. 1 pars. Chriſtus Luc. 11 v. 41 hortatur Phariſæos, quos dicit rapina, & iniquitate plenos eſſe: *Verumtamen date eleemoſynam*, Daniel. cap. 4 v. 24. Nabuchodonoſorem: *Peccata eleemoſynis redime*. Atqui Chriſtus non hortatur ad actum peccaminoſum, nec novis peccatis redimuntur priora. Aut an peccavit Publicanus, dum Luc. 18 v. 13 percutiebat pectus ſuum, dicens: *Propitius eſto mihi peccatori*. Hinc rur-

rursus damnatæ sunt propositiones, 35 Baji: *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati peccatum est*, 38 Quesnelli: *Peccator non est liber nisi ad malum sine gratia liberatoris.* Concilium vero Tridentinum sess. 6 can. 7 anathema dicit asserenti, *quod omnia opera, quæ ante justificationem fiunt, sint vera peccata*, & sess. 14 cap. 4 docet, quod attritio disponat ad gratiam Dei per Sacramentum obtinendam.

Probatur 2 pars. Exodi cap. 1 v. 21 lau- 440
dantur obstetrices Ægyptiacæ, quod ex timore Dei non præfocaverint mares Judæorum, ut Rex injuste præceperat, Ezechiel. 29 v. 26. Nabuchodonosor propter bellum feliciter gestum adversus Tyrios, sicut imperaverat Deus: & Christus ipse Matth. 5 v. 47 ait: *Si salutaveritis fratres vestros, quid amplius facitis: nonne & Ethnici hoc faciunt.* Quibus verbis indicat, signa benevolentiæ, quæ suis exhibent fideles, etiam apud infideles esse opus moraliter bonum; hinc S. Augustinus lib. 4 contra Julianum cap. 3 virtutes infidelium dicit esse dona Dei, & epist. 144 laudat temperantiam Polemonis. Pius 5tus vero damnavit propositionem 25 Baji: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & philosophorum virtutes vitia*: Clemens XI propositionem 26 Quesnelli: *Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem.* Ex quibus intelligis sine gratia sanctificante, & fide non solum posse dari opera bona naturalia, sed etiam supernaturalia; aut quomodo alias infideles ad fidem, & peccatores ad justificationem se disponere valerent.

Objectiones.

Obj. 1. Sine gratia non possumus cognoscere 441
veritates morales practicas; nam Genes.

6 v. 5 dicitur: *Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum omni tempore:* 2 Paralipom. 20 v. 12: *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te Deum.* Joann. 1 v. 5: *Deus est lux lucens in tenebris, & tenebræ* (id est homines) *illam non comprehenderunt.* Conf. Concilium Milevitanum II. can. 4 asserit: *Donum Dei esse scire, quid facere debeamus:* ergo. Resp. Dist. Ant. non possumus sine gratia veritates practicas cognoscere cognitione salutari, & conducente ad vitam æternam, Conc. Ant. cognitione naturali, Subdist. omnes veritates morales, Conc. Ant. saltem aliquas, Neg. Ant. In textu ex libro Genesis to *cuncta*, & *omni tempore* idem significat ac plerumque, ut sæpe alias in Scriptura fieri solet: in libro Paralipomenon sermo est de eo, quid in circumstantiis particularibus agere deberet Josaphat, Amonitis, Moabitis & Syris adversus ipsum bello insurgentibus. S. Joannes per tenebras intelligit homines sua propria pervicacia excæcatos, ut interpretatur S. Augustinus Tract. 1 in Joann. Ad Conf. Concilium agit contra Pelagianos de cognitione salutari, & supernaturali.

442 Dices 1. Homo sine fide, & gratia non potest vitare peccata; quippe *pravum est cor hominis,* Jerem. 17 v. 9. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ,* 1 Joann. 2 v. 16. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum,* Psal. 13 v. 3. Conf. *Sine fide impossibile est placere Deo,* ad Hebr. 11 v. 6: ergo. Resp. Dist. Ant. homo sine fide & gratia non potest vitare peccata omnia, Transf. Ant. aliqua, Neg. Ant. Jeremias solum indicat, quod cor hominis sit pravum habitualiter, id est, propensum ad malum, ex quo non sequitur, quod omnes illius

actus

actus mali ſint. Juxta S. Joannem in mundi amatoribus qua talibus omnia peccata ad luxuriam, avaritiam, & ſuperbiam revocantur; at homines non ſemper agunt ut amatores mundi. Pſalmiſta loquitur de infidelibus, qui utique ſunt inutiles ad exercenda opera meritoria vitæ æternæ, quin vel unus diu ſervet totam legem naturalem, aut ex ſolis viribus naturæ facere poſſit opus bonum ſalutare. Ad Conf. ſenſus eſt, quod nemo ſine fide chriſtiana placere poſſit Deo, ſicut placet amicus amico, vel eo modo, qui ſufficit ad ejus amicitiam comparandam.

Dices 2. Opera peccatorum, etſi videantur 443
bona, a Scriptura reprobantur tanquam peccata. Sic Pſal. 49 v. 16 Deus ad peccatorem inquit: *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum.* Iſ. 1 v. 13: *Incenſum abominatio eſt mihi - - calendas veſtras & ſolemnitates veſtras odivi,* Proverb. 15 v. 8: *Victimæ impiorum abominabiles Domino.* Conf. Juxta S. Joannem c. 9. v. 31: *Deus peccatores non audit:* ergo. Reſp. Diſt. Ant. reprobantur tanquam peccata præciſe ideo, quia facta ſunt a peccatoribus, Neg. Ant. quia facta ſunt pravo fine, ex vana gloria, hypocriſi &c. Conc. Ant. In objectis textibus reprehenduntur Judæi, quorum plures putabant, ſibi omnia licere, & impunita fore ſcelera, modo externos ritus, ac ceremonias legales obſervarent, ut indicat Propheta verbis ſubjunctis: *Iniqui ſunt cœtus veſtri, & manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine, & in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra.* Ad Conf. obſervat S. Auguſtinus lib. 2. cont. epiſt. Parmen. hæc verba non fuiſſe dicta a Chriſto, ſed a cæco nato, nondum interiore lumine fidei illuſtrato, vel ad ſummum probant, Deum non exaudire peccatores ad patranda miracula, quibus ſuam innocentiam, &

doctrinam comprobent; nam Christus, qui a Judæis habebatur blasphemus, & peccator, ibidem cæco miraculose lumen restituit.

444 Dices 3. Si infideles, & peccatores aliqua opera bona fecerunt, illa tantum potuerunt provenire a gratia Dei: *Sine me nihil potestis facere*, Joann. 15. v. 5. *Quid habes, quod non accepisti*, 1 Cor. 4 v. 7. *Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis*, 2 Cor. 3 v. 5. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere*, ad Philipp. 2 v. 13. Conf. Concilium Arausicanum II can. 22 ait: *Nemo habet de suo nisi peccatum, & mendacium*. Resp. Neg. Ant. Scriptura intelligi potest 1 de necessitate concursus Dei generalis, & ordinarii, quem etiam negavit Pelagius, putans, cum ejus necessitate stare non posse liberum arbitrium, ut colligitur ex S. Hieron. 2. De necessitate gratiæ specialis ordinis naturalis. 3. De operibus bonis salutaribus; nam quando Patres, & concilia ex his textibus deducunt necessitatem gratiæ ad opera bona, communiter addunt has particulas limitantes, *prout oportet, expedit, ad salutem pertinet, confert, ut justificationis gratia conferatur &c.* quæ particulæ frustra essent additæ, si gratia Dei requireretur ad omne opus bonum etiam mere naturale. Ad Conf. Concilium tantum vult, quod nemo habeat ex se quidquam sibi soli adscribendum præter peccatum, cujus solus homo est auctor, & causa per se.

445 Obj. 2. S. Augustinus cum S. Prospero sæpe docet, hominem ex se ipso nihil posse boni facere, sed usum bonum liberi arbitrii esse a gratia, & virtutes etiam morales esse dona Dei: *Non potest homo*, inquit lib. 1 ad Bonifac. cap. 3, *boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo, qui malum non potest velle*, & lib. de corrept. & grat. cap. 12. *Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.*

Conf.

Conf. Juxta S. Augustinum omnia opera fiunt vel ex charitate, vel ex carnali cupiditate; hinc bona voluntas juxta illum est charitas. Resp. Dist. Ant. hominem nihil posse facere boni salutaris ex se ipso, Conc. Ant. boni naturalis, Neg. Ant. S. Doctor in locis objectis disputat contra Pelagianos, & Semi-Pelagianos, & sæpissime addit hanc vel similem limitationem, *Quod ad veram pietatem, justitiam, salutem &c. pertinet.* Porro etiam virtutes morales sunt dona Dei, in quantum fiunt dependenter a speciali gratia ordinis naturalis, imo si sumantur quoad habitum, qui solum per actus diu frequentatos acquiritur, etiam sine gratia supernaturali non comparantur. Ad Conf. Charitatem accipit latius pro quacunque bona voluntate, voluntas autem bona tunc juxta ipsum est charitas, quando operatur meritorie ad vitam æternam.

Dices 1. Juxta S. Augustinum ante fidem, 446 nihil boni potest esse in homine: *Quid est*, quærit tract. 86 in Joann. *boni operis ante fidem? cum dicat Apostolus: omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Lib. 1 retract. cap. 15 docet: *Voluntatem in tantum liberam esse, in quantum liberata est, alioquin totam esse vitiosam cupiditatem. Neque*, ut habet lib. de spirit. & litt. cap. 3, *liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritas.* Conf. Juxta nos post peccatum Adæ in homine infideli manerent aliqua semina virtutum; atqui hæc est doctrina Cassiani, quam reprehendit S. Prosper contra collat. cap. 18. Resp. Dist. Ant. Nihil boni potest esse in homine, quod sit meritorium vitæ æternæ, Conc. Ant. in alio sensu, Neg. Ant. Ante textum primò loco objectum S. Augustinus præmisit hæc verba: *Non est, ut dicas, antequam crederem, bona operabar, ideo electus sum.* In altero textu so-

lum vult, quod sine fide, & gratia voluntas sit vitiosa habitualiter. In 3tio docet hominem sine gratia nihil posse mereri, sed tantum demereri. Ad Conf. Cassianus per semina virtutum non intellexit lumen rationis, & naturalem potentiam ad bonum honestum, sed cogitationes salutares, & desideria ex solo vigore naturæ orta, quibus homo ad gratiam Dei disponatur.

447 Dices 2. Tamen S. Augustinus sæpe docet, virtutes infidelium esse vitia, & quamvis ex se essent bonæ, ab illis tamen non fieri recta intentione, nec ad debitum finem referri, adeo, ut, *Qui orat pro infideli, ut ejus voluntati retribuatur pretium, oret ei grande supplicium*, inquit lib. 4 contra Julian. cap. 3. Conf. Bonum morale non potest fieri per legem: *Lex enim iram operatur*, ad Rom. 4 v. 15: ergo debet fieri per gratiam. *Agnoscamus*, inquit S. August. ad Vital. epist. 217 c. 3, *gratiam, quæ facit prodesse doctrinam; quæ gratia, si desit, videmus etiam obesse doctrinam*. Resp. S. Augustinus tantum docet, quod virtutes infidelium pravo fine vitientur plerumque. Dein agens contra Julianum, peccatum sæpe sumit latius pro omni opere defectuoso, & inutili ad consequendum finem ultimum, quo sensu etiam S. Hieronymus in cap. 3 ad Galat. dixit: *Sine Christo omnis virtus in vitio est*. Denique tantum dicit, grande supplicium esse pro infideli orare, si gratia petatur tanquam debita operibus naturalibus, ut volebant Pelagiani. Ad Conf. Dist. Ant. per legem non potest fieri omne & quodlibet bonum sine gratia, Conc. Ant. nullum omnino, Neg. Ant. Lex iram tantum operatur per accidens, in quantum pro humani cordis dispositione ac congenita superbia nitimur in vetitum, cupimusque negata.

448 Obj. 3. Ad quodlibet opus moraliter bonum, etiam naturale necessaria est cogitatio congrua, &

& efficax: atqui hæc eſt gratia ſpecialis, quæ negari poteſt ſine læſione juris humani: ergo. Conf. Cogitatio congrua etiam ſolum naturalis eſt materia idonea orationis, & gratiarum actionis: ergo non eſt debita; nemo enim a Deo petit id, quod habet in propriis ſuis viribus; hinc S. Auguſtinus hæpe neceſſitatem gratiæ infert ex eo, quod a Deo petamus fidem, perſeverantiam &c. & epiſtola 95 ait: *Ipſa oratio clariſſima eſt gratiæ teſtificatio.* Reſp. Conc. Maj. de opere bono abſolute ponendo, non autem de ſola potentia illud ponendi, Diſt. min. eſt gratia ſpecialis ſtricte accepta, & ſupernaturalis, Neg. min. latius accepta, & naturalis, Conc. min. & Neg. Conf. Ad Conf. Conc. Ant. Diſt. Conf. ergo non eſt debita alicui determinate, Conc. Conf. aliquibus indeterminate, Neg. Conf. Quod Deus huic homini potius conferat auxilium naturale efficax, quam inefficax, utique eſt ſpeciale beneficium & materia orationis, ac gratiarum actionis. Imo recte, & prudenter a Deo petimus bona fortunæ, & corporis, licet illa non raro nobis procurare poſſimus viribus naturæ. Interim fideles ordinarie petunt auxilia congrua pro actibus ſalutaribus adeoque ſupernaturalia & prorſus indebita, de quibus etiam loquitur S. Auguſtinus contra Pelagianos.

Dices 1. Homo per peccatum originale, & 449
quodlibet perſonale meretur æternam damnationem: ergo etiam privationem omnis auxilii efficacis ad bonum: ergo ejusmodi auxilium eſt gratia ſtricte dicta. Conf. Omne opus bonum debet referri in Deum tanquam finem ultimum ſaltem naturalem; hoc peccator non poteſt, cum ſit a Deo averſus; hinc dæmones nullum opus bonum poſſunt elicere. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conf. meretur hanc privationem pro ipſo termino damnationis, Tranſ. Conf. pro ſtatu viæ,

Neg. Conſ. Alias etiam dici poſſet, quod homo juſtus, qui per opus ſupernaturale meretur vitam æternam, eo ipſo mereatur, ut illi in ſtatu viæ nullum amplius conferatur auxilium mere ſufficiens. Ad Conf. Diſt. Ant. debet referri in Deum implicite, quatenus fit ex intentione honeſtatis a Deo præceptæ vel ſuaſæ, Conc. Ant. formaliter, & quidem per actum charitatis, Neg. Ant. Alias attritio ex metu gehennæ a peccatore elicita non eſſet opus bonum, quod damnat Concilium Tridentinum. Porro dæmones ſunt obſtinati in actuali odio Dei, & hominum, & ex tali odio agunt, quidquid agunt, homines autem etiam ſceleſtiſſimi, non ſemper actu oderunt Deum, & proximum; unde non ſemper operantur ex pravo affectu, ſed etiam opera ſua formaliter in Deum poſſunt referre, licet habitualiter ab ipſo maneant aversi.

450 Dices 2. Si homo ſine ſpeciali gratia poſſet exercere opus moraliter bonum, poſſet gloriari de aliquo tanquam ſuo, ut arguebat S. Auguſtinus contra Pelagium identidem objiciens illud Apoſtoli 1 ad Cor. 4 v. 7: *Quid habes, quod non accepiſti, ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis.* Conſ. Homo per quemvis actum malum recedit a Deo: ergo etiam per quemvis actum bonum ad eundem tanquam finem ultimum accedit; alias eſſet miſere conſtitutus, ſi etiam ipſius opera bona eſſent inutilia. Reſp. Neg. Maj. Tum quia homo etiam ad opus bonum naturale indiget auxilio Dei ordinario, vi cujus Deus ipſi det vires, illum conſervet, & cum ipſo immediate ad agendum concurrat: tum quia etiam auxilium efficax naturale eſt donum ſpeciale; Apoſtolus vero, & S. Auguſtinus loquuntur de operibus ſalutaribus, ex gratia omnino indebita factis. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Sicut homini non debetur elevа-

vatio ad finem ſupernaturalem, ita ſuppoſita elevatione non debetur ipſi potentia, qua poſſit per ſingulos actus poſitive converti ad finem ſupernaturalem, neque ideo opera naturalia ſunt inutilia ex omni parte, ſerviunt enim ad ſervandam legem naturalem, ad vitandum peccatum, ad accipienda bona temporalia a Deo &c.

Obj. 4. Scriptura, Concilia, & Patres 451
paſſim aſſerunt nullam tentationem ſine gratia Dei vinci poſſe, cum Chriſtus ipſe in oratione Dominica univerſaliter moneat, ut oremus Deum pro impetranda victoria tentationum. Conf. Hoc ipſum eſt ſpecialis gratia, quod tentatio ſit tantum levis, & Deus per protectionem extrinſecam impediat, ne dæmon hominem hic & nunc gravius tentet. Reſp. Diſt. Ant. nullam tentationem gravem ſine gratia vinci poſſe, Tranſ. Ant. nullam levem, Subdiſt. victoria ſalutari, & chriſtiana, Conc. Ant. qualicunque, Neg. Ant. Solæ tentationes graves ſimpliciter dici ſolent tentationes, leves autem proprie nomen tentationis non merentur, ſed moraliter habentur pro nullis, ut notat Bellarminus. Adde, quod etiam ad victoriam levis tentationis actu obtinendam requiratur gratia congrua, pro qua merito Deum orâmus. Ad Conf. Neg. Ant. & Conſ. Quippe protectio illa extrinſeca non eſt gratia ſpecialis ſaltem ſtricte dicta, & ſupernaturalis, ſed ſpectat ad generalem curſum providentiæ divinæ, ſicut ad eandem ſpectat, ut Deus impediat alia mala, quæ alias dæmon inferret. Dein noſtra concluſio loquitur ex ſuppoſitione, quod hic, & nunc tantum levis tentatio occurrat. Plura, quæ hic objici poſſent, vid. tract. de actibus humanis diſp. 3 q. 3 & 4.

QUÆSTIO III.

An sine gratia supernaturali possit elici amor Dei super omnia?

452 Amor potest tendere in Deum, vel ut auctorem gratiæ, vel ut auctorem naturæ, uterque dicitur perfectus, si Deum præferat rebus omnibus, etiam ipsi amanti, ita, ut eliciens talem amorem paratus sit Deum nullius rei gratia unquam graviter offendere. Circa hunc amorem variæ possent moveri quæstiones. 1. An possibilis sit amor Dei supernaturalis, qui tendat in Deum præcise ut auctorem naturæ, & finem naturalem. 2. An possibilis sit amor Dei naturalis, qui tendat in Deum, ut auctorem gratiæ, & finem supernaturalem. 3. An possibilis sit amor Dei naturalis, qui tendat in Deum, ut auctorem naturæ, & finem naturalem. Nos hanc ultimam tantum quæstionem examinabimus, & quidem præscindendo a circumstantiis, quæ difficultatem hujus actus valde augerent, qualis esset e. g. gravis tentatio incitans ad non amandum Deum, vel amandas creaturas contra legem Dei.

453 Hinc non quæritur, an Deus ex solis viribus naturæ possit amari super omnia longo tempore? quamvis enim hoc in statu naturæ integræ forte facilius fieri potuisset, communissime tamen negari solet pro statu naturæ lapsæ, in quo frequenter occurrunt tentationes graves; sed neque desunt auctores catholici bene multi, qui putant hunc amorem præsertim benevolentiæ nunquam sine gratia supernaturali elici posse; existimant enim propositiones Baji, quas num. 47 citavimus, solum damnatas esse propter acerbitatem censuræ. Ita sentiunt Bellarm. Esparz. Valent. Tournelius, Antoine, quibus eu-

etiam videtur favere S. Thomas. Imo P. Simonet contendit, ne quidem amorem Dei imperfectum ſine gratia ſupernaturali elici poſſe. Pro ſententia vero affirmativa ſtant Scotus, Thomiſtæ, & alii antiquiores communiter. Ex noſtris Molina, Ovied. Arriag. Platel. & plures alii, Ripalda pro hac opinione allegat Scripturam, Concilia, & Patres. Verum ex illis pro neutra ſententia videtur ſolidum deduci poſſe argumentum.

Dicendum. Amor Dei ſuper omnia poteſt 454
elici ſine gratia ſupernaturali. Prob. Ex una parte homo ex ſolis viribus naturæ poteſt cognoſcere Deum ut ſummum bonum, bonitate etiam abſoluta, adeoque ut ſumme amabilem ratione ſui, ut patet ex argumentis, quibus demonſtratur Deum eſſe ens a ſe, & infinite perfectum: ex altera parte poteſt contingere, ut homini tunc non occurrant graves difficultates, quas in amando Deo debet ſuperare: ergo poteſt Deum ita cognitum amare ſuper omnia, cum utique cognitionem boni conſequi poſſit amor eidem proportionatus, & ipſa natura dictet, ens infinite bonum eſſe amandum ratione ſui, & præferendum omnibus aliis entibus creatis. Conf. In ſtatu naturæ puræ homo per vires mere naturales potuiſſet Deum amare ſuper omnia; nam præceptum ita amandi Deum etiam tunc fuiſſet datum: ergo idem poteſt in ſtatu naturæ lapſæ, in quo non fuit factus debilior quoad vires naturaliter ſibi debitas.

Objectiones.

Obj. 1. Scriptura, Concilia, & Patres apud 455
Bellarm. lib. 6 de gratia cap. 7 paſſim aſſerunt, charitatem Dei eſſe donum ſupernaturale. Sic 1 Joann. 4 v. 7 dicitur, *Charitas ex Deo eſt.* Ad

Galat. 5 v. 22: *Fructus autem Spiritus est charitas*, ad Rom. 5 v. 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Concilium Tridentinum anathemate ferit asserentem, *Sine prævenientis Spiritus sancti inspiratione hominem diligere posse.* Arausicanum II can. ult. *Prorsus donum Dei esse diligere Deum.* S. Augustinus lib. 4 contra Julian. cap. 3 de amore Dei etiam ut auctoris naturæ docet, *Illum non esse nisi a Deo.* Resp. Dist. Ant. asserunt charitatem Dei salutarem, & vitæ æternæ meritoriam esse donum supernaturale, Conc. Ant. charitatem Dei solum naturalem, Neg. Ant. Concilia, & Patres, in quorum sensu etiam accipienda est Scriptura, agunt contra hæreticos, & suis decisionibus communiter addunt has & similes limitationes, *prout oportet, expedit ad salutem;* sic Tridentinum verbis citatis mox subjungit: *Sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur.* Et S. Augustinus loco objecto expresse agit de amore Dei: *quo pervenitur ad Deum;* nempe aliquando possidendum per visionem beatificam.

456 Dices. Concilium Arausicanum II impotentiam hominis lapsi ad amandum Deum super omnia, non tantum infert ex supernaturalitate actus, sed etiam ex infirmitate liberi arbitrii per peccatum contracta; ait enim can. cit. *Quod per peccatum primi hominis inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi eum gratia divinæ misericordiæ prævenerit.* Conf. Impotentia Deum diligendi supernaturaliter sine gratia jam dabatur ante peccatum: ergo per illud non primum fuit contracta. Resp. Dist. Ant. deducit impotentiam ex infirmitate liberi ar-

arbitrii orta ex ſpoliatione donorum ſupernaturalium, Conc. Ant. ex privatione vel imminutione virium naturalium, Neg. Ant. Alias deberet dici, quod homo nullum opus bonum ex ſolis viribus naturalibus poſſit elicere; cum Concilium etiam addat: *Aut operari propter Deum, quod bonum eſt.* Ad Conf. Diſt. Ant. impotentia diligendi Deum ſine gratia ſanitatis, & ex pura liberalitate jam dabatur ante peccatum, Conc. Ant. ſine gratia medicinali, & ex pura miſericordia, Neg. Ant. & eodem modo Conſ. Concilium ſolum vult, quod poſt peccatum originale nemō poſſit Deum diligere, *prout oportuit*, ſine gratia medicinali, & *niſi eum gratia divinæ miſericordiæ prævenerit.*

Obj. 2. Amor Dei ſuper omnia in quocunque ordine includit obſervationem omnium præceptorum, ejusdem ordinis; item odium omnium rerum præceptis graviter adverſantium, & ideo ab Apoſtolo ad Rom. 13 v. 10 dilectio dicitur eſſe *plenitudo legis*; atqui homo ſine gratia Dei non poteſt naturaliter ſervare totam legem naturalem: ergo. Conf. Homo in ſtatu naturæ lapſæ ſine gratia non poteſt moraliter vincere omnes tentationes: ergo neque Deum amare ſuper omnia. Reſp. Diſt. Maj. involvit obſervantiam omnium præceptorum ejusdem ordinis ſemper effective, Neg. Maj. affective, Conc. Maj. Ut detur amor Dei ſuper omnia, ſufficit, ſi homo hic & nunc habeat ſerium affectum & propoſitum legem ſervandi, ad quod propoſitum concipiendum longe minus requiritur, quam ad ejus effectum, & executionem. Sic attritio ſupernaturalis, ut ſufficiat ad valorem Sacramenti, debet includere propoſitum efficax vitandi in poſterum omnia peccata mortalia, & tamen ſæpe ſequitur relapſus. Unde Apoſtolus tantum loquitur de plenitudine legis 457

affe-

affectiva, vel de dilectione effective efficaci, & quidem per longum tempus. Ad Conf. Tranf. Ant. Dift. Conf. non poteft fine gratia amare Deum fuper omnia per longum tempus, vel occurrente gravi tentatione, Conc. Conf. per breve tempus, & nulla gravi difficultate in oppofitum occurrente, Neg. Conf.

458 Dices. Homo per vires naturæ non poteft efficaciter proponere id, quod per easdem vires non poteft exequi: ergo fi per vires naturæ non poteft totam legem fervare, neque poteft habere feriam propofitum illam fervandi. Conf. Homo vi hujus propofiti deberet ita effe comparatus, ut mallet omnia perdere, & pati, quam Deum graviter offendere; atqui hoc non poteft fieri fine gratia, cum fine illa nequidem unicam gravem tentationem poffit fuperare. Refp. Neg. Ant. Imprimis propofitum efficax de re moraliter tantum impoffibili neutiquam implicat, præfertim fi hæc impoffibilitas hic & nunc non cognofcatur, ut facile contingere poteft in noftro cafu. Dein modo homo fciat gratiam ad legem implendam fibi non defore, fine gratia ejus obfervationem fibi poteft proponere, ficut aliquis per actum mere naturalem fe poffet refolvere ad patranda miracula, modo fciret fe habere donum illa patrandi. Ad Conf. Dift. Maj. debet ita effe comparatus virtualiter, & implicite, Conc. Maj. formaliter, & explicite, Neg. Maj. & Dift. min. hoc non poteft fieri, fi actu iftam difficultatem agnofcat, Tranf. min. fecus, Neg. min. propofitum affective efficax eft, quod nunquam componi poteft cum peccato gravi, unde ejus efficaciæ nihil obftat, fi poftmodum fuborta nova difficultate iterum deferatur, multo minus requiritur, ut quis ejusmodi difficultates explicite fibi repræfentet, & ad illas fuperandas

das formaliter se resolvat, ut de ipso amore supernaturali admittunt adversarii.

Obj. 3. Amor Dei super omnia est ultima 459 dispositio ad justificationem, ut passim tradunt Patres, & concilia; sed hæc dispositio non potest poni ex solis viribus naturæ, cum necessario debeat esse supernaturalis: ergo. Maj. Prob. Amor Dei super omnia est amor amicitiæ: ergo reddit hominem justum, & amicum Dei. Conf. Amor Dei est opus pietatis; sed nullum opus pietatis potest fieri sine gratia: ergo. Resp. Dist. Maj. Amor Dei supernaturalis est ultima dispositio ad justificationem, Conc. Maj. amor solum naturalis, Neg. Maj. Justificatio dicit tum remissionem peccati, tum sanctificationem; utraque autem in hac providentia fit per gratiam sanctificantem, ad quam actus pure naturalis nequit positive disponere; hinc Concilia, & Patres debent intelligi de amore supernaturali. Ad Prob. Trans. Ant. Neg. Cons. amicitia dicit mutuum duorum amorem inter se; cum igitur Deus propter amorem solum naturalem non redamet, amor amicitiæ ex parte hominis dari potest, quin ideo fiat amicus Deo. Ad Conf. Dist. Maj. amor Dei est opus pietatis semper supernaturalis, Neg. Maj. supernaturalis, vel naturalis, Conc. Maj. & Dist. min. opus pietatis supernaturalis, non potest fieri sine gratia, Conc. min. opus pietatis naturalis, Neg. min. Alias homo ex solis viribus naturæ nullo prorsus cultu Deum posset afficere. Vid. num. 341.

Dices. Amor Dei super omnia excludit om- 460 ne peccatum mortale: ergo disponit ad justificationem. Conf. Per amorem Dei homo convertitur ad Deum: ergo illo durante non potest esse aversus a Deo: ergo non manet peccator. Resp. Dist. Ant. excludit omne peccatum mortale actuale, Conc. Ant. etiam habituale, Neg.

Ant.

Ant. Per actum amoris Dei solum naturalem non remittuntur peccata præterita, adeoque adhuc remanet peccatum habituale, status inimicitiæ divinæ, & privatio gratiæ sanctificantis. Ad Conf. Dist. Ant. per amorem Dei naturalem homo convertitur ad Deum actualiter, id est, Deum actu appretiat super omnia, Conc. Ant. convertitur ad Deum habitualiter, & ita, ut per suum actum impetret remissionem peccatorum, Neg. Ant. & Dist. Conf. ergo amore durante non est aversus a Deo actualiter, Conc. Conf. habitualiter, Neg. Conf. Quamvis homo stante amore Dei super omnia non possit actu graviter peccare, & a Deo se avertere, quia tamen peccata præterita ideo illi non remittuntur, habitualiter manet adhuc peccator, & a Deo aversus.

461 Obj. 4. Appetitus rationalis hominis sequitur bonum privatum, & sensibile: ergo sine speciali gratia non potest amare Deum super omnia, & plus quam se ipsum, ut arguit S. Thomas 1. 2. q. 1109 art. 3. Conf. Quando Deus prævidet hominem esse eliciturum amorem Dei super omnia, semper ipsi dat auxilium supernaturale: ergo nunquam potest elicere amorem tantum naturalem. Resp. Dist. Ant. sequitur bonum privatum, & sensibile sæpe vel plerumque, attamen libere, Conc. Ant. semper, & necessario, etiam in iis circumstantiis, ubi bonum sensibile non vehementer allicit, & ab amore Dei revocat, Neg. Ant. Imo homo quandoque honorem, etsi sit bonum insensibile, vehementer, & plus quam propriam vitam amat. Porro S. Thomas eodem articulo ait: *Natura diligit Deum super omnia, prout est principium, & finis naturalis boni; charitas autem secundum, quod est objectum beatitudinis.* Ad Conf. Trans. Ant. quod neque ex Scriptura, neque ex conciliis, aut Patri-

tribus, multo minus ratione probari potest, Dist. Conf. ergo nunquam potest elicere amorem Dei tantum naturalem per accidens, & ex speciali ordinatione divina, Transf. Conf. per se, & ex natura rei, Neg. Conf. Vid. etiam dicta disp. 1 q. 2 a Num. 339.

QUÆSTIO IV.

An homo sine gratia supernaturali possit diu servare totam legem naturalem, & vincere tentationes graves?

Lex naturalis dupliciter considerari potest 1. 462
Prout data fuisset in statu puræ naturæ. 2. Prout datur nunc in statu elevationis. In statu puræ naturæ obligasset ad præcepta mere naturalia, nunc autem etiam obligat ad servanda præcepta supernaturalia fidei, spei, charitatis &c., quippe ipsum lumen naturæ dictat, quod creatura in omnibus debeat obedire suo Creatori, & tendere ad finem, ad quem ab illo fuit ordinata, cum igitur in statu elevationis ordinetur ad finem supernaturalem, ad quem obtinendum præcepti sunt actus supernaturales, ex ipsa lege naturæ obligatur, ad ejusmodi præcepta servanda. Nihilominus potissima controversia hic erit de lege mere naturali, utrum videlicet illa possit sine speciali gratia observari tota, per longius aliquod tempus, potentia completa, & quoad substantiam ita, ut in ea servanda vitetur omne peccatum grave, licet non impleatur, prout oportet, ad obtinendum finem supernaturalem; quod enim etiam in statu naturæ lapsæ detur potentia saltem inchoata servandi totam legem naturalem, & quædam præcepta etiam proxime impleri possint, patet ex dictis. Imo quia facile potest contingere, ut brevi aliquo tempore

nul-

nulla lex affirmativa urgeat, nec gravis tentatio ad violanda præcepta negativa provocet, homo brevi hoc tempore absolute totam legem poterit observare.

463 Dicendum 1. Licet homo de facto, sine speciali Dei gratia nequidem potentia physica possit observare totam legem naturalem, habet tamen potentiam physicam illam diu servandi, & vincendi omnes graves tentationes, si a statu elevationis præscindatur. Prob. 1 pars contra Pelagianos. Homo de facto est elevatus ad finem supernaturalem, & ad eam tenetur tendere per actus salutares fidei, spei, charitatis &c. atqui homo sine speciali gratia nullum potest elicere actum salutarem: ergo. Prob. 2da pars contra Jans. Bajum aliosque Lovanienses. Homo etiam in statu naturæ lapsæ per se habet obligationem naturalem servandi totam legem naturæ; alias eam transgrediendo non peccaret: ergo habet potentiam saltem physicam sine gratia speciali totam legem servandi, & vincendi omnes tentationes graves, ad transgressionem ejusdem allicientes, quia non potest dari obligatio moralis ad aliquid physice impossibile, ut patet ex damnata propositione 63 Baji: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario agit.* Conf. Homo per peccatum originale non amisit libertatem indifferentiæ ad peccandum, & non peccandum, ut definitum est ab Ecclesia contra Jansenistas; atqui libertas indifferentiæ dicit ad minimum potentiam physicam ad utrumque terminum: ergo.

464 Dicendum 2. Sine speciali Dei gratia homo non habet potentiam moralem, & completam diu servandi totam legem mere naturalem, & vincendi omnes tentationes graves. Ita communis, & adeo certa, ut multi cum Suario lib. 1 de

de grat. cap. 26 oppoſitam ſententiam dicant eſſe temerariam. Prob. 1. Apoſtolus ad Rom. 7 v. 23 ait: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ - - quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jeſum Chriſtum.* Ubi juxta Patres & interpretes per legem membrorum intelligitur concupiſcentia rebellis, & per legem mentis lex mere naturalis; hinc Scriptura victoriam tentationum ſimpliciter Deo tribuit Pſal. 17 v. 30: *In te eripiar a tentatione.* Matth. 26 v. 41: *Orate, ut non intretis in tentationem, Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* In quæ verba S. Auguſtinus lib. de bono viduitatis cap. 17 refellens Pelagianos inquit: *Sequitur, ut fruſtra Dominus dixerit, vigilate, & orate, ne intretis in tentationem, - - ſi enim noſtræ tantummodo poteſtatis eſt, ne tentatione ſuperemur, ut quid oramus, ne intremus, vel inferamur in eam.* Similia habent S. Ambroſ. Hieron. Cyprian. Chryſoſt. apud Bellarminum, & Suarium.

Imo Patres ad vincendas ſingulas tentatio- 465
nes graves ſpecialem gratiam videntur requirere; ſic S. Gregorius lib. 9 moral. cap. 29 de homine lapſo ait: *Dimiſſus ſibi cujuslibet tentationis aura raptatur.* S. Chryſoſt. Homil. 24 in 1. ad Cor. *Sunt tentationes, quas ſufferre non poſſumus; & quænam ſunt illæ? omnes ut ita dicam, poſſibilitas enim in divino nutu eſt.* Theophilact. in eandem epiſtolam: *Quævis tentatio vires noſtras exſuperat, niſi ille auxilietur nobis.* Ubi tamen recolendum, quod ſicut per peccatum, ita per tentationem ſimpliciter acceptam Patres ordinarie ſoleant intelligere gravem, quod etiam indicant, dum ſignate loquuntur de tribulatione vehemente, de acribus diaboli laqueis. Addit Suarius, quod tentatio ſaltem ordinarie

non sit censenda gravis, si tantum duret ad momentum vel brevissimo tempore. Interim ipsa experientia testatur, aliquas tentationes in particulari adeo esse graves, ut hominem moraliter ad lapsum necessitent, nisi speciali gratia roboretur, ut patet in hominibus valde lubricis inter vehementes carnis illecebras, & in occasione proxima constitutis, in iracundis, atroci injuria affectis &c.

466 Probatur conclusio 2 auctoritate conciliorum, & summorum Pontificum, qui Pelagium damnarunt non solum, quia negavit necessitatem gratiæ ad actus salutares, sed etiam, quia negavit ad observationem totius legis naturalis necessarium esse speciale adjutorium Dei. Nam in concilio Diospolitano anno 415. damnatus est hic Pelagii articulus: *Victoria nostra non est ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio.* Patres concilii Carthaginensis II in synodica epistola ad Innocentium I testantur: *Ideo a se damnatos esse Pelagianos, quod dicerent liberum arbitrium absque Dei gratia posse implere legem Dei sive naturaliter in corde scriptam, sive in litteris datam.* Ipse Innocentius I in epist. ad concil. Carthag. ait: *Quotidiana Christus præstat remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores.* Cælestinus in epist. ad Episcop. Galliæ ita loquitur: *Nemo etiam baptismatis gratia renovatus idoneus est, ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei, perseverantiam bonæ conversationis acceperit.* Ratio est, quia natura lapsa laborat incredibili infirmitate ad bonum honestum prosequendum; ad malum autem fortissima inclinatione trahitur, adeo ut etiam inter Christianos plurimis gratia-

rum

rum præsidiis instructos respective pauci sint, qui in tot tentationibus, & occasionibus peccandi servent totam legem naturalem graviter obligantem per longum vitæ tempus.

Cæterum quamvis cum Suario, Ripalda, 467
aliisque multis censeam, quod ad totam legem naturalem moraliter servandam, & omnes tentationes victoria non salutari superandas per se, & ex natura rei sufficere possent auxilia entitative tantum naturalia, sicut illa suffecissent in statu puræ naturæ, in qua ejusmodi observatio, & victoria fuisset mere naturalis; nihilominus ejusmodi auxilia essent gratia specialis latius dicta, & in statu naturæ lapsæ extrinsece supernaturalia, quatenus ex gratuito Dei affectu, & meritis Christi concederentur in ordine ad salutem; neque enim potentia completa, & absoluta diu & moraliter servandi totam legem naturalem sive in statu naturæ puræ, sive in statu naturæ lapsæ ulli determinato homini debetur; sed ipsa excellentia Dei, & dependentia creaturæ a suo creatore videtur exigere, ut Deus hanc potentiam solum concedat sub certis conditionibus e. g. si creatura humili prece a suo creatore ulteriora auxilia efflagitet, & a primis peccatis abstineat, a quibus moraliter potest abstinere, ut exsplicavi num. 391.

Quin imo in præsenti providentia probabi- 468
lius est, quod ad legem mere naturalem diu ac moraliter servandam, requiratur gratia intrinsece, & entitative supernaturalis, eo quod Deus decreverit in hoc statu elevationis etiam ad superandas diu tentationes contra legem mere naturalem non succurrere, nisi per auxilia intrinsece supernaturalia; quippe Scriptura, Concilia, & Patres dicunt necessariam esse gratiam, adjutorium, auxilium Dei, qui termini denotare solent gratiam stricte, & theologice talem, ni-

fi aliud vel ex contextu, vel aliunde colligatur. Hinc S. Auguftinus lib. de gratia Chrifti cap. 27, poftquam retulit hæc verba Pelagii: *Divinam mereamur gratiam, & facilius nequam fpiritui fancti Spiritus auxilio refiftamus*, fic ait: *Ut quid hoc verbum interpofuit, hoc eft facilius? an vero non erat integer fenfus, ut nequam fpiritui fancti Spiritus auxilio refiftamus; fed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? volens utique credi tantas effe naturæ vires, ut etiam fine auxilio Spiritus fancti, etfi minus facile, tamen aliquo modo nequam fpiritui refiftatur.* Idem epift. 95 ad Innocent. inquit: *Ad vincendas diu tentationes, & concupifcentias opus effe gratia, per fubminiftrationem fancti Spiritus data, quam oftendit Chriftus afcendens in altum & dans dona hominibus.*

Objectiones.

469 Obj. 1. Juxta facram Scripturam mandata Dei non fuperant vires humanas, fed levia funt: ergo homo habet moralem potentiam illa fervandi. Ant. Prob. Deuter. 30 v. 11 dicitur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non eft fupra te.* Ecclef. 15 v. 16: *Si volueris mandata fervare, conferyabunt te.* Matth. 11 v. 30: *Jugum meum fuave eft, & onus meum leve.* 1 Cor. 10 v. 13: *Fidelis eft Deus, qui non patietur vos tentari fupra id, quod poteftis.* Refp. Dift. Ant. non fuperant vires humanas adjutas gratia divina, Conc. Ant. fine gratia divina, Subdift. fi non urgeat gravis tentatio, Conc. Ant. fecus, Neg. Ant. Textus ex Deuteronomio citatus potius videtur loqui de cognitione mandati, Deum diligendi, quam de illius executione, ut patet ex contextu; nam ftatim additur: *Neque procul pofitum, nec in cœlo fitum, ut poffis dicere:*

cere: Quis nostrum valet in cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos. Verba Ecclesiastici ostendunt quidem liberum hominis arbitrium, sed ideo non excludunt gratiam, ut notat S. Augustinus de grat. & lib. arbitr. cap. 15. Christus apud Matthæum loquitur de lege supernaturali, ad quam implendam gratiam esse necessariam aliunde patet. Apostolus denique solum docet, quod Deus gratiam, & potentiam moralem ad superandas tentationes nemini neget, nisi qui se prius fecerit indignum. Quod si ponas primam statim tentationem esse gravem, homo saltem initio eidem posset moraliter resistere, & sic acquirere auxilia ulteriora.

Dices 1. Quando Scriptura, Patres, & 170
Concilia dicunt, gratiam esse necessariam ad servandam legem, loquuntur de tota lege, prout etiam præcipit actus supernaturales, vel 2 de observatione, & victoria tentationum salutari; sic enim sufficienter contradicebant Pelagio, contra quem agebant. Resp. Neg. Ant. quoad utrumque membrum, nam 1 Patres, & Concilia gratiam requirunt etiam ad servandam legem naturaliter in corde scriptam, & ad vincendas illas tentationes, quæ frequenter occurrunt; hæ autem plerumque sunt contra legem naturalem, & Apostolus aperte loquitur de illis, quæ oriuntur a concupiscentia carnis. 2. Quando requirunt gratiam ad observationem totius legis, & victoriam tentationum non addunt illam limitationem: Sicut oportet, quemadmodum illam addunt, quando agunt de quibusdam actibus moralibus bonis in particulari: ergo significant sine gratia nullo modo legem servari, aut tentationes vinci posse, sed hominem ab illis superari. Profecto si homo diu posset observare totam legem quoad substantiam sine gratia, liberum arbitrium non tantum parum, sed multum posset. 3. Patribus

& Conciliis vel maxime in Pelagianis etiam displicuit, quod assererent etiam legem mere naturalem sine gratia impleri, & omnes tentationes vinci posse.

471 Dices 2. Saltem justificatis gratia actualis non est necessaria ad legem naturalem servandam; nam Concilium Carthaginense II definit, gratiam justificantem non tantum valere ad remissionem peccatorum, quæ jam commissa sunt, sed etiam in adjutorium, ne committantur. Conf. Concilia, & Patres non faciunt discrimen inter tentationes leves, & graves; sed leves vinci possunt sine speciali gratia: ergo. Resp. Neg. Ant. rationem additam Dist. definit, gratiam justificantem valere immediate, & se sola, ne committantur peccata, Neg. quatenus ex bonitate, & promissione divina sibi habet annexas gratias actuales, Conc. Concilium damnat Pelagium docentem, quod gratia baptismalis tantum remittat peccata, non vero det jus ad auxilia actualia; hæc autem auxilia etiam justis ad servandam legem naturalem necessaria esse, imprimis patet ex Apostolo, qui utique justus erat, quando gratiam Christi imploravit contra rebellionem concupiscentiæ. Dein de justis expresse loquitur Cælestinus, cujus verba in probatione recitavimus. Denique Concilium Arausicanum II can. 10 clare statuit: *Adjutorium Dei etiam renatis, & sanctis semper esse implorandum, ut ad summum bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Ad Conf. Dist. Maj. Patres non faciunt discrimen explicite, Conc. Maj. implicite, Neg. Maj. Vid. num. 475.

472 Obj. 2. Lex naturalis est proportionata viribus naturæ: ergo homo etiam lapsus non habet impotentiam moralem illam servandi sine speciali gratia. Conf. Ad peccatum mortale requiritur potentia, & libertas moralis: ergo Deus non

potest

potest sub gravi obligare ad aliquid moraliter impossibile; neque enim hæc lex cederet in bonum subditorum. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. homo non habet impotentiam moralem absolute, Trans. Conf. conditionate, Neg. Conf. Impotentia moralis, quam habet homo lapsus ad servandam legem naturalem, solum datur conditionate, si videlicet non faciat, quantum est in se; si enim hoc faciat, habebit ulteriorem gratiam specialem, & quidem sibi debitam, sed ex suppositione alterius gratiæ, ut exsplicavi num. 291. Ad Conf. Dist. Ant. requiritur potentia moralis, id est, conjuncta cum advertentia ad malitiam, Conc. Ant. quæ excludat difficultatem moraliter insuperabilem, Neg. Ant. Quamvis in illis, quæ intrinsece non sunt mala, neque homo possit, neque Deus soleat obligare ad moraliter impossibile, justissime tamen obligat, si res est intrinsece mala, præsertim cum ejusmodi res non soleat esse moraliter impossibilis per se, sed tantum per accidens ratione circumstantiarum hic, & nunc involventium gravem difficultatem, unde ejusmodi lex tamen cedit in utilitatem subditorum.

Dices 1. Si homo haberet impotentiam physicam vincendi aliquam tentationem, non peccaret: ergo saltem non peccat graviter, si habet impotentiam moralem, tum quia in moralibus videtur esse idem, nullam habere potentiam, & habere potentiam tot difficultatibus impeditam, ut moraliter loquendo nunquam ponendus sit actus: tum quia per se a bonitate Dei videtur esse alienum, addicere hominem æternis pœnis ob culpam moraliter inevitabilem. Conf. potest contingere, ut quis per longum vitæ tempus nulla gravi tentatione contra legem naturalem infestetur; imo ad vincendam tentationem etiam gravem sæpe non requiritur actus positi- 473

vus, ad puram autem omiſſionem nequidem concurſus Dei generalis requiritur. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Qui habet impotentiam phyſicam, caret omni poteſtate, & libertate, non item qui habet tantum impotentiam moralem; ut vero aliquis damnetur propter ſolam culpam moraliter inevitabilem, nunquam contingit, ut patet ex numero ſuperiore. Ad Conf. Neg. Ant. hoc enim in tanta naturæ corruptione & tot peccandi occaſionibus, & illecebris moraliter eſt impoſſibile, ſicut moraliter dari nequit pura omiſſio, quando vincenda eſt gravis tentatio; imo ad hanc ipſam puram omiſſionem requireretur gratia præveniens, & inclinans voluntatem ad non conſentiendum.

474 Dices 2. Gentiles quidam vicerunt graviſſimas tentationes condonando atroces injurias, ſervando caſtitatem in occaſionibus maxime lubricis &c. Item ediderunt facinora ſumme heroica, ut in Marco Curtio, Mutio Scævola &c. Roma obſtupuit. Conf. Motivum honeſtum non habet minorem vim movendi, quam bonum delectabile: ergo ſi gravis tentatio moraliter poteſt vinci ex motivo boni delectabilis, etiam poteſt vinci ex motivo honeſtatis. Reſp. Victorias gentilium plerumque proveniſſe non tam ex amore virtutis, quam ex motivo vanæ gloriæ, & oſtentationis, ut pluribus oſtendit S. Auguſtinus lib. de patientia cap. 13; adeoque actus illi prava intentione vitiati, non fuerunt veri actus virtutum; aut ſi in caſu valde raro fuerunt, non ſunt exerciti ſine ſpeciali gratia ordinis ſaltem naturalis. Ad Conf. Diſt. Ant. ſi cætera ſint paria, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. & Conſ. Bona ſenſibilia, & delectabilia incurrunt in ſenſus, adeoque ſunt nobis longe magis nota, & applicata, ac naturæ corruptæ blandientia; unde ſit, ut honeſtas non ita æſtimetur, ut volun-

ta-

tatem ſufficienter inclinet, dum gravis tentatio in contrarium retrahit. Adde quod ex motivo vano raro tentatio vere, & omnino vincatur, quia licet omittatur actus externus, mens ſolet ita manere conſtituta, ut ſi non eſſet perdenda vana gloria, commodior ſuſtentatio &c. homo peccaret.

Obj. 3. Concilia, & Patres gratiam ad ſervandam legem naturalem requirunt eodem modo, quo eandem requirunt ad actus ſalutares: ergo homo nequidem habet potentiam phyſicam ſervandi legem naturalem. Conf. Juxta nos ipſa potentia phyſica diu ſervandi legem conſtitueretur per gratiam, nempe per illuſtrationem, inſpirationem, concurſum Dei &c. ſupernaturalem; hoc non poteſt dici: ergo. Min. Prob. Potentia phyſica eſt homini debita: ergo non poteſt conſtitui per aliquid indebitum; imo per ſe abſurdum eſt dicere, quod lex naturalis non poſſit ſervari per actus naturales. Reſp. Neg. Ant. Quippe etſi Patres, & Concilia utantur iisdem terminis, eos tamen accipiunt pro exigentia, & natura materiæ ſubjectæ; cum igitur actus ſalutares neceſſario debeant eſſe ſupernaturales, gratia ſupernaturalis ad illos eſt abſolute neceſſaria, quin ita neceſſaria ſit ad obſervationem legis naturalem. Ad Conf. Diſt. Maj. potentia phyſica conſtitueretur per gratiam ſupernaturalem neceſſario ex ipſa natura rei, Neg. Maj. ex libero Dei decreto, quo vult auxilia tantum ſupernaturalia concedere, Conc. Maj. & ſic Diſt. min. Neg. Conſ. Homini debetur quidem potentia phyſica ad ſervandam totam legem, ſed hæc potentia non debet neceſſario conſtitui per auxilia naturalia, quorum defectus abunde compenſatur per ſupernaturalia; quæ cum Deus gratuito conferre velit, neutiquam eſt abſurdum, quod ſuppoſito hoc decreto lex

naturalis non possit servari sine gratia supernaturali.

476 Dices. Si spectata natura rei homo posset physice servare totam legem naturalem sine gratia, gratia non amplius daret simpliciter posse, sed tantum facilius posse; hoc est contra concilia præsertim Carthaginense infra citandum: ergo. Conf. Juxta nos Deus, quoties dat auxilium supernaturale, & paratus est concurrere ad actum salutarem, semper etiam deberet esse paratus concurrere alio concursu non salutari, quia alias creatura non haberet omnia simpliciter, & physice ad agendum requisita; hoc inconveniens: ergo. Resp. Dist. Maj. gratia non amplius daret simpliciter posse physice, Transf. Maj. posse moraliter, Neg. Maj. qui habet impotentiam stricte moralem ita, ut non sit prudens spes e. g. vincendi aliquam tentationem juxta communem modum loquendi, etiam apud Patres & concilia receptum jam dicitur simpliciter impotens; hinc Tridentinum sess. 6 Can. 23. simpliciter dicit, sine speciali privilegio non posse vitari omnia peccata venialia, & tamen hæc impotentia est tantum moralis. Ad Conf. Neg. Maj. Vel enim Deus ponitur dare auxilium supernaturale, ut fit apud justos? & sic opus non est concursu naturali. Vel ponitur, quod auxilium supernaturale neget, ut fit apud peccatores, qui illo se indignos reddiderunt? & tamen datur potentia physica servandi legem, licet non detur potentia moralis; hinc licet juxta nos gratia supernaturalis, quando datur, potentiam physicam constituat; hæc tamen potentia etiam datur absente gratia supernaturali.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An ad servandam diu totam legem naturalem, & vincendas tentationes graves etiam necessaria sit fides, & gratia sanctificans?

Quod fides, & gratia sanctificans ad vincen- 477
das tentationes, & servandam diu legem mere naturalem non sit necessaria per se, & ex natura rei, patet ex quæstione præcedente; modo enim Deus daret gratias actuales; homo non solam haberet potentiam physicam, sed etiam moralem; hinc quæstio præcise versatur in eo, an Deus in hac providentia ordinarie velit, & soleat gratias, ad observandam totam legem necessarias, conferre iis, qui gratia fidei vel gratia sanctificante destituti sunt. Præscinditur autem rursus a statu elevationis, & solum agitur de victoria tentationum & observatione legis naturalis non salutari, per longum tempus, potentia completa; & quod substantiam. Pro necessitate fidei, & gratiæ sanctificantis stat D. Thomas, Albertus Magnus, Bonav. Gregorius de Valentia, Sotus, Molina, Tanner &c. contra Scotum, Durandum, Abulensem, aliosque respective paucos.

Dicendum. Deus in hac providentia gra- 478
tias ad moraliter, & diu servandam legem necessarias ordinarie non solet dare infidelibus, & peccatoribus gravibus. Prob. 1. S. Paulus ad Rom. 8 v. 2 & seqq. ait: *Lex enim Spiritus vitæ in Christo JEsu liberavit me a lege peccati, & mortis; nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis.* Per quæ verba Apostolus fidei, & vitæ spirituali, quam habemus in Christo, adscri-

ſcribit potentiam ſervandi legem naturalem; diſſerit enim de præcepto *non concupiſces*, & præcepta decalogi ſine gratiæ auxilio ſpectata legem peccati appellat, ut cum aliis notat Vaſquez. Hoc ipſo textu uſus eſt S. Auguſtinus ad noſtram concluſionem probandam lib. de Spiritu, & litt. ibi cap. 26 ita habet: *Sic intelligendum eſt: factores legis juſtificabuntur, ut ſciamus eos aliter non eſſe factores legis, niſi juſtificentur: ut non juſtificatio factoribus accedat, ſed ut factores juſtificatio præcedat.* Et lib. de catechizandis rudibus cap. ult. ait: *Legem diligendi Deum, & proximum non implere, niſi, qui acceperit Spiritum ſanctum.*

479 Probatur 2 ex Concilio Milevitano II, vel ut alii volunt Carthaginenſi IV, quod can. 5 ita ſtatuit: *Quicunque dixerit, ideo nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius poſſemus implere per gratiam, tanquam etſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſſemus etiam ſine illa divina implere mandata, anathema ſit.* Ratio congrua concluſionis eſt, quia homo ſine fide, & gratia ſanctificante eſt habitualiter averſus a Deo, & propter peccata præcedentia indignus illo ſpeciali Dei favore, quem juſtis, & amicis ſuis per ſpecialia auxilia exhibere ſolet; hinc Thren. I v. 8 dicitur: *Peccatum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.* Nempe ut Greg. Magnus lib. 25 in Jobum ait: *Peccatum, quod pœnitentia non diluit, mox ipſo ſuo pondere ad alia trahit, Deo videlicet obligatam peccatis mentem juſto judicio in alteram culpam cadere permittente.* Quod auctor operis imperfecti Homil. 37 in Matth. exſplicat ſimilitudine navis, quæ fracto gubernaculo illuc ducitur, ubi tempeſtas voluerit.

Obje-

Objectiones.

Obj. 1. Apostolus ad Rom. 2 v. 14 ait: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Et ad Philipp. 3 v. 6 de se ipso fatetur, se nondum sub gratia, sed sub lege constitutum: *Secundum justitiam, quæ in lege est, conversatum sine querela*: ergo præcepta naturalia possunt servari sine fide, & gratia justificante. Conf. Matth. 19 v. 17 adolescens nondum fide imbutus Christo dicenti: *Serva mandata*, v. 20 respondit, *omnia hæc custodivi a juventute mea.* De Cyro autem Isaias cap. 44 v. 28 ait: quod *omnem voluntatem Domini compleverit.* Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. possunt servari aliquamdiu, præsertim si non urget gravis tentatio aut difficultas, Conc. Conf. diu, Neg. Conf. Apostolus de se tantum fatetur, quod fuerit irreprehensibilis in lege exterius; nam ad Tit. 3 v. 3 ait: *Eramus aliquando insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis, & voluptatibus variis &c.* Ad Conf. Juvenis Evangelicus erat Judæus, adeoque jam fuerat imbutus fide explicita in Deum, & implicita in Christum. Cyrus vero tantum dicitur complevisse ea, quæ erant de populo Israelitico ex captivitate dimittendo, & restituendo templo. De cætero fuit idololatra, & regnorum alienorum invasor. 480

Dices. S. Chrysostomus Homil. 5 in epist. ad Rom. scribit: *Admiratione dignos esse gentiles, quod nec lege ipsis opus fuerit, & tamen omnia, quæ legis erant, præstiterint.* S. Hilarius in expositione Psalmi 68, eos *in libro viventium scriptos esse, qui antea sine ulla Christi cognitione pie in lege versati, omnia præscripta legis impleverint*: Ergo sine fide lex naturalis diu potest servari. Resp. S. Chrysostomus Homil. 13 in eandem epistolam 481

stolam expresse docet: *Legem non sufficere sine gratia; nec sine illa haberi posse salutis spem ac tentationum victoriam.* Unde loco objecto tantum vult, in tota collectione gentilium omnes leges naturæ observatas fuisse, & a singulis aliquas, quando in oppositum non urgebat gravis tentatio, quod non est admiratione indignum in hominum colluvie, dæmonum & idolorum servitiis mancipata. S. Hilarius ibi distinguit inter viventes, & justos: per justos intelligit, qui vivunt in justitia Christi, & mandata Dei, tam interne, quam externe servant; viventes vero appellat illos, qui externe pro viris probis, ac justis habentur, licet interne operentur prava intentione, & ex perverso fine. Hos ait vita corporali vivere tranquille, nec per ullam legem humanam morte puniri, cum solus Deus sit scrutator cordium.

482 Obj. 2. Infideles, & peccatores tenentur servare præcepta naturalia: ergo possunt illa servare; nam ut S. Augustinus lib. de natur. & gratia cap. 43 ait: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis.* Conf. Modo Deus conferat gratiam actualem, quando urget præceptum, aut gravis instat tentatio, hæc jam sufficit ad abstinendum a peccato: ergo fides & gratia sanctificans non requiritur. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. ergo illa sine gratia possunt servare potentia physica, Conc. Conf. morali, Neg. Conf. Neque tamen ideo ad peccandum sunt absolute necessitati, quia licet non habeant potentiam proximam ad peccata vitanda, habent tamen remotam, in quantum se ad fidem, & gratiam possunt disponere, vel saltem a Deo petere auxilia ad illam disponentia. Quod si ne quidem hoc faciant, propria culpa in necessitatem mo-

moralem se conjiciunt, ut patebit ex disputatione sequente quæstione 5ta. Ad Conf. Conc. Ant. Dist. Conf. ergo fides, & gratia sanctificans non requiritur ex natura rei, Conc. Conf. ex libero decreto Dei, quo vult, ut homines per fidem, & justificationem ad recipienda auxilia necessaria se disponant, Neg. Conf. nam ut Joann. 14 v. 24 dicitur: *Qui non diligit me, sermones meos non servat.*

Dices. Gratia habitualis datur præcise ad 483
hominem sanctificandum, non ad operandum; ad hoc enim datur gratia auxilians: ergo nihil confert ad observationem legis. Conf. Homo in statu puræ naturæ non indiguisset gratia sanctificante ad servandam totam legem: ergo neque in statu naturæ lapsæ, cum in hoc non sit debilior. Resp. Dist. Ant. gratia habitualis non datur ad operandum directe, Conc. Ant. indirecte, tanquam removens obicem, Neg. Ant. Gratia sanctificans removet peccata, & facit hominem filium adoptivum Dei: sicut ergo convenit, ut Deus filiis suis præbeat auxilia moraliter sufficientia, quibus tentationes vincere, & in amicitia perseverare valeant; ita merito ista auxilia negat iis, qui se nolunt ad Deum convertere per dilectionem, a qua observantiam legis incipere deberent. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. In statu puræ naturæ homines antequam graviter peccassent, nihil habuissent, quo se auxiliis naturalibus fecissent indignos, neque ad gratiam sanctificantem unquam se disponere potuissent; hinc utique Deus huic gratiæ sua auxilia non alligasset.

Obj. 3. Homo sine gratia sanctificante po- 484
test servare singula præcepta, & vincere singulas tentationes distributive sumptas: ergo successive potest servare totam legem, quia per victorias antecedentes acquisivit habitum, & faci-

li-

litatem. Conf. Multi hæretici longo tempore vixerunt cum magna laude, & probitate; imo aliqui pro erroribus ſuis mortem ſuſtinuerunt: ergo. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Habitus voluntatis juxta philoſophos conſiſtunt in ſpeciebus experimentalibus repræſentantibus delectationem perceptam in actibus præcedentibus, & in negatione ſpecierum repræſentantium moleſtiam in iisdem actibus, vel delectationem æqualem in actibus oppoſitis; jam vero victoriæ præcedentes non ſemper relinquunt ſpecies experimentales de delectatione in illis percepta, ſed potius magnæ alicujus moleſtiæ, quæ difficultatem novæ victoriæ auget, ut pluribus videbitur quæſtione ſequente. Ad Conf. dico, ejusmodi hæreticos vel tantum fuiſſe materiales, vel ſi pertinaciter errori ſuo adhæſerint, probitatem illorum tantum fuiſſe externam. Certe pro errore agnito non potuerunt mori ex amore virtutis, ſed tantum ex obſtinatione, aut alio motivo vitioſo. Quod ſi aliqui etiam pro articulis veris mortui ſint, nondum ſequitur, quod fecerint ex amore virtutis, niſi forte per gratiam divinam converſi implicite amplexi eſſent fidem catholicam.

485 Dices. Si ad legem Dei diu ſervandam requiritur ſtatus gratiæ, homo ſine revelatione poteſt ſcire, ſe eſſe in gratia; cum enim peccatum mortale debeat procedere ex plena deliberatione, homo per experientiam ſcire poteſt, ſe diu a peccato mortali abſtinuiſſe. Conf. Tali modo homo ſtatim poſt admiſſum peccatum grave deberet agere pœnitentiam, quia alias ſe exponeret periculo iterum peccandi. Reſp. Neg. Ant. cum ratione addita; cum enim dentur tentationes, & occaſiones peccandi plurimæ, nemo poteſt eſſe moraliter certus, quod longo tem-
po-

pore nunquam peccaverit præſertim per actus internos, qui uno die eliiciuntur innumeri, de quibus omnibus nemo ſignate poteſt cognoſcere, aut reſpondere, utrum non forte breviſſimo tempore in rem illicitam conſenſerit, aut egerit in dubio practico, vel cum ignorantia vincibili. Ad Conf. Neg. ſequelam, quia non ſemper ſtatim poſt peccatum occurrit tentatio gravis, adeoque hoc periculum ſolum eſt remotum. Adde, quod in hac concluſione non loquamur de ſingulis tentationibus, ſed de obſervatione legis per longum tempus, quodnam autem tempus hic longum debeat dici, & quamdiu Deus etiam peccatoribus gratias ſuas largiatur, nemo facile audebit determinare.

QUÆSTIO VI.

Qualis gratia requiratur ad vitanda omnia peccata venialia?

Sicut facile poteſt contingere, ut breviſſimo 486 aliquo tempore vix aliquæ occurrant tentationes, & peccandi occaſiones, adeoque omnia peccata venialia evitentur, quemadmodum lib. 3 contra Pelagianos advertit S. Hieronymus: ita idem S. Doctor lib. 2 inter errores Pelagianorum numerat; *Poſſe hominem eſſe absque omni peccato*, nempe diu, & ex ſolis viribus naturæ. Imo S. Auguſtinus lib. de dono perſeverantiæ cap. 2 inter ea, quæ contra Pelagianos defendit Eccleſia, ſecundo loco recenſet iſtud: *In quantacunque juſtitia ſine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere.* Hæc ipſa doctrina Eccleſiæ, ut magis ſtabiliatur, quæritur hic, an homo ſaltem juſtus, & gratiis ordinariis inſtructus poſſit moraliter vitare omnia peccata venialia per totam vitam, aliquanto diutius durantem ſtante uſu rationis. Idem

eſt de longiore vitæ tempore ; ſi enim omnia venialia tam plene quam ſemideliberata ab aliquo poſſent vitari per longum tempus, ab alio etiam poſſent vitari per totam vitam, cum ſæpe, quod uni eſt longum vitæ tempus, & pars annorum, alteri ſit tota vitæ periodus.

487 Dicendum. Nullus homo etiam juſtificatus per longius tempus moraliter poteſt vitare omnia peccata venialia ſine ſpeciali Dei privilegio. Prob. ex S. Scriptura, quæ paſſim aſſerit Deum juxta ordinariam providentiam non dare auxilia tam fortia, quæ conſtituant potentiam moralem ad omnia peccata venialia vitanda per longius tempus. *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*, Eccleſ. 7 v. 21. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, 1 Joan. 1 v. 8. *Dimitte nobis debita noſtra*, Matth. 6 v. 12. Quam orationem omnium etiam juſtorum eſſe advertit S. Auguſtinus lib. de natur. & grat. cap. 35, de Pelagio ita ſcribens : *Parum attendit, cum ſit acutiſſimus, non fruſtra etiam juſtos in oratione dicere : dimitte nobis debita noſtra.* Sed clariſſime veritatem noſtræ concluſionis definivit concilium Tridentinum ſeſſ. 6 can. 23 his verbis: *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.*

488 Probatur concluſio 2 ratione, quam indicat S. Hieron. lib. 2 contra Pelagian. Ex una parte occaſiones peccandi venialiter in hac mortali vita ſunt frequentiſſimæ, & diverſiſſimæ ; ex altera parte voluntas humana eſt valde fragilis, mutabilis, & debilis ad reſiſtendum tentationibus quaſi continuis ad peccatum allicientibus: ergo. Conf. Si cum ordinariis gratiæ auxiliis ho-

mo justus per totam vitam moraliter posset omnia peccata venialia vitare, aliqui his auxiliis adjuti illa actu vitassent; atqui non vitarunt, ut colligitur ex adductis textibus Scripturæ, & Tridentino, quod solam B. Virginem, & quidem ex speciali privilegio eximit. Idem facit S. Augustinus lib. de natura, & gratia cap. 36 dicens: *Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos, & Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? nonne una voce clamassent: si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est.*

Interim S. Augustinus hoc non audet definire tanquam certum; nam lib. de perfect. justitiæ cap. 21 ait: *Si excepto illo capite nostro* (Christo) *asseruntur vel fuisse, vel esse in hac vita aliqui homines justi sine peccato* (intellige ex speciali Dei privilegio) *non nimis existimo reluctandum.* Facilius admitti potest 1 viros quosdam eximie sanctos e. g. Joannem Baptistam, & Apostolos post acceptum Spiritum sanctum nullum commisisse peccatum veniale plene deliberatum. 2. Alios ne quidem semideliberate unquam peccasse in certa aliqua specie peccati, sic S. Josephus probabilissime nullum ne levissimum quidem peccatum contra puritatem admisit. 3. Viros perfectionis studiosos sæpe vitare omnia prorsus venialia per breve aliquod tempus. Quamquam quodnam tempus hic breve, vel longum censeri debeat, prorsus incertum sit: Tridentinum sess. 6 cap. 11 peccata venialia vocat quotidiana, sive, quia quotidie committuntur, sive, quia frequentia sunt, *in quæ*, ut ibidem loquitur, *quantumvis sancti, & justi in hac mortali vita quandoque cadunt.* 489

Objectiones.

490 Obj. 1 Scriptura Matth. 5 v. 48 nos hortatur, *ut simus perfecti, sicut Pater cœlestis perfectus est;* imo multos laudat tanquam *immaculatos*, Ecclesiam vero Christi ad Ephes. 5 v. 27 dicit: *Non habere maculam, neque rugam*, quod saltem verificari in præcipuis Ecclesiæ membris, Sanctis nempe, & perfectis: ergo peccata venialia moraliter possunt vitari per totam vitam. Conf. 1 Joan. 3 v. 9 dicitur: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est:* ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Quando Scriptura nos hortatur ad perfectionem, & homines quosdam vocat immaculatos, loquitur de perfectione, & puritate illa, cujus homo in hac vita capax est; hæc autem juxta S. Augustinum tria complectitur, multitudinem bonorum operum, fugam peccatorum mortalium, & raritatem venialium præcipue deliberatorum. In eodem sensu dicit Ecclesiam esse sine ruga, & macula, nisi potius sermo sit de Ecclesia triumphante. Ad Conf. Dist. Ant. qui natus est ex Deo nativitate, seu regeneratione consummata in patria, non peccat, nec peccare potest, Conc. Ant. qui tantum natus est regeneratione inchoata in via, subdist. non peccat, nec peccare potest graviter, & in sensu composito justitiæ, Conc. Ant. leviter, vel in sensu diviso, Neg. Ant. Distinctio est juxta mentem S. Augustini lib. 2 de peccator. merit. cap. 7. & lib. 1 contra Gaudentium cap. 30.

491 Dices 1. De S. Joanne Baptista Christus Matth. 11 v. 11 testatur, quod *inter natos mulierum non surrexerit major*, qui ideo desertum petiit: *Ne levi saltem maculare vitam facinore posset*, ut de ipso canit Ecclesia. De Jobo cap. 1 v. 8 legitur, *Quod non sit ei similis in terra, homo sim-*

ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo. Apoſtoli poſt acceptum Spiritum ſanctum fuerunt confirmati in gratia: ergo. Conf. S. Paulus 2 ad Tim. 4 v. 7 de ſe ipſo ſcribit: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, de reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ,* quod non diceret, ajunt Pelagiani apud Auguſt. lib. 2 de peccat. merit. ſi haberet ullum peccatum. Reſp. Chriſtus de S. Joanne ſolum dicit, quod fuerit maximus inter reliquos Prophetas veteris teſtamenti, ut colligitur ex cap. 7 Lucæ v. 28. Hymnus vero Eccleſiæ ſolum teſtatur, quod dicta intentione deſertum petierit, an vero illam fuerit aſſecutus non pronuntiat. Dein etſi S. Joannes omnium Sanctorum fuiſſet maximus, nondum ſequeretur, quod nunquam peccaverit venialiter, ne quidem ſemideliberate. Idem dic de Jobo quantumcunque recto, & juſto, & de Apoſtolis in gratia tantum confirmatis contra peccata gravia. Ad Conf. reſpondet S. Auguſtinus: Paulum hic ſolum prædixiſſe, quod firmiſſime ſperaverat futurum eſſe in altera vita; potuit autem coronam juſtitiæ ſperare, etſi in vita aliquoties leviter peccaverit.

Dices 2. Quando Scriptura dicit, quod om- 492
nes homines peccent, ſolum ſignificat, quod juſti fateri debeant, ſe habere peccata vel humilitatis gratia, vel 2do, quia ſunt pars populi, qui in peccatis eſt: ergo ex citatis Scripturæ teſtimoniis nihil pro nobis probatur. Reſp. Neg. Ant. quoad utrumque membrum. Contra primum eſt; quia S. Joannes dicit: *Veritatem in nobis non eſſe, ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus:* ergo debemus nos confiteri peccatores, quia revera tales ſumus. Ita hunc textum intellexit S. Auguſtinus ſerm. 29 de verbis Apoſtoli, & Concilium Milevitanum, quod can. 6 ita definivit: *Quisque ſic accipiendum pu-*

taverit, ut dicat, propter humilitatem dici nos habere peccatum, non quod vere ita ſit, anathema ſit. Contra 2dum eſt, quia Scriptura expreſſe ait, non eſſe hominem, qui non peccet; hinc merito eadem ſynodus Milevitana II cap. 7 rejicit exſplicationem, qua Pelagiani contendebant illa orationis dominicæ verba: *Dimitte nobis debita noſtra*, a Sanctis tantum dici pro aliis non Sanctis, & Juſtis. Tridentinum vero ſeſſ. 6 cap. 11 inquit: *Illa vox eſt & humilis, & verax; dimitte nobis debita noſtra.*

493 Obj. 2. Homo juſtus ſine ſpeciali privilegio moraliter, & per totam vitam poteſt vitare ſingula peccata venialia diſtributive ſumpta: ergo etiam omnia collective ſumpta; nam tota collectio nunquam ſimul occurrit, & aliter vitari nequit, quam vitando ſingula. Conf. Qui ſemper facit, quantum poteſt, nunquam peccat: ergo cum homo ſemper poſſit facere, quantum poteſt, poteſt nunquam peccare. Reſp. Diſt. Ant. poteſt vitare ſingula quoad ſubſtantiam, non tamen pro omnibus circumſtantiis, Conc. Ant. etiam pro omnibus circumſtantiis, Neg. Ant. Quamvis homo plene ſibi præſens, & habens vires vegetas poſſit moraliter vitare quodlibet e. g. mendacium, impatientiam &c. poteſt tamen contingere, ut detur tanta laſſitudo animi, tantum ex frequentia tentationum tædium, tanta vehementia paſſionis, & tam debilis cognitio motivorum abſterrentium a veniali, ut pro his circumſtantiis moraliter ſit neceſſitatus ad unam determinatam e. g. impatientiam, & quidam pro hoc inſtanti: Alii cum Suario dicunt, hominem moraliter neceſſitari tantum ad aliquod veniale indeterminatum neceſſitate quadam vaga, ac diviſa; hinc licet ſingula determinate poſſent evitari, ideo non poſſe vitari collectionem.

nem. Ad Conf. Conc. Ant. Dist. Conf. ergo potest nunquam peccare potentia physica, Conc. Conf. morali, Neg. Conf. & suppositum, quod moraliter omne illud possit, ad quod habet potentiam physicam.

Dices. Homo vitando aliqua peccata veni- 494
alia non fit debilior, sed potius magis potens, tum quia per suas victorias a Deo semper novas gratias, & vires meretur; tum quia voluntas tanquam potentia spiritualis per ipsum exercitium magis perficitur. Conf. In statu puræ naturæ non fuisset data impotentia moralis vitandi omnia venialia; alias Deus fuisset illius auctor: ergo a pari. Resp. Neg. Ant. Quamvis uberiores gratiæ, & priores victoriæ serviant ad evitanda peccata venialia similia, & in similibus circumstantiis, item ad alia diminuenda, non tamen tollunt moralem necessitatem pro omnibus aliis circumstantiis valde dissimilibus; quippe actus frequentati ad summum generant habitum ad actus similes; voluntas autem dependet a sensibus, qui semper magis defatigantur, ut adeo occurrentibus identidem novis tentationibus tandem succumbere debeat. Sic licet suspensus in equuleo aliquamdiu vincat impatientiam, ideo non acquirit facilitatem illam vincendi, sed difficultas semper augetur, & ideo ad impatientiam fit pronior, unde in hac materia nullum est argumentum affirmativum a sensu distributivo ad collectivum. Ad Conf. Neg. Ant. rationem additam Dist. Deus esset auctor hujus impotentiæ realiter acceptæ, in quantum scilicet est auctor ipsius naturæ, Conc. impotentiæ formaliter acceptæ, Neg. sic enim est defectus naturæ.

Obj. 3. Lex prudens non potest obligare ad 495
aliquid, quod independenter a nostra culpa moraliter est impossibile; sed lex Dei obligat ad vitanda omnia peccata venialia: ergo. Maj. Prob.

Non poteſt dari lex prudens, quæ aliquem obliget, ut per totum diem projiciendo aleas ſemper jaciat eundem numerum; ergo. Conf. Qui inter homines ſub pœna capitis prohiberet actiones moraliter inevitabiles, & frequenter admodum occurrentes, cenſeretur tyrannus: ergo Deus non poteſt ejusmodi actiones prohibere ſub pœna purgatorii longe graviori. Reſp. Neg. Ant. de lege divina naturali, præſertim obligante ſolum leviter. Ad Prob. Conc. Ant. Neg. Conſ., & ſuppoſitum, quod jactus ille alearum cum eodem ſemper numero ſolum moraliter ſit impoſſibilis; nam homo ne quidem habet poteſtatem phyſicam ſingulis jactibus jaciendi eundem numerum, cum hoc non dependeat ex libera illius electione, ſed tantum caſu fieri deberet. Ad Conf. Neg. Conſ. Nam præterquam quod Deus longe ſtrictius, & gravius poſſit obligare quam legislator humanus, lex obligans ſub pœna purgatorii ad vitandas culpas veniales eſt homini utilis ad acuendam vigilantiam Chriſtianam, ad majorem cautelam, & diffidentiam de propriis viribus, ad humilitatem, pœnitentiam &c. quibus actibus plurimum augetur gratia, & gloria; jam vero unicus gradus gratiæ, & gloriæ eſt homini bonum incomparabiliter majus, quam immunitas a purgatorio per centum annos.

496 Dices. Tali modo nemo poſſet edere votum nunquam peccandi venialiter, quia votum de re moraliter impoſſibili eſt invalidum. 2. Nullus poſſet concipere propoſitum efficax vitandi omnia, & ſingula peccata venialia; nemo enim poteſt prudenter proponere id, quod ſcit nunquam eſſe futurum. 3. Non poſſemus a Deo petere evitationem omnium venialium, ſicut illam non poſſumus ſperare. Reſp. ad 1. Cum homines perfectionis ſtudioſi poſſint moraliter vi-

vitare venialia deliberata, saltem possunt concipere votum de vitandis deliberatis, imo forte etiam de semideliberatis, quia juxta Suarium, & alios ad valorem voti sufficit, si possit impleri a potiori, ut colligunt ex votis religiosis, contra quæ longo tempore nunquam ne quidem subreptitie peccare respectu multorum videtur esse moraliter impossibile. Ad 2. Impossibilitas moralis non obstat, quo minus possit concipi propositum affective efficax, quod saltem excludat actualem peccandi voluntatem, præsertim quia immunitatem ab omni veniali possumus sperare pro brevi tempore, ultra quod forsan se non extendet vita nostra. Ad 3. Ex eadem ratione possumus hanc immunitatem petere a Deo. Certe peccata venialia semper possumus diminuere, cumque ignotus sit terminus, quem per gratias ordinarias in illorum fuga moraliter possumus consequi, bene petimus liberari ab omnibus.

DISPUTATIO III.

De gratia sufficiente.

Gratiam sufficientem præter alios humanæ libertatis eversores præcipue impugnarunt Lutherus, & Calvinus, contendentes in statu naturæ lapsæ omne auxilium divinum esse tale, cui voluntas necessario consentire debeat. *Voluntatem*, inquit Calvinus lib. 2. Instit. cap. 3, *movet gratia non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostræ postea sit electionis motioni illius obtemperare, aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo.* Quod Lutherus de servo arbitrio explicat hac comparatione: *Humana voluntas in medio posita est, ceu jumentum; si insederit Satan, vult, & vadit, quo vult Satan. Si insederit Deus, vult, & vadit, quo vult Deus.* U- 497

trumque istum Hæresiarcham proxime secutus est Bajus, Jansenius, & Quesnellus, quorum pestifera doctrina cum hodiedum per varias provincias Galliam præsertim, & Belgium eo perniciosius, quo occultius grassetur, necessarium est, ut Jansenianum de gratia systema enucleatius exsplicemus.

Synopsis historica Jansenismi

498 Cornelius Jansenius, de quo hic agimus, natus est anno 1585 in territorio Leerdamensi apud Batavos exiguo loco, Avoy dicto, litteris humanioribus Ultrajecti, philosophicis, ac Theologicis Lovanii operam dedit Magistro Jacobo Jansonio doctrinæ Baji strenuo defensore. Vixit postea aliquamdiu Parisiis & Bajonæ, ubi consilio, & impulsu Abbatis San-Cyrani, quocum Lovanii amicitiam contraxerat, duodecim annis lectioni operum S. Augustini se impendit. Decies omnes Augustini libros, illos vero, quibus Pelagiana hæresis confutatur, facile trigesies evolvisse, testatur vitæ synopsis ejus operibus præfixa. Bajona Lovanium reversus anno 1617 Doctor Theologiæ renuntiatus, & anno ejusdem sæculi 30 a Philippo III Hispaniarum Rege sacræ Scripturæ Professor constitutus est, quinquennio post electus Episcopus Iprensis, cum diœcesi tantum triennio præfuisset, lue ibidem grassante extinctus est.

499 Fuerat Jansenius juxta memoratæ synopsis auctorem ingenio præditus acerrimo, judicio gravissimo, memoria capacissima. His junxit studium diu, noctuque indefatigabile; rebus autem semel prudenter statutis inhærebat acriter, magnanime, ac constanter. Attamen teste Abbate a S. Germano, qui illum familiariter noverat, incredibili superbia contemptis omnibus reliquis se solum æstimabat, utpote qui puram divi

vi Augustini doctrinam per plura sæcula in scholis catholicis ignoratam tandem detexisset. Hinc libro suo titulum inscripsit *Augustinus*. Constat ille uno grandiore volumine in tres tomos diviso; primus continet 8 libros de hæresi Pelagiana; secundus unum de ratione, & auctoritate in rebus theologicis, unum de gratia primi hominis, & Angelorum, quatuor de statu naturæ lapsæ, tres de statu naturæ puræ: tertius tomus complectitur libros 10 de gratia Christi Salvatoris; hi videntur esse finis, & scopus totius operis, quibus addidit epilogum, & adhuc unum librum, qui dicitur parallelus erroris Massilensium, & opinionis quorundam Recentiorum.

Viginti duos annos in perpoliendo opere 500
suo impendit Jansenius, & paulo ante mortem absolvit. Quamquam autem firmiter sibi persuasum haberet, in hoc opere vix aliquid mutari posse, illud tamen ante mortem Romanæ Ecclesiæ, & Pontificis maximi judicio subjecit. *Si tamen*, ajebat propediem moriturus, *Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, & illius Ecclesiæ, in qua semper vixi, usque ad lectum mortis obediens sum.* Utrum hæc submissio fuerit sincera, dubitant aliqui; nam licet prius in epistolis ad Sancyranum ipsemet fassus sit: *Se adduci non posse, ut credat, opus suum a Judicibus* (Romano nempe Pontifice) *approbandum unquam fore; hinc daturum operam, ne se vivente in lucem prodeat, quo vitæ suæ tranquillitas possit turbari*; tamen hunc amicum suum solicite rogavit, ut sibi potentum, ac nobiliorum gratiam conciliaret, & communitates Religiosorum ad suas partes pertraheret, quod viri hujusmodi soleant rem susceptam ardentius prosequi, & ab incepto nunquam recedere. Ipsum vero librum moriens legavit suo Capellano, ea

con-

conditione, ac lege, ut eundem typis mandari curaret.

501 Cum Auguſtinus Janſenii excuderetur Lovanii, ſingula folia recens impreſſa Romam ad examen mittebantur, inde factum, ut opus vix editum ab Urbano VIII per conſtitutionem In eminenti anno 1641 prohibitum ſit, tum quod multas contineret aſſertiones Baji a Pio V & Greg. XIII jam proſcriptas, tum quod editum eſſet contra decretum Pauli V & ipſius Urbani de non promulgandis ullis circa materiam de auxiliis divinæ gratiæ operibus. Contra hanc Bullam tanquam ſubreptitiam conqueſti ſunt Lovanienſes, deputatis Romam Synnichio, & Papio, qui libri Janſeniani cauſam agerent; ideo Urbanus tres ex ſupremis inquiſitoribus Cardinales deputavit, qui Lovanienſium querelas diſcuterent, quod ubi longo, & accurato examine factum erat, emiſſo anno 1644 per ſacram congregationem generalis iniquiſitionis decreto juſſit, ut præfatæ bullæ fides habeatur, & ſuper dubitationibus & querelis circa eam quomodocunque excitatis, vel excitandis perpetuum ſilentium ſervaretur. Neque tamen ob infinitas defenſorum Janſenii molitiones a miniſtris Regis Catholici obtineri potuit, ut Bulla Urbani in Belgio ſolemniter promulgaretur, donec Innocentius X ipſius Regis Catholici juſſu, ac cura Leopoldi Archiducis id effecit, impoſita etiam lege, ut qui ad officium ſeu civile, ſeu Eccleſiaſticum promoveri cuperent, propria ſyngrapha, ac juramento teſtarentur ſe conſtitutionem Urbani debita obedientia acceptare.

502 Interea Bulla Urbani VIII etiam Pariſios, & Regis mandato ad S. facultatem delata eſt, quæ ſuis omnibus ſevere injunxit, ne aliquam ex damnatis a Pio V. & Gregorio XIII propoſitionibus propugnarent. Cum vero circa annum 1649 quidam Baccalaurei novitatis ſtudio ab-

abrepti in publicis theſibus Janſenianas aſſertiones defenderent, deputati a ſacra facultate ex Janſenii opere famoſas quinque propoſitiones extraxerunt; unde tumultus, & turbæ inter Sorbonicos. Pars melior inſtabat, ut propoſitiones facultatis theologicæ judicio proſcriberentur, ex altera vero parte Janſenii fautores nihil non agebant, ut condemnationem impedirent. Præſules vero Gallicani conſultius judicarunt, ſi tota hæc cauſa ad Innocentium X Urbani ſucceſſorem deferretur. Quare 85 Epiſcopi ſolemnem epiſtolam Iſaaci Haberti Fabrenſis manu exaratam ad Pontificem mittunt, rogantes, ut dictas quinque propoſitiones examini ſubjiciat, & perſpicuam ac certam de unaquaque ſententiam ferat. Huic damnationi datis pariter ad Pontificem litteris ſe oppoſuere undecim alii Epiſcopi, contendentes legitimum judiciorum ordinem, & Eccleſiæ Gallicanæ conſuetudinem exigere, ut majores quæſtiones primum ab Epiſcopis examinarentur, quaſi vero 85 Epiſcopi ignoraverint ſua jura, & non ſingulæ ferme juris canonici paginæ teſtentur, cauſas præſertim majoris momenti ab Epiſcopis ad Sedem Apoſtolicam referri ſolere.

Acceptis Epiſcoporum litteris Innocentius 503
anno 1651 congregationem inſtituit, quæ delatas propoſitiones examinaret. Quinque Cardinales ad id nominati, ob eximiam ſcientiam, longum rerum uſum, & morum probitatem celeberrimi. Secretarii munus delatum Albizzio, alias ſacri officii aſſeſſori. Conſultores deſignati tredecim duo Theatini, unus Jeſuita, duo Dominicani, duo Auguſtiniani, duo Minoritæ, duo Carmelitæ diſcalceati, unus Capucinus, & unus Servita, qui inter totius Italiæ doctiſſimos habebantur. Ex his libro Janſenii favebant ambo Dominicani Vincentius Candidus Magiſter S.

Pa-

Palatii, & Vincentius de Pretis Commiſſarius S. Officii, Generalis Auguſtinianus Viſconti, & Lucas Wadingius Minorita. Advenerunt quoque ex Gallia ab utraque Epiſcoporum parte deputati, quibus negata quidem ſolemnis ac publica diſputatio, libera tamen poteſtas conceſſa, ut cauſæ ſuæ momenta coram congregatione vel oretenus, vel ſcripto exponerent. Duorum annorum ſpatio 36 congregationibus res ea diligentia, qua major, ut ait Alexander VII, non poſſet deſiderari, diſcuſſa eſt, donec tandem Innocentius X edita ſolemni conſtitutione: *Cum occaſione,* quinque propoſitiones Janſenii, & ex illis quamlibet ſingulari, ac diſtincta nota perſtrinxit.

504 Defenſores Janſenii, ut hanc conſtitutionem eluderent, contenderunt, cenſuratas quinque propoſitiones in libro Janſenii non reperiri, vel certe in alio ſenſu damnatas fuiſſe, quem in finem jam antea varios propoſitionum ſenſus in ſcripto quodam, trium columnarum dicto, Innocentio obtulerant. Verum Alexander VII anno 1656 novam conſtitutionem: *Ad S. beati Petri Sedem &c.* edidit, in qua definit, ac declarat, quinque propoſitiones ex Auguſtino Cornelii Janſenii excerptas, ac in ſenſu ab eodem Janſenio intento damnatas fuiſſe. Quippe 85 Epiſcopi Galliæ illas denuntiarunt cum reſpectu ad ſuum auctorem, quando ad Innocentium ſcripſerunt, motus illos ac turbas exortas fuiſſe *Ob librum poſthumum, & doctrinam Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi;* ipſe vero Innocentius ſuam conſtitutionem ita inchoaverat: *Cum occaſione impreſſionis libri, cui titulus, Auguſtinus Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, inter alias ejus opiniones orta fuerit in Gallis controverſia ſuper quinque ex illis &c.* Verum quidem eſt, in congregatio-

gationibus propositiones non fuisse consideratas juxta mentem Calvini, Thomistarum, vel Molinæ, prout in scripto trium columnarum postulaverant Janseniani: at cum Innocentius dixisse fertur, nolle se omnino, ut de Jansenio mentio fieret, id solum intellexit de Jansenio absolvendo, vel de repurgando ab erroribus ejus libro, quia hic jam ab Urbano VIII. damnatus fuerat.

Ut relatis constitutionibus Pontificum obe- 505
dientia præstetur, Clerus Gallicanus jam ab anno 1655 post receptum Innocentii X decretum formulam fidei instituit in signum obsequii, & reverentiæ subscribendum. Eandem anno 1657 renovavit adjecta mentione constitutionis Alexandri VII; cum vero multi subscribere recusarent causantes, talem fidei formulam condere, & ad subscribendum proponere non ad particularem Ecclesiam, sed ad Romanam Sedem pertinere, Rex Christianissimus una cum Episcopis ejusmodi formulam ab ipso Alexandro VII petierunt. Ille votis his annuens anno 1665 edita *Regiminis Apostolici* constitutione hoc præscripsit formularium: *Ego N. constitutioni apostolicæ Innocentii X datæ die* 31 *Maji anno* 1653 *& constitutioni Alexandri VII datæ* 16 *Octobris anno* 1656 *summorum Pontificum me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.*

Formularium hoc, quod errorem extingue- 506
re, & quietem restituere debuisset, novas lites excitavit inter ipsos etiam Jansenistas. Rigidiores contendebant, huic formulæ non posse subscribi, nisi cum expressa distinctione juris, &

fa-

facti; quamvis enim ajebant, Pontifex sit infallibilis in definiendis dogmatis; non tamen est infallibilis in definiendis quæstionibus facti alicujus personalis, qualis est, ac propositiones damnatæ habeant sensum a Jansenio intentum; hinc constitutionem Alexandri VII ab ipso Innocentio XII reformatam esse in Brevi edito anno 1694, quo prohibet quosvis alios sensus prædicti formularis, & ipsarum propositionum præter eum, quem verba ipsa in sensu obvio præseferunt, proponi, usurpari, aut de iis disputari. Molliores econtra Jansenistæ censebant, tuta conscientia absque ulla expressa limitatione formulæ subscribi posse, etsi quis interius judicet, sensum a Jansenio intentum non esse hæreticum, modo circa sensum Jansenii paratus sit servare religiosum, obsequiosum, ac respectuosum silentium, eoquod discrimen inter quæstionem juris, & facti per se manifestum, & ex ipsa natura rei imbibitum sit, ut adeo superfluum videatur illud speciali mentione exprimere.

507 Quam frivola hæc effugia sint, nemo cordatus non videt; quamvis enim facile concedamus, Pontificem non esse infallibilem circa facta mere historica, & personalia e. g. an hic liber sit hujus auctoris? an auctor interne, & personaliter talem revera sensum in mente habuerit, qualem verba, quibus utitur, præseferunt, quia judicium de facto mere personali, & historico tantum fundatur in testimonio, aut sensibus hominum fallibilibus; aliter tamen omnes Theologi sentiunt, & ipsa Ecclesiæ praxis contrarium demonstrat in præsenti casu, in quo quæstio facti connexa est cum quæstione juris seu dogmatis, utrum videlicet propositiones Jansenii in sensu externo, & litterali sint hæreticæ, relative ad totam auctoris doctrinam, seu utrum sensus illarum, prout ex tota hujus libri doctri-

na eruitur, sit orthodoxus, vel heterodoxus? in his quæstionibus Papam infallibilem esse ostendetur in tractatu de fide. Imo licet Pontifex absolute falli posset, tamen prudentia & obedientia exigeret, ut ejus definitioni nos subjiceremus; alias non peccarent, qui præcipientibus dominis, aut parentibus non acquiescerent eo prætextu, quod falli, aut fallere possint, quo posito corrueret omnis humana societas, non amplius essent audiendi magistri, & superiores, nec judicia in tribunalibus ferenda ex hominum testimonio, cum in his nulla sit infallibilis auctoritas, sed ad summum certitudo quædam moralis.

Quod Innocentius XII non reformaverit 508
constitutionem Alexandri, manifestum est, si tum ipsum Breve, tum occasio, qua illud emanavit, consideretur. Res ita contigit. Cum nonnulli Episcopi in Belgio ad formulam ab Alexandro præscriptam majoris interpretationis gratia, quædam alia capita edidissent, & inde novi tumultus orirentur, Innocentius prohibuit, ne formulario quid adderetur, quia ad privatos Episcopos non pertinet formulam a Sede Apostolica præscriptam immutare. Interim in hoc Brevi expresse ait, 1 se firmissime inhærere constitutionibus Innocentii X, & Alexandri VII. 2. Via juris procedendum contra eos, qui damnatas illas propositiones verbo vel scripto defenderint. 3. Eos, qui ad juramentum adigendi sunt, illud præstare debere, *Sincere absque ulla distinctione, restrictione, seu expositione damnando eas propositiones in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba præseferunt, prout illum sensum damnarunt summi Pontifices prædecessores nostri.* Ubi vides, Pontificem per sensum obvium intelligere illum ipsum, quem damnaverunt Innocentius X, & Alexander VII, quod rursus confirmavit altero

Brevi anno 1696 ad Episcopos Belgii dato, in quo ait, se satis mirari non potuisse, quod aliqui affirmare audeant, formularium, & constitutionem Alexandri VII ab ipso reformatam fuisse, cum tamen utrumque potius in priore suo Brevi confirmaverit.

509 Obsequiosum silentium quod attinet, certum est, subscriptionem fieri debere juxta mentem, & intentionem Ecclesiæ; hanc autem mentem clare demonstrant ipsa verba formulæ, in quibus nulla restrictio, nulla distinctio juris, & facti exprimitur, sed interior mentis assensus aperte requiritur: *Propositiones ex Cornelii Jansenii libro excerptas, & in sensu ab eodem auctore intento, sincero animo rejicio, & damno.* Qui ergo externe simpliciter subscribit, in mente vero distinctionem, ac restrictionem illam reservat, mendax, & perjurus est; neque enim Ecclesia distinctionem illam facti, & juris ignoravit, & tamen simplicem, & puram utriusque subscriptionem exigit. Unde obsequiosum illud silentium merito damnavit Clemens XI anno 1705 per Bullam *Vineam Domini Sabaoth*, in qua confirmat constitutiones Innocentii X, & Alexandri VII, simulque decernit: *Obedientiæ, quæ præinsertis Apostolicis constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri, sed damnatum in quinque præfatis propositionibus Jansenianі libri sensum, quem illarum verba præseferunt, ut præfertur, ab omnibus Christi fidelibus, ut hæreticum, non ore solum, sed & corde rejici, ac damnari debere, nec alia mente, animo, aut credulitate supradictæ formulæ subscribi licite posse.*

Errores Jansenii & Quesnelli.

510 Fundamentum totius hæresis Jansenianæ desumptum est ex male intellecto effato S. Augusti-

gusti-

guſtini : *Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.* Intelligit hic Janſenius per delectationem motum animi indeliberatum, quo voluntas fertur in bonum ſibi conveniens & jucundum. Dividit illum in delectationem cæleſtem & terreſtrem : illa conſiſtit in ſuavitate a Deo immiſſa, qua voluntas ad bonum trahitur : hæc in motibus indeliberatis concupiſcentiæ, quibus voluntas incitatur ad malum. Si utraque hæc delectatio concurrit, plerumque unam dicit eſſe fortiorem, quam ideo victricem, dominantem, & ſuperiorem appellat, & ſecundum illam juxta Janſenium operemur neceſſe eſt. A fortiori neceſſario delectationem ſequitur voluntas, ſi una ſola illam movet ; ſi vero utraque eſt æqualis, inter utramque ſuſpenſa, & immota manet ; voluntas enim per peccatum originale infirmata in iſto ſyſtemate ſe habet inſtar bilancis, quæ ſi utrinque æquali premitur pondere, in neutram partem ſe inclinare poteſt ; ſi vero ex una parte pondus prævalet, neceſſario in illam movetur.

Itaque juxta mentem Janſenii tota vis de- 511
lectationis eſt relativa, comparate ad vires ſibi oppoſitas, non tamen eſt abſoluta & immutabilis : nam eadem delectatio e. g. cæleſtis, quæ modo in his circumſtantiis a terreſtri vincitur, de ſe, & ex natura ſua habet totam vim activam ad præceptum implendum, & actu evaderet victrix, modo delectatio terreſtris minueretur. Imo etiam delectatio minor ſemper ſuum effectum conſequitur, non quidem totum, quem abſolute ex natura ſua obtinere poteſt, ſed quem poteſt obtinere in his circumſtantiis, excitando videlicet motus quoſdam ad bonum imperfectos, & inefficaces. Unde juxta Janſeniſtas quælibet gratia ſemper eſt efficax, quatenus ſemper aliquid efficit, non tamen ſemper eſt victrix, quia

non ſemper vincit oppoſitam concupiſcentiam, nec plenum, ac perfectum opus producit. Hac porro diſtinctione inter potentiam relativam & abſolutam omnes ſuas fallacias, & fraudes tegunt, easque variis phraſibus involvunt, dum potentiam abſolutam, modo vocant potentiam in actu primo, & in ſenſu Thomiſtico ſufficientem, modo potentiam antecedentem, & in ſenſu diviſo, modo in ſuo genere perfectiſſimam, & completiſſimam &c. quæ tamen omnia in longe alio ſenſu, quam Catholici accipiunt.

512 Nam 1. Catholici per potentiam abſolutam, perfectam, & completam intelligunt illam, qua hic & nunc in his determinatis circumſtantiis libere poſſumus præceptum implere vel transgredi: Janſeniſtæ per illam tantum intelligunt potentiam implendi præceptum in aliis circumſtantiis, in quibus abeſſet delectatio major inclinans ad peccatum. 2. Juxta Catholicos potentia libera in actu primo ſufficiens eſt proxime indifferens ad ponendos, vel non ponendos actus perfectos; juxta Janſeniſtas tantum dicit aliquam flexibilitatem, & mutabilitatem, prout determinatur a delectatione majore. 3. Qui habet potentiam liberam antecedentem, in ſenſu catholico, debet eſſe immunis ab omni neceſſitate antecedente non ſolum abſoluta, & invariabili, ſed etiam a variabili, & relativa, ita ut in his circumſtantiis poſſit actum cum delectatione conjungere, vel ab illa dividere: econtra in ſenſu Janſenii potentia antecedens, & in ſenſu diviſo ſolum excludit neceſſitatem abſolutam, & invariabilem præſcindendo a circumſtantiis, in quibus hic, & nunc voluntas poſita eſt; hinc quando dicunt Deum largiendo delectationem, ſeu gratiam parvam voluntate antecedente velle actum bonum, hæc voluntas non fertur in gra-

gratiam, prout confertur in his circumſtantiis, ſed præciſe in gratiam ſecundum ſe præſcindendo a circumſtantiis ſubjecti; maxime a gradu oppoſitæ concupiſcentiæ, ad quem gradum juxta ipſos ſolum attendit voluntas Dei conſequens.

Ex his facile poteſt intelligi ſenſus quin- 513
que propoſitionum damnatarum, quas cum ſuis cenſuris referemus. Prima, quam Janſenius lib. 3 de gratia Chriſti in terminis tradidit, ſic habet: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.* Cenſura. *Hæc propoſitio temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, & hæretica declaratur, & uti talis damnatur.* Senſus damnatus eſt: Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, ſola gratia parva, qua eliciunt quosdam actus infirmos, inſtructus, delectatione vero cæleſti, quæ vinceret oppoſitam concupiſcentiam, & quam acquirere non poſſunt, deſtitutis, ſunt impoſſibilia impoſſibilitate antecedente, ſed variabili, & relativa. Quippe impotentiam abſolutam, & immutabilem ipſe Janſenius non admiſit. Veritas catholica oppoſita. Nulla Dei præcepta, quando urget eorum obſervatio, hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, impoſſibilia ſunt, neque illis deeſt gratia vere ſufficiens, qua complete, & expedite poſſibilia fiant, etiam relative ad eas circumſtantias, in quibus verſantur.

Propoſitio 2: *Interiori gratiæ in ſtatu natu-* 514
ræ lapſæ nunquam reſiſtitur, continetur non quidem quoad verba, attamen quoad ſenſum in lib. 2 de gratia Chriſti cap. 24 & lib. 3 cap. 1. Cenſura. *Hæc propoſitio hæretica declaratur, & uti talis damnatur.* Senſus damnatus. In ſtatu naturæ lapſæ gratia interior ſemper efficit in no-

bis omne bonum, quod efficere poteſt in iis circumſtantiis, in quibus datur, & nunquam fruſtratur effectu, ad quem hic, & nunc conceditur. Conſequenter, ſi delectatio terreſtris major eſt, nunquam vincitur, imo nequidem vinci poteſt; ſi vero major eſt delectatio cæleſtis, illam ſemper neceſſario vincit, licet delectatio terreſtris inefficaciter repugnet: ut cit. cap. 24 Janſenius docet. Veritas catholica oppoſita. In ſtatu naturæ lapſæ homines aliquando reſiſtunt gratiæ interiori, eamque privant effectu, quem habere poteſt in iis circumſtantiis, in quibus datur.

515 Propoſitio 3: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione*, deſumpta eſt ex lib. 6 de gratia Chriſti cap. 4, & lib. 8 cap. 19. Cenſura. *Hæc propoſitio hæretica declaratur, & uti talis damnatur.* Senſus damnatus. In ſtatu naturæ lapſæ ad merendum, & demerendum non requiritur libertas a neceſſitate variabili, & relativa, ſed ſufficit libertas a coactione, & neceſſitate abſoluta, & immutabili. Quamvis enim Janſenius cum Catholicis contra Lutherum docuerit, actus indeliberatos nec meritorios eſſe, nec demeritorios; contendit nihilominus, ad meritum, vel demeritum ſufficere, ſi actus ſit voluntarius, & deliberatus, etiamſi voluntas ad illum non ſit proxime indifferens, ſed ad eum ponendum neceſſitetur a delectatione præponderante. Unde veritas catholica oppoſita eſt: Ad merendum, & demerendum etiam in ſtatu naturæ lapſæ requiritur in homine libertas non ſolum a coactione, & omni neceſſitate abſoluta, ſed etiam a variabili, & relativa.

Pro-

Propositio 4 : *Semi-Pelagiani admittebant* 516
prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare, traditur lib. 8 de hæres. Pelag. cap. 6. Censura: *Hæc propositio falsa, & hæretica declaratur, & uti talis damnatur.* Sensus damnatus. Semi-Pelagiani admiserunt necessitatem gratiæ interioris, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod rejecta delectatione cælesti superiore, voluntatem necessitate insuperabili, & indeclinabili determinante, solum admittebant gratiam, cui humana voluntas possit in his circumstantiis resistere, vel obtemperare per actum nempe perfectum, non vero ut aliqui Jansenistæ ad incautos fallendos asserunt per actum imperfectum; hoc enim aperte est contra mentem Jansenii, juxta quem gratia victrix neutiquam destruit concupiscentiam oppositam actualem, & multo minus habitualem. Unde veritas catholica ita potest exprimi: Semi-Pelagiani non admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc non erant hæretici, quod rejecta delectatione cælesti necessitante, voluerint gratiam efficacem esse talem, cui humana voluntas etiam spectatis subjecti circumstantiis possit consentire, vel dissentire.

Propositio 5 : *Semi-Pelagianorum est dicere,* 517
Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse, habetur lib. 3 de gratia Christi cap. 21. Censura. *Hæc propositio falsa, temeraria, scandalosa, & intellecta eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, & hæretica declaratur, & ut talis damnatur.* Sensus damnatus. Christus tan-

 tum

tum pro ſalute prædeſtinatorum mortuus eſt, ita ut omnibus reprobis denegentur auxilia vere ſufficientia ad ſalutem. Veritas catholica. Chriſtus non tantum pro ſalute prædeſtinatorum eſt mortuus, ſed etiam aliquibus ex reprobis meritus eſt auxilia vere ſufficientia ad ſalutem. Ubi notandum 1. Ipſum Janſenium admiſiſſe aliquibus ex reprobis propter mortem Chriſti concedi fidem, & juſtitiam, pro quibus proin in aliquo ſenſu poſſit dici mortuus. 2. Quod Innocentius X damnando hanc propoſitionem ſolum definierit, Chriſtum mortuum fuiſſe non pro ſolis prædeſtinatis. 3. Quod autem mortuus ſit pro ſolis fidelibus, poſtea damnavit Alexander VIII proſcribens hanc propoſitionem : *Chriſtus dedit ſemetipſum oblationem Deo non pro ſolis electis, ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus.* Cui proſcriptioni eatenus favet Innocentius, quatenus primam partem quintæ propoſitionis Janſenianæ damnavit, ut falſam, temerariam, & ſcandaloſam.

518 Cæterum inter eos, qui errores Janſenii defenderunt, & propagarunt, præcipui fuere Joannes Du Verger, vulgo dictus Abbas Sancyranus, Antonius Arnaldus, & Paſchaſius Queſnellus. Primi duo apud Janſeniſtas præſertim Moniales in Portu Regio tanto in pretio fuerunt, ut eosdem velut eximiæ ſanctitatis viros prope adoraverint. Illorum vultus adhuc per Galliam & Belgium inter Sanctorum imagines cernuntur maxime in fœminarum oratoriis. Paſchaſius Queſnellus fuit presbyter Oratorii Gallicani, a Petro Berullo poſtea Cardinale inſtituti. Inde dimiſſo rurſus habitu profugus in Belgium delatus eſt, ubi cum Arnaldo peſtiferam doctrinam diſſeminavit ; ideo exire juſſus, ſed ex intervallo redux Mechliniæ captus fuit. Tandem

dem fuga elapſus Amſtelodamum petiit, anno 1719 ætatis 85 ibidem mortuus. Scripſerat anno 1699 Pariſiis Reflexiones morales in novum teſtamentum, in quibus exquiſito in inſerendis ficta devotione erroribus artificio, Calvini, Baji, & Janſenii perverſa dogmata ita reſtaurat, ut ejus doctrinam Univerſitates Calvinianæ in Anglia, & Hollandia, & Lutheranæ quædam in Germania tanquam ſuam adoptarint.

Liber Quesnelli anno 1708 a Clemente XI cenſura apoſtolica confixus eſt per Bullam *Univerſi Dominici gregis*; cum autem generalis damnatio non ſufficeret, nec e manibus fidelium male curioſorum excuteret noxios centones, idem Pontifex anno 1713 propoſitiones centum, & unam e libro excerptas variis cenſuris damnavit tanquam reſpective falſas, impias, hæreticas &c. edita celeberrima illa conſtitutione: *Unigenitus Dei filius*: quæ conſtitutio ab omnibus ea, qua par erat, reverentia excepta eſt, præterquam a Janſenianis. In Gallia pro illius acceptatione prodiere mandata 180. In Hiſpania ac Luſitania promulgata eſt, ne uno quidem Epiſcoporum, aut ſcholarum publicarum ſe opponente. In Sabaudia non obſtantibus controverſiis, quæ tunc inter ſummum Pontificem, Regemque Siciliæ intercedebant, in regiſtrum Parlamenti relatum eſt. Exſtant ſuper hoc decreta Electorum Colonienſis, Moguntini, ac Trevirenſis. Conſtat de eadem promulgatione facta Hildeſii, Ratisbonæ, Leodii, Oſnabrugi, Paderborni, ac Monaſterii. Conſtat de decretis Epiſcoporum Baſileenſis, ac Conſtantienſis, nec non Antiſtitum Belgii Catholici. Neque huic conſtitutioni ullus reclamavit in Hungaria, Polonia, Sicilia, aliiſque Catholicis regnis, ducatibus, & principatibus. 519

520 Post tantum orbis catholici cum supremo Ecclesiæ Pastore consensum, nullum aliud effugium superesse videntes Janseniani ad generale concilium appellarunt, criminantes, in constitutione Unigenitus doctrinam SS. Augustini, & Thomæ eadem damnatione proscriptam esse. Quam appellationem Quesnellus quarto ante obitum suum die vocatis etiam duobus testibus scripto innovavit. Nempe ut S. Augustinus lib. 4 contra 2 epist. Pelagian. cap. 14 advertit: *Hæreticorum superbia - - hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos orientis, atque occidentis synodus congregetur; orbem quippe catholicum, quoniam domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur.* Porro ejusmodi appellationes frivolas, & injustas esse, docebit tractatus de fide. Interim Clemens XII anno 1733 edidit Breve: *Apostolicæ providentiæ officio*, in quo primo redarguitur intolerabilis eorum pertinacia, qui etiamnum contendunt censuris latis in constitutione Unigenitus doctrinam SS. Augustini, & Thomæ de divinæ gratiæ efficacia esse perstrictam. Dein interdicit, ne nota, aut censura ulla theologica scholis diversa sentientibus inuratur, donec de iisdem controversiis sacra Sedes definiendum aliquid, aut pronunciandum censuerit. Quare nihil hic dico de systemate P. Berti, qui licet cum Jansenio gratiam in delectatione cælesti relativa constituat ita, ut si hæc sit major quam concupiscentia opposita, intrinsece & ex natura suâ voluntatem infallibiliter & indeclinabiliter ad actum bonum permoveat; sin vero sit minor, infallibiliter a concupiscentia superetur; nihilominus contendit, doctrinam suam cum errore Jansenii nihil habere commune, eoquod inviolatam servet libertatem humanam, neque e medio tollat auxilium gratiæ vere sufficiens. An hæc æ-

que

que solide & consequenter, ac catholice dicta sint, patebit disp. seq. de gratia efficaci.

QUÆSTIO I.

An in statu naturæ lapsæ detur gratia pure sufficiens?

Gratia sufficiens in genere est omne auxilium actuale, supernaturale, cum quo homo potest salutariter operari, & in hoc sensu etiam gratia efficax est sufficiens. Gratia pure sufficiens, & prout opponitur efficaci, est illa, cum qua possumus bene operari, non tamen bene operamur. Consistit in nostro systemate in auxilio supernaturali de se indifferenti ad consensum, vel dissensum, collato dependenter a scientia media de dissensu conditionate futuro; hoc enim posito jam intelligitur, quod infallibiliter sit frustrandum suo effectu. Dividitur in remote, & proxime sufficientem. Proxime sufficiens est, quæ involvit omnia requisita ad victoriam alicujus tentationis, vel actum salutarem immediate disponentem ad justificationem. Remore sufficiens est, quæ solum sufficit ad alium actum, quo obtinetur auxilium proxime sufficiens e. g. ad orationem, qua obtinetur auxilium proxime sufficiens ad contritionem. Quod si gratia pure sufficiens consideretur, ut conjuncta cum libero abusu sive dissensu, dicitur pure sufficiens in actu secundo, secus pure sufficiens in actu primo, in qua posteriore acceptione regulariter in recto importatur sola entitas gratiæ, scientia vero de dissensu conditionate futuro solum in obliquo. 521

Quæritur jam, utrum in statu naturæ lapsæ, detur gratia pure quidem, attamen ita sufficiens, ut homini tribuat potentiam completam ad evitandum peccatum, vel eliciendum actum salutarem, 522

non

non ſolum abſolute, ſed etiam relate ad quascunque circumſtantias, in quibus hic, & nunc eſt poſitus; in hoc enim ſenſu gratiam pure ſufficientem ſemper intellexere Catholici; Janſenius vero eandem dicit eſſe indignam Deo, adverſam precibus Eccleſiæ, ignotam S. Auguſtino, perniciosam, monſtroſam, hæreticam, e cerebro Pelagii prognatam, & in Semi-Pelagianis damnatam. Hinc quando Janſeniſtæ videntur admittere gratiam ſufficientem, per illam ſolum intelligunt delectationem cæleſtem parvam & minus intenſam, quam ſit delectatio terreſtris. Porro ad eorum cavillationes cavendas notandum juxta nos non eſſe idem habere potentiam remotam ad actum ſalutarem, & habere gratiam remote ſufficientem; nam etiam qui actu caret gratia ſupernaturali, habet potentiam remotam, in quantum poteſt gratiam ſufficientem accipere. Gratia vero remote ſufficiens ſemper dat aliquam potentiam proximam, & completam ad actum ſalutarem ſaltem imperfectiorem e. g. ad orationem. Neque tamen per potentiam completam & proxime expeditam cum P. Berti tantum intelligimus illam, quæ cum ipſo actu conjungitur; cum enim libertas ſit potentia proxima ad agendum & non agendum, non ſolum ad utrumque libertatis extremum præſupponitur, ſed potentia proxime expedita e. g. ad ſedendum debet etiam dari tunc, quando actu ambulo.

523 Dicendum. Datur in ſtatu naturæ lapſæ gratia pure ſufficiens. Prob. 1 auctoritate Scripturæ, in qua paſſim dicitur, quod Deus vocet, pulſet, illuminet, moveat, incitet; homines tamen Deo vocanti non obediant, pulſanti non aperiant, Spiritui ſancto reſiſtant &c. & ideo Deus contra illos conqueritur, duritiem illis exprobat, ac interitum minatur. *Vocavi*, inquit Prov.

Prov. 1 v. 24 & ſeq. ad Judæos, *& renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret! deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis: ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo:* ergo ejusmodi homines habuerunt gratiam, non efficacem, quia cum illa non fuerunt cooperati; vere tamen ſufficientem; alias Deus immerito contra illos conquereretur, & injuſte minaretur interitum; quippe cum veritate dicere poſſent; Domine defuit nobis, & quidem citra culpam noſtram gratia vere ſufficiens, & abſolute neceſſaria, ut vocationi tuæ reſpondere poſſemus. Conf. Iſai. 5 v. 3 Deus ita conqueritur: *Nunc ergo habitatores Jeruſalem, & viri Juda, judicate inter me, & vineam meam. Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas.* Idem repetit Chriſtus Matth. 23 v. 37: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* ergo Judæi habuerunt gratias vere ſufficientes, quibus ad Deum, & Chriſtum potuiſſent converti, ſed has gratias per ſuam contumaciam irritas fecerunt.

Probatur 2 auctoritate Eccleſiæ. Concilium Senonenſe decret. 14 ait: *Nec denique tale ſit hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui reſiſti non poſſit; quoties enim Deus voluit congregare filios Jeruſalem ſicut gallina congregat &c.* Concilium Tridentinum ſeſſ. 6 can. 4 damnat eum, *Qui dixerit, liberum arbitrium a Deo motum, & excitatum, non poſſe diſſentire, ſi velit.* Et ſeſſ. 6 cap. 15, poſtquam ex Apoſtolo docuit, non ſolum infideles, ſed etiam fideles, fornicarios, adulteros &c. excludi regno Dei ob peccata lethalia, ſubjungit: *A quibus cum divinæ gratiæ adjutorio abſtinere poſſunt.* Innocentius X & Alexander VII damnarunt primam, & ſecundam

pro-

propositionem Jansenii. Innocentius XI proscripsit propositionem 2 Quesnelli : *JEsu Christi gratia, principium efficax boni cujuscunque generis necessaria est ad omne opus bonum, absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest :* ergo homines gratiæ divinæ possunt resistere, & dissentire, & dum peccant, actu ei resistunt, adeoque habent gratiam pure sufficientem, alias peccatum evitare non potuissent. Hinc Alexander VIII inter alias theses Jansenistarum etiam proscripsit istam ordine 6tam : *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, ut proinde merito possimus petere : a gratia sufficiente libera nos Domine.*

525 Probatur 3 auctoritate Patrum. Et Græcos quidem sibi adversari fatetur ipse Jansenius, sed pro sua modestia illos Semi-Pelagianismi insimulat: ex Latinis citari possent S. Hieron. Hilar. Prosper, Fulgent. &c. quia autem potissimum se fundat in S. Augustino, ex hoc aliquos textus afferemus. Itaque lib. 88 quæst. q. 86 in illa verba Matth. 22 : *Multi sunt vocati, pauci vero electi,* sic habet : *Ad illam cœnam, quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur; itaque nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venirent vocati, erat in libera potestate :* ergo juxta S. Doctorem etiam illi, qui non venerunt, habuerunt gratiam sufficientem, ut venirent. Lib. 1 ad Simplicianum q. 2 proponit duos corpore, & animo æqualiter affectos, quorum unus consentiat, alter non, & tunc occasione illius textus ad Rom. 9 : *Non est volentis, neque currentis &c.* ait, *Noluit ergo Esau, & non cucurrit, sed si voluisset, & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui*

etiam

etiam velle , & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contempta reprobus fieret. Denique lib. de Spirit. & litt. exponens quomodo Deus per gratiam in nobis operetur velle, & credere, cap. 33 inquit: *Dei miſericordiam prævenire nos, ita tamen, ut conſentire vocationi Dei, vel diſſentire propriæ voluntatis ſit.*

Probatur 4 ratione. Si non datur gratia pure 526
ſufficiens, ſequitur 1, quod nulla detur libertas indifferentiæ ad peccandum, vel bene operandum; ad hanc enim requiritur potentia completa ad utrumque. 2. Quod nullus transgrediendo præceptum fiat vituperabilis, quia dum ad lapſum impellit concupiſcentia, & deficit ſufficiens gratia, impoſſibile eſt non labi. 3. Irrationabiles eſſent divinæ exprobrationes contra peccatores, & reprobos. Quomodo enim medicus exprobrare poteſt ægroto ad mortem decumbenti, quod non laboret, ſuis regotiis operam det, ſanitatem non recuperet, ſi ægrotus ad iſta non habet ſufficientes vires, & ipſe medicus illum deſerat. 4. Fruſtraneæ eſſent omnes exhortationes; nam ſi gratia victrix adſit, neceſſario fiet res præcepta; ſi deſit & etiam gratia ſufficiens deficiat, impoſſibile eſt rem præceptam fieri. Quæ ſequelæ apertiſſimam viam ſternunt aliis quidem ad ſummam vitæ licentiam, & morum perverſitatem, aliis vero ad animi dejectionem, & luctuoſam deſperationem, ut facile patebit intelligenti, & bene ponderanti principia Janſenii.

Objectiones ex auctoritate.

Obj. 1. Juxta S. Scripturam nulla gratia caret 527
ſuo effectu, ad quem datur: ergo non datur gratia pure ſufficiens. Ant. Prob. Iſ. 55 v. 11 dicitur: *Sic erit verbum meum, quod egre-*

dietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet, quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Joann. 6 v. 45: *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me.* Ad Rom. 9 v. 19: *Voluntati ejus quis resistit?* Conf. Textus Scripturæ a nobis citati non loquuntur de gratia interiore, sed tantum de vocatione externa: ergo. Resp. Dist. Ant. nisi homo desit gratiæ, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. Scriptura in locis citatis adstruit quidem gratiam efficacem, sed non excludit inefficacem; imo locus Isaiæ non agit de gratia actuali interiore, sed de venturo Messia, qui in omnibus voluntatem Patris implebit prædicando Evangelium, instituendo Sacramenta, cæteraque novæ legis charismata. Christus Joann. 6 agit de illis, qui ita Patrem intus docentem audiunt, ut actu discant, & credant. S. Paulus loquitur de voluntate Dei absoluta, & consequente scientiam mediam de consensu conditionate futuro. Ad Conf. Neg. Ant. Nam sola gratia exterior, imo etiam parvi, ac interiores motus voluntatis non sufficiunt, ut voluntas humana possit vocationi divinæ obtemperare.

§28 Dices. Modo interior gratia sit sufficiens absolute, & abstractive, homo jam meretur reprehensionem eidem non cooperando, quia hæc gratia provocaret majorem, nisi voluntas resisteret, aut alio cogitationes distraheret; hinc concilium Tridentinum duplicem adstruit potentiam, unam tantum inchoatam: *Deus jubendo monet, facere quod possis;* & alteram completam: *Adjuvat, ut possis,* Sess. 6 can. 11. Conf. Gratiæ victrici semper repugnat concupiscentia: ergo sufficienter salvatur, quomodo gratiæ resistatur. Resp. Neg. Ant. Quippe si gratia non sit sufficiens relative ad opus bonum hic, & nunc exercendum, observatio præceptorum manet

im-

impossibilis; neque gratia parva poterit provocare majorem, aut voluntas alio cogitationes suas avertere, si necessario sequitur concupiscentiam victricem. Licet igitur dici possit, quod libertas naturalis cum habitibus supernaturalibus sit quædam potentia tantum inchoata, de hac tamen non loquitur Tridentinum, sed de completa, & relative sufficienti ad præceptorum observationem. Ad Conf. Omitt. Ant. Neg. Conf. resistere gratiæ non est eidem repugnare quomodocunque, sed eam privare suo effectu, ut patet ex numero 516.

Obj. 2. Juxta S. Augustinum in cap. 5 epist. 529
ad Galat. *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est:* ergo non datur gratia pure, & complete sufficiens; si enim gratia est major, quam concupiscentia: erit efficax, si est minor, concupiscentiam non poterit superare. Resp. Dist. Ant. quod amplius nos delectat delectatione indeliberata, secundum id operemur necesse est, Neg. Ant. quod amplius nos delectat delectatione deliberata, Subdist. secundum id operemur, necesse est, necessitate consequente, Conc. Ant. antecedente, Neg. Ant. Delectatio gratiæ prævenientis, quam Deus operatur in nobis sine nobis, non est deliberata, uti nec delectatio concupiscentiæ rationem præveniens: delectatio autem, de qua hic loquitur Augustinus, est deliberata, qua voluntas libere amplectitur unum objectum præ altero opposito e. g. castitatem præ voluptate, secundum quam dein homo necessario dirigit suas actiones externas. Nam eodem loco paulo ante dixerat, quod major delectatio sit justitia, seu justa operatio, quæ debet esse deliberata, & postea ponit exemplum juvenis, qui licet occurrente speciosa muliere incitetur ad delectationem for-

nicationis, si tamen plus delectetur pulchritudine castitatis, secundum majorem hanc delectationem vivit, & operatur, jam vero per operari communiter intelligitur actio externa, & ipse S. Doctor lib. 8 confess. cap. 8 ait: *Non faciebam, quod & incomparabili affectu magis placebat, & mox, ut vellem, possem.*

530 Dices. Juxta S. Augustinum quando delectatio terrestris est major, gratia cum illa concurrens est tantum parva, & relative insufficiens ad vincendum; nam lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 17 ait: *Qui ergo vult facere mandatum Dei, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, & invalidam: poterit autem, cum magnam habuerit, & robustam.* Idem lib. 1 ad Simplicianum q. 2 ita scribit: *Ad alios autem vocatio quidem pervenit, sed quia talis fuit, qua moveri non possent, ut eam capere apti essent, vocati quidem dici poterunt, sed non electi.* Resp. Neg. Ant. sed per gratiam parvam, voluntatem, charitatem parvam intelligit gratiam remote sufficientem. In altero textu illud, *moveri non possent,* tantum significat impotentiam consequentem ortam ex eo, quia illorum vocatio visa fuit incongrua ob refractariam ipsorum voluntatem, qua stante utique moveri non poterant. Audiatur S. August. Tract. 53 in Evangel. Joann. ibi in illud de Judæis: *Propterea non poterant credere*, ait: *Quare autem non poterant? si a me quæratur, cito respondeo; quia nolebant, malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus.*

531 Obj. 3. Juxta S. Augustinum lib. de corrept. & grat. cap. 11 & 12, homini innocenti tantum fuit collatum adjutorium sufficiens, *sine quo aliquid non fit;* homini lapso autem confertur *adjutorium, quo*, seu efficax, a quo accipit ipsum velle: ergo de facto non datur gratia pure sufficiens.

ficiens. Conf. Eodem lib. cap. 11 ait : *Si hoc adjutorium Angelo, vel homini, cum primum facti ſunt, defuiſſet, non utique ſua culpa cecidiſſent ; nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt ; quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum.* Reſp. Diſt. Ant. Omni homini lapſo confertur adjutorium quo, Neg. Ant. prædeſtinatis, Subdiſt. ſemper, & ad omnes actus, Neg. Ant. ad aliquos, & ad perſeverantiam finalem, Conc. Ant. & Neg. Conſ. S. Auguſtinus hic tantum videtur loqui de perſeverantia formali prædeſtinatorum ; utitur enim exemplo beatitudinis ad exſplicandum, quid ſit adjutorium quo ; vel certe non loquitur de gratia actuali, qualicunque, ſed tali, quæ prædeſtinatis conceditur ad perſeverantiam finalem. *Hæc*, inquit, *de his loquor, qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei.* Ad Conf. Illud *tale adjutorium* in hoc textu non refertur ad verba immediate præcedentia, quibus dicitur Angelis, & Adamo fuiſſe conceſſam gratiam ſufficientem, ſed ad paulo priora, in quibus jam fecerat mentionem de gratia efficaci ; nam de illa clare iterum agit verbis immediate conſequentibus, ut patebit inſpicienti locum objectum.

Dices. S. Auguſtinus de corrept. & grat. ſ 32 expreſſe docet, gratiam in ſtatu naturæ lapſæ debere eſſe potentiorem, quam quæ data fuit homini innocenti : ergo cum huic data ſit gratia ſufficiens, homini lapſo debet dari gratia efficax, ut poſſit operari. Conf. In eodem libro docet hominem merito objurgari, licet gratia ſit inſufficiens, quia nempe propria hominis culpa contigit, ut concupiſcentia eſſet ſuperior. *An ideo*, inquit, *pravitas iſta in homine corripienda non eſt, quia non ejus propria eſt, qui corripitur, ſed communis eſt omnibus ? imo vero corripiatur*

in singulis, quod est omnium. Resp. Conc. Ant. Neg. Consf. Gratia in statu naturæ lapsæ juxta S. Doctorem variis modis est potentior 1. Quia prædestinatis non tantum datur gratia, qua possint perseverare, sed etiam qua actu perseverent. 2. Quia homo post lapsum est indignior gratia, adeoque hæc in ratione gratiæ crescit. 3. Quia ipsa gratia sufficiens est fortior ob luctam concupiscentiæ, quam homo debet vincere. Ad Conf. Neg. Ant. Sed tantum docet, quod homines nondum regenerati merito objurgandi sint, quod voluntarie in vitio originis perseverent: *Corripiatur ergo*, inquit, *origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur.*

533 Obj. 4. Juxta S. Augustinum defacto non datur alia gratia, nisi quam sequitur effectus; nam lib. de prædest. sanct. cap. 8 expendens illa verba Joannis: *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me,* ait: *Si enim omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit, profecto omnis, qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit; nam si audisset, & didicisset, veniret.* Addit, *gratiam a nullo duro corde respui, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Conf. Eodem loco inquit *eos, qui non credunt, foris tantum audire, non intus:* ergo nullam habent gratiam interiorem. Resp. Neg. Ant. S. Doctor hic agit de gratia efficaci, & per *audire* juxta Theophilactum intelligit doctrinam percipere, per *discere* autem credere, & doctrinam amplecti, adeoque sensus est: Si omnis, qui audivit verbum Dei, eique credidit, venit ad Christum, profecto omnis, qui non venit, non audivit verbum Dei, nec ei credidit, to *nec* non accipiendo in sensu diviso, sed collectivo, ut colligitur ex verbis subsequentibus; *Nam si audisset, & didicisset,* in quo sensu verissimum est, quod gra-

tia,

tia, videlicet efficax, a nullo reſpuatur, licet reſpui poſſet. Ad Conf. Diſt. Ant. illos foris tantum audire, quantum ad effectum, quia non magis credunt, quam ſi foris duntaxat audirent, Conc. Ant. quantum ad ſufficientiam gratiæ, quaſi per illam interius ad credendum non excitarentur, Neg. Ant. alias nequidem haberent gratiam parvam, quam Janſenius adſtruit. Videatur num. 425.

Dices 1. Sermone 165 de verbis Apoſtoli 534
poſt recitatum textum ad Rom. 8: *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei*, ita ſibi objicit: *Dicit mihi aliquis: ergo aginmur, non agimus. Reſpondeo: imo agis, & ageris, & tum bene agis, ſi a bono ageris; Spiritus enim Dei, qui te agit, adjutor eſt tibi -- nemo adjuvatur, ſi ab illo non agatur*: ergo qui non actu bene agit, non agitur a Spiritu Dei, nec adjuvatur ad bene agendum; hinc lib. 2 ad Simplic. q. 2 dicit, quod, ſi Deus miſereatur, etiam velimus. Conf. Ex illo Joann. 6 v. 44: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit illum.* Quod de gratia efficaci explicatur. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Aliud eſt neminem agere bene, niſi qui agitur a gratia: aliud agere ſemper bene, quando adeſt gratia: prius affirmat Apoſtolus, & Auguſtinus, ſed non poſterius; non enim dicunt, quicunque a Spiritu ſancto excitantur, ſunt filii Dei, ſed qui aguntur, id eſt, qui ſe moveri ſinunt, & motioni conſentiunt. In libro ad Simplicianum S. Auguſtinus agit de miſericordia illa ſpeciali, qua Deus hominem vocat, quomodo ſcit ei congruere. Ad Conf. vel textus tantum loquitur de potentia conſequente, & actu reducenda in effectum, vel ſi quis illum intelligere velit de potentia antecedente & ad actum ſalutarem de ſe reducibili, motio

gratiæ debet ſumi ſimpliciter, abſtrahendo, an ſit efficax, vel inefficax.

535 Dices 2. S. Doctor eam duntaxat gratiam agnovit, cujus fidem exigebat a Pelagio; atqui hæc eſt efficax, ita enim lib. de gratia Chriſti cap. 10. ait: *Nos eam gratiam volumus, iſte aliquando fateatur, quæ non ſolum revelatur ſapientia, verum & amatur, nec ſolum ſuadetur omne, quod bonum eſt, ſed etiam perſuadetur.* Conf. S. Doctor paſſim impugnat *auxilium poſſibilitatis*, atqui tale auxilium eſt gratia ſufficiens, quæ ſolum dat poſſe agere, non vero ipſum agere. Reſp. Tranſ. Maj. Diſt. min. hæc gratia ſemper eſt efficax, Neg. min. aliquando, Conc. min. controverſia inter S. Auguſtinum, & Pelagium non fuit, an gratia ſemper ſit efficax, ſed an præter liberum arbitrium, legem, & doctrinam requiratur auxilium internum illuſtrationis, & inſpirationis; unde ex verbis citatis ſolum infertur, quod tunc requiratur gratia efficax, quando actu elicitur opus ſalutare, neutiquam vero poteſt inferri, quod S. Auguſtinus hic repudiaverit gratiam ſufficientem, quam alibi toties, & tam clare adſtruit. Ad Conf. Diſt. Maj. impugnat auxilium poſſibilitatis Pelagianum a libero arbitrio, lege, & doctrina indiſtinctum, Conc. Maj. diſtinctum, Neg. Maj. & Diſt. min. auxilium mere ſufficiens tantum dat poſſe ex viribus naturæ, & in ſenſu Pelagii, Neg. min. ex viribus gratiæ, Conc. min. & Neg. Conſ. Vid. num. 399.

Objectiones ex Ratione.

536 Obj. 5. Gratia ſufficiens nunquam poſt ſe trahit actum bonum: ergo nihil prodeſt accipienti, ſed eſt inutilis. Conf. Gratia ſufficiens auget peccatum, & ſupplicium; qui enim gratiam

tiam spernit, magis reus est, quam qui illam non habet. Ergo potius est perniciosa, quam utilis. Resp. Has, & similes objectiones evidenter solvi debere ab ipsis Adversariis, eoquod ipse Jansenius gratiam mere sufficientem admiserit in Adamo & Angelis lapsis, quod semel monuisse sufficiat. In forma Dist. Ant. nunquam post se trahit actum bonum ex natura sua, & propria debilitate, Neg. Ant. ex culpa accipientis, Conc. Ant. & Dist. Cons. ergo nihil prodest in actu 2do, Conc. Cons. in actu primo, Neg. Cons. Gratia sufficiens accipientem reddit proxime potentem elicere actum salutarem, quam si elicere vellet, prodesset etiam in actu secundo, quod autem non velit, ipsius culpa est. Ad Cons. Dist. Ant. gratia sufficiens auget peccatum, & supplicium ex se, & ab intrinseco, Neg. Ant. propter abusum, Conc. Ant. & Dist. Cons. ergo est perniciosa ab intrinseco, & specificative accepta, Neg. Cons. reduplicative accepta, & quoad abusum, Conc. Cons. Hæc denominatio, gratia pure sufficiens, involvit duo, ipsam entitatem auxilii & illius abusum a Deo conditionate prævisum: cum igitur entitas auxilii ad bonum incitet, solum propter abusum est perniciosa, sicut omnia alia Dei beneficia abutentibus perniciosa sunt.

Dices 1. Illa gratia, quæ ab origine mundi 537
usque ad diem extremi Judicii nullum unquam effectum habuit, nec habebit, est monstrosa, sed talis est gratia pure sufficiens: ergo. Cons. Gratia tribuens potentiam, quæ necessario excludit actum, est chimærica, sed talem potentiam tribuit gratia mere sufficiens: si enim actum non excluderet, jam non esset pure sufficiens. Resp. Dist. Maj. si secundum totam speciem nunquam habuit, nec habebit effectum, Trans. Maj. si tan-

tum in individuo, Subdist. si hoc fiat ex intrinseco aliquo defectu gratiæ, Conc. Maj. si solum ex culpa accipientis, Neg. Maj. Sæpe ex duabus gratiis quoad entitatem suam prorsus æqualibus una in Petro est efficax, altera in Paulo inefficax, quia, ut ait S. Augustinus lib. 12 de civit. cap. 6, etiamsi æqualem gratiam percipiant, non æqualiter ea utuntur, sed unus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiæ Dei deest. Id ipsum non raro contingit respectu unius ejusdemque hominis e. g. illustratio de pœnis inferni nihil hodie efficiet in Jacobo, & tamen cras omnino æqualis, vel etiam minor illum ad seriam pœnitentiam permovebit. Ad Conf. Dist. Maj. si det potentiam, quæ per se antecedenter, & ab intrinseco excludit actum, Conc. Maj. si illum tantum excludit per accidens, & consequenter ad liberum abusum, Neg. Maj. & sic Dist. min. Conf. Licet ex suppositione, quod aliqua creatura sit pure possibilis, necessario non existat, ideo non est absolute impossibilis.

538 Dices 2. Gratia sufficiens nunquam potest exire in actum sine nova gratia distincta: ergo non est vere sufficiens. Ant. Prob. Quia liberum arbitrium, etsi gratia excitante motum, non potest producere actum salutarem sine gratia cooperante. Conf. Gratia non potest voluntati conferre vires pares, & relative proportionatas, nisi sit vel major, vel saltem æqualis concupiscentiæ oppositæ; atqui hoc non potest dici; alias gratia sufficiens, quæ datur hominibus facinorosis tanto deberet esse perfectior gratia justorum, quanto ardentiorem cupiditatem debent superare. Resp. Dist. Ant. si hæc nova gratia debet esse distincta ab ipso actu salutari, Transf. Ant. de quo viderint Bannesiani; si non est distincta ab ipso actu salutari, Neg. Ant. Gratia cooperans realiter est ipse actus salutaris, & formalis co-

concurſus Dei, adeoque non debet conſtituere potentiam, aut actum primum proximum liberum, ſed hic jam datur dependenter a gratia ſufficiente. Sic potentia viſiva non poteſt producere viſionem, ſine generali Dei concurſu, quin hic concurſus conſtituat potentiam, & ſufficientiam ad viſionem. Ad Conf. Neg. Ant. intellectum de gradibus intenſionis; nam homo cum gratia etiam longe minus intenſa, licet forte difficilius, poteſt ſuperare cupiditatem magis intenſam, vel certe hæc gratia præbet vires ad orandum, & impetrandam gratiam majorem.

Obj. 6. Omnis gratia eſt beneficium, & 539
favor Dei; ſed gratia mere ſufficiens non eſt beneficium; confertur enim dependenter a ſcientia media de diſſenſu: ergo. Conf. Eſſet nobis melius non habere auxilium mere ſufficiens; hinc Chriſtus Matth. 26 v. 24 de Juda proditore dixit: *bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet.* Reſp. Conc. Maj. Diſt. min. gratia mere ſufficiens denominative, & in actu primo accepta non eſt beneficium, Neg. min. in actu ſecundo, & reduplicative aut concretive accepta, Conc. min. Quamvis Deus conferat gratiam dependenter a ſcientia media de diſſenſu, illa tamen ex natura ſua manet, & præbet vires ad bonum uſum, quem etiam Deus intendit, adeoque tam ipſa gratia, quam ejus collatio eſt magnum, & verum beneficium, quo ſi homo abutatur, fit ingratus, idque magis, quam ſi abutatur bonis naturalibus, vita, ſcientia &c. quæ ab omnibus inter Dei beneficia numerantur. Imo præſcientia abuſus aliquo modo auget rationem beneficii; ut agnovit Seneca dicens: *Non eſt magni animi dare, & perdere; ſed hoc eſt magni animi perdere, & dare;* ſi tamen gratia ſufficiens conſideretur in actu ſecundo, prout involvit abuſum

hominis, non eſt ſimpliciter beneficium, ſed hoc provenit ex noſtra culpa. Ad Conf. Diſt. Ant. melius eſſet non habere auxilium mere ſufficiens antecedenter ad noſtrum abuſum, Neg. Ant. conſequenter, Conc. Ant. ratio beneficii debet æſtimari non ex eventu, ſed ex natura rei, & animo concedentis, ut alibi jam adverti.

540 Dices 1. Si Deus infallibiliter prævidet, gratiam fore inefficacem, bonum uſum non vult ſerio; nec enim, qui ſerio vult finem, utitur mediis, quæ ſcit non habitura effectum, præſertim quando in promptu habet alia, quæ prævidet fore efficacia, & citra ſuum incommodum largiri poſſet. Conf. ſi Deus præſcit gratiam fore inefficacem, vult illam ut inefficacem: ergo homini vult malum, & dat occaſionem ruinæ. Reſp. Diſt. Ant. bonum uſum von vult ſerio, & ſimul illimitate, Conc. Ant. ſimpliciter ſerio, quamvis limitate, Neg. Ant. qui dat omnia media neceſſaria ad obtinendum finem, ſic, ut quantum eſt ex parte dantis, ſequatur effectus bonus, jam habet ſeriam voluntatem, quamvis prævideat alterius culpa fore impediendum effectum; quod autem non adhibeat alia media efficaciora, ſolum indicat ipſius voluntatem non eſſe illimitatam. Equidem Deus magis eſſet beneficus, ſi conferret auxilium efficax, ſed ad hoc non tenetur; alias nullum omnino peccatum poſſet permittere, nec parcendo, aut puniendo ſuam miſericordiam, & juſtitiam manifeſtare. Ad Conf. Neg. Ant. Deus gratiam ſufficientem confert quidem non obſtante præviſione abuſus, ſed non confert ideo, quia ſcit fore inefficacem; hinc decretum collativum non ſic tendit; do hanc gratiam, quia prævideo fore inefficacem, ſed: do, etſi prævideam fore inefficacem.

Di-

Dices 2. In creatis seria voluntas, & ra- 541
tio beneficii non stat cum præscientia damni inde secuturi. Sic qui scit correctionem fraternam fore damnosam, debet illam omittere. Pater largiendo pecunias non præstat beneficium filio, si certo prævidet abusum. Qui homini in profundum lapso tantum præbet funem, non item scalam, licet sciat illum tantum scalam esse arrepturum, non serio vult ejus ascensum &c. Conf. Saltem gratia sufficiens non est beneficium speciale: ergo. Resp. Dist. Ant. si damnum secuturum est voluntarium, & datur obligatio illud impediendi, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. In humanis regulariter tenemur impedire malum, aut damnum proximi, si moraliter possumus, & ideo electio mediorum inefficacium præ efficacibus plerumque non procedit; si tamen aliunde daretur jus ad abusum, & damnum permittendum, ejus præscientia non tolleret rationem beneficii. Sic qui homini impio in extrema necessitate constituto præbet alimenta, vere est beneficus, quamvis prævideat, illum vita prorogata abusurum ad peccandum. Ad Conf. Dist. Ant. non est speciale beneficium comparate ad gratias supernaturales efficaces, Conc. Ant. comparate ad beneficia naturalia, & exigentiam naturæ, Neg. Ant. Etiam gratia ad opera salutaria vere sufficiens transcendit exigentiam totius naturæ.

Obj. 7. Nemo prudens a Deo petit auxi- 542
lium mere sufficiens; sed potius rogat, ne tale auxilium sibi conferat. Ergo auxilium mere sufficiens non est gratia. Conf. Si homo sciret, auxilium A infallibiliter fore conjungendum cum dissensu, & tamen illud peteret, hoc ipso vellet auxilium inefficax qua tale: ergo etiam Deus si cum tali præscientia auxilium confert. Resp.

Dist.

Dist. Ant. nemo prudens petit auxilium mere sufficiens qua tale, reduplicative, aut concretive sumptum, Conc. Ant. quod est tale, & præscindendo utrum prævideatur conjungendum cum consensu vel dissensu, Neg. Ant. quoad hoc membrum, & Dist. etiam quoad alterum. Prudenter rogat, ut Deus non det auxilium sufficiens spectata solùm entitate auxilii, Neg. Ant. spectato, & supposito illius abusu, Conc. Ant. & Neg. Conf. Homines ordinarie petunt a Deo non solum, ut possint elicere actus salutares, sed ut eosdem actu eliciant, ad quod requiritur gratia efficax. Si quis tamen nihil cogitans de efficacia, & inefficacia auxilii simpliciter illud rogat, non agit imprudenter: at vero si peteret auxilium inefficax qua tale, peteret suum abusum. Sic licet scientia, sanitas &c. in se bonæ sint, prudenter illa deprecamur facta suppositione, quod sint occasio certa peccati. Ad Conf. Transf. Ant. Neg. Conf. Quia homo suum dissensum tenetur impedire, indirecte in illum consentiret, si sciens peteret gratiam inefficacem, consequenter indirecte peteret auxilium inefficax qua tale; quæ de Deo auxilium inefficax conferente dici non possunt.

QUÆSTIO II.

An, & in quo sensu verum sit axioma: Deus facienti, quod est in se, non denegat gratiam?

543 Axioma hoc tanquam certissimum contra Lutherum, Calvinum, & Jansenium recipiunt omnes orthodoxi Theologi; de illius tamen sensu inter se discrepant. Quamquam enim facile admittant gratiam habitualem, aut etiam actualem cooperantem nulli adulto concedi, nisi faciat,

ciat, quod eſt in ſe per vires gratiæ prævenientis; ſi tamen de ipſa gratia præveniente ſermo ſit, non deſunt multi, & graves auctores, qui exiſtimant, ſenſum dicti axiomatis eſſe, quod Deus non deneget gratiam facienti, quod eſt in ſe per vires naturales, & auxilia mere naturalia, ſervando videlicet legem mere naturalem, & eliciendo actus bonos ordinis naturalis. Ita ſentiunt graviſſimi quique ex antiquioribus, & ipſi ſcholarum principes Scotus, & S. Thomas apud Suarium part. 2 de gratia lib. 4 cap. 12. S. Thomas in 2dum ſententiarum, diſtinct. 28 q. 1 art. 1 ait: *Non oportet, ut actus, quibus homo ad gratiam ſe præparat, ſint naturam humanam excedentes.* Quando vero alibi videtur dicere contrarium, agit de gratia habituali, & præparatione perfecta, ac meritoria.

Ut tamen mens iſtorum auctorum bene in- 544
telligatur, ſciendum, quod opera naturalia juxta illos tantum ſint diſpoſitio quædam negativa removens peccatum, quod hominem magis indignum gratia redderet: vel purus quidam terminus, cui Deus, tametſi in ſe nullam habeat virtutem, affixit collationem gratiæ, ad quam conferendam aliunde movetur ex meritis Chriſti. Sic quando dominus mandat famulo, ut det eleemoſynam ſonante hora 1ma, ſonus iſte eſt purus terminus in ordine ad dandam eleemoſynam, ad quam famulus movetur a mandato Domini. Unde opera naturalia non ſunt 1 meritum congruum gratiæ, ut nonnulli docuerunt cum Durando; nam hæc opinio non ſatis recedit ab errore Maſſilienſium, qui ipſimet non videntur plus admiſiſſe. 2. Diſpoſitio poſitiva ad gratiam; quia talis diſpoſitio reipſa eſſet cauſſa moralis, & meritum de congruo. 3. Conditio ſtricte dicta, quæ ſcilicet habet bonitatem propriam, qua quis movetur ad eam appetendam. Cæterum quam-

vis

vis Deus paratus sit omnibus, & singulis conferre gratiam, eamque facienti, quod est in se, semper actu conferat, multis tamen eandem denegat, quia non faciunt, quod est in se, & vicissim multis gratiam confert, etsi non faciant, quod est in se.

545 Dicendum. Deus infallibiliter confert gratiam supernaturalem, necessariam ad fidem, & salutem facienti, quod est in se, secundem vires, quas habet, sive supernaturales, sive mere naturales. Conclusio ita disjunctive posita est certa; nam Deus non obstante generali lapsu per peccatum Adami, quantum est in se, serio vult quemlibet hominem salvare propter merita unigeniti filii sui; ergo cuilibet offert primam saltem gratiam supernaturalem, paratus, si illa bene utatur, eidem dare gratias ulteriores ad fidem, & salutem necessarias, nisi homo ipsemet ex sua parte ponat impedimentum. Ant. hic supponitur, & alibi efficaciter probatur, præsertim ex illo Apostoli 1 ad Timoth. 2 v. 4: *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Quem textum in nostro sensu, & de statu naturæ lapsæ exponunt SS. Damascenus, Ambrosius, Augustinus, Prosper &c. apud Cornelium a Lapide. Ipse vero Apostolus v. 5 subjungit hanc rationem: *Unus enim Deus, unus mediator Dei, & hominum homo Christus JEsus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Consequentia patet, qui enim serio vult finem, debet adhibere media ad obtinendum finem necessario requisita; nisi his mediis aliunde ponatur obex. Subsummo; atqui ille non ponit obicem, & impedimentum gratiæ, qui facit, quantum potest secundum vires, quas habet, sive dein istæ vires sint supernaturales, sive mere naturales.

Por-

Porro ſicut Deus poteſt dare auxilia mere naturalia, ut homo faciat, quantum eſt in ſe; ita nulla ſufficiente ratione probatur, quod ſemper & omnibus det gratias ſupernaturales, præſertim ſi loquamur de gentibus, & aliis barbaris. Imo SS. Patres apud Bellarm. Lib. 1 de juſtificat. cap. 13 paſſim docent, fidem ſub nullum meritum cadere, ſed eſſe illorum initium. S. Auguſtinus de gratia, & liber. arbitr. cap. 7 ait: *Opera ſunt ex fide, non ex operibus fides.* S. Proſper lib. 3 de vita contemplat. cap. 21: *Fides eſt juſtitiæ fundamentum, quam nulla opera præcedunt, & ex qua omnia procedunt.* Idem indicant Concilium Arauſicanum II & Tridentinum, dum definiunt, *Deum nullis præcedentibus noſtris meritis fidem inſpirare*: quæ teſtimonia non poſſunt intelligi de quacunque tantum gratia ſupernaturali, quæ tantum excitaret hominem ad ſuperandam e. g. aliquam tentationem, ſed denotant fidem ſaltem latius acceptam, qua intellectus excitatur, & illuſtratur ad cognoſcendum ex creaturis Deum ſumme bonum, & juſtum, adeoque delictorum vindicem, & remuneratorem virtutum. De hac gratia loquitur Apoſtolus ad Rom. I v. 21, dum de Ethnicis ſapientibus ait: *Cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.*

Objectiones.

Obj. 1. Concilium Arauſicanum II pluribus Canonibus damnat illos, qui dicunt gratiam Dei poſſe conferri ad invocationem humanam. 2. Deum expectare noſtram voluntatem. 3. Opera naturalia conducere ad ſalutem vitæ æternæ; atqui hæc fierent juxta noſtram concluſionem: ergo. Conf. Quod in omnibus ſit, natura- 547

turaliter fit; ergo si Deus omnibus, qui non ponunt impedimentum, debet dare gratiam sufficientem, gratia est debita naturæ. Resp. Conc. Maj. Dist. min. si Deus infallibiliter deberet dare gratiam facienti, quod est in se, per vires supernaturales, Neg. min. per vires naturales, Subdist. si opera naturalia essent dispositio, vel conditio positiva, Conc. min. secus, Neg. min. Concilium Arausicanum agit contra Massilienses, qui operibus naturalibus tribuebant virtutem, merendi & positive disponendi ad gratiam; juxta nos autem ejusmodi opera sunt tantum dispositio negativa, aut purus terminus, adeoque Deus tantum expectat humanam voluntatem negative se disponentem, neque id semper ut volebant Massilienses; nam sæpe Deus confert gratiam illis, qui non faciunt, quod est in se, ut patet in conversione S. Pauli aliorumque plurimorum. Ad Conf. Trans. Ant. Dist. Conf. gratia esset debita naturæ, ut elevatæ, & a Christo redemptæ, Conc. Conf. naturæ secundum se spectatæ, Neg. Conf. Tota ratio, quare Deus facienti, quod est in se, gratiam conferre debeat, est redemptio, & pactum divini Redemptoris cum Patre pro nobis initum.

648 Dices 1. Si homo viribus naturalibus posset facere, quod est in se, initium fidei esset ex nobis, & justus se ipsum posset discernere ab injusto; atqui hoc rursus pugnat contra Apostolum, Concilium Arausicanum & S. Augustinum, ut patet ex num. 419: ergo. Conf. Non solum petimus a Deo, ut bene agamus, sed etiam ut possimus bene agere; atqui si facienti, quod est in se, infallibiliter daretur gratia, hæc oratio esset frustranea; quis enim rogat, quod scit, sibi aliunde infallibiliter dandum esse? Resp. Dist. Maj. initium fidei esset ex nobis, & justus se-

ipsum

ipsum posset discernere positive, Neg. Maj. mere negative, Conc. Maj. & sic Dist. min. Neg. Conf. Ratio responsionis habetur citato num. 419, ubi a S. Augustino & concilio Arausicano expresse fit mentio meritorum: at juxta nos Deus non dat gratiam propter opera naturalia, per quæ tantum meremur ulteriora auxilia naturalia. Quamvis enim Deus etiam in statu naturæ lapsæ homini nullius adhuc peccati personalis reo debuisset dare moralem potentiam servandi legem naturæ, potuisset tamen in pœnam peccati originalis omnes Adami posteros æternum privare felicitate supernaturali, in quo statu hominem sine peccato personali mortuum eadem sors mansisset, quæ modo manet parvulos sine baptismo decedentes. Ad Conf. Conc. Maj. Neg. min. Nam nisi homo ad Deum se convertat, eumque roget, non facit, quod est in se, cum ad ista ipso jure naturali obligetur.

Dices 2. Si opera naturalia tantum essent 549
dispositio negativa ad gratiam, ethnicus se ad illam non minus disponeret per ambulationem, vel etiam somnum, quam per actus naturales moraliter bonos; nam etiam tali modo nullum poneret impedimentum; atqui sequela est falsa: ergo. Conf. Deus facienti, quod est in se, primam gratiam confert liberaliter, & gratuito: ergo illam æque potest negare, quam si non faceret, quod in se. Resp. Neg. Maj. Qui, quantum possunt, servant legem naturæ, & ponunt actus moraliter bonos, proprie faciunt, quod Deus ut auctor naturæ ab ipsis exigere potest; id autem non præstant, qui tantum eliciunt actus indifferentes, unde ex nostra conclusione nondum sequitur, quod Deus etiam illis universaliter gratiam conferre decreverit. Neque tamen ideo opera moralia mere naturalia sunt motivum gratiam conferendi; nam licet in se habeant boni-

tatem quamdam positivam, nihilominus gratia supernaturalis solum datur intuitu meritorum Christi. Ad Conf. Dist. Ant. confert primam gratiam supernaturalem liberaliter, & gratuito respectu hominis, Conc. Ant. respectu Christi, Neg. Ant. sed respectu Christi gratia tali homini confertur ex obligatione, & pacto cum Patre inito.

550 Obj. 2. Ut homo faciat, quod est in se, debet tendere in Deum tanquam in ultimum finem: ergo jam debet elicere actus supernaturales, quippe conatus ille ideo homini a Deo donatur, ut ipsi conducat ad suum finem, qui de facto est supernaturalis. Conf. S. Prosper cap. 4. contra Collat. ex mente S. Augustini docet, si quid boni operis ex nobis procedit, illud hoc ipso esse meritum ex Dei gratia profectum. *Vides*, ait, *bonos conatus, & pia studia, & dubitas esse dona Dei.* Item: *velis nolis convinceris dicere, gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur affirmas.* Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. rationem additam Dist. conatus ille a Deo donatur, ut negative conducat ad finem ultimum, Conc. ut positive conducat, Neg. Ad Conf. Dist. Ant. S. Prosper hoc docet, & loquitur de opere bono qualicunque etiam non salutari, Neg. Ant. de opere bono vere Christiano, & salutari, Conc. Ant. S. Prosper more S. Augustini opus bonum solet accipere in sensu stricto pro bono salutari; loquitur enim de opere, propter quod datur gratia, & quod supponit fidem. *Latuerit*, inquit ibidem, *opus gratiæ, donec fides insita cogitationis claudebatur arcano, at ubi supplex oratio, ubi diligens inquisitio &c. colligere debes illa esse Dei dona*, a fide videlicet interna saltem latius sumpta profecta.

Di-

Dices. S. Augustinus lib. 1 ad Simplic. 551
q. 2 dicit : *Si statuere voluero, quod Deus in eligendis hominibus attendat ad melius ingenium, honestas utilesque doctrinas, & minora peccata; me ridebit, qui infima mundi elegit, ut confundat fortia :* ergo electio ad gratiam fit absque respectu ad ullam conditionem se tenentem ex parte hominis, & quidem ita, ut aliquos negligat, etsi faciant, quod est in se, ut clarius S. Doctor confirmat lib. 1 de peccat. merit. & remiss. cap. 22 exemplo duorum, quorum unus tardus ingenio, libidinibus deditus, & facinoribus coopertus vocatur ad fidem, non item alter, licet ab ineunte ætate modestior, ingeniosior, temperantior, & ex magna parte libidinum victor. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. S. Doctor ad Simplicianum non loquitur de vocandis, sed *de eligendis* hominibus, & inter mysteria gratiæ illud maxime admiratur, quod Deus quibusdam tribuat gratias efficaces, aliis vero mere sufficientes: nos autem hic agimus de gratia sufficiente, nec unquam diximus, Deum facienti, quod est in se, infallibiliter tribuere gratiam efficacem. In libro de peccator. merit. ponit quidem, alterum esse modestiorem, temperantiorem &c. at non dicit, illum fecisse, quod est in se, & nunquam graviter peccasse, sed tantum quod vicerit libidinem *ex magna parte.* Jam vero Deus non debet potius conferre gratiam illi, qui pauciora peccata gravia commisit, sed post peccatum commissum nulli amplius illam debet ex pacto cum Christo inito.

Obj. 3. Vel Deus vi pacti cum Christo ini- 552
ti deberet dare gratiam supernaturalem homini facienti, quod est in se, tantum ad breve tempus, vel ad longum? non primum; alias si homo tantum poneret unum vel alterum actum a lege naturali præceptum, Deus illi statim deberet

 dare

dare gratiam supernaturalem : non secundum, alias collatio gratiæ fuisset alligata termino impossibili, quia lex naturalis non potest diu observari sine gratia supernaturali. Conf. Hæc gratia, quam Deus homini ethnico concederet, nec præsupponeret fidem, nec ipsa esset vocatio ad fidem : ergo ante fidem homo posset ponere aliquod opus supernaturale. Resp. Conc. Maj. Neg. min. & dico : si homini, qui prius fecit, quantum est in se, occurrat difficultas, quæ absque gratia supernaturali non amplius potest vinci, Deus statim illi debet dare gratiam supernaturalem; quippe homo sine culpa personali non potest conjici in necessitatem moralem graviter peccandi; ergo si Deus illi nolit succurrere per ulteriores gratias naturales, debet id facere per supernaturales. Ad Conf. Neg. Maj. cum enim fides sit initium salutis, Deus nunquam dat homini gratiam supernaturalem, quin vel per hanc ipsam gratiam, vel per aliam præcedentem eidem largiatur quamdam ideam Dei remuneratoris, & vindicis, adeoque opus bonum non poneretur sine omni fide, & sic jam posset conducere ad impetrandam fidem perfectam.

553 Dices. Tali modo fides esset prima gratia, & fons omnium aliarum ; hoc damnatum est in propositionibus Quesnelli 26 : *Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem.* 27 : *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.* 55 : *Extra Ecclesiam nulla conceditur.* Conf. S. Gregorius Homil. 9 in Ezechiel. ait : *Nec fides sine operibus, nec opera adjuvant sine fide, nisi fortasse pro fide percipienda fiant, sicut Cornelius ante pro bonis operibus meruit audiri, quam fidelis existeret :* ergo jam dantur opera supernaturalia ante fidem. Resp. Dist. Maj. fides aliqua inchoata & latius dicta esset prima gratia, Conc. Maj. fides christiana, & perfecta, Neg. Maj. Juxta Quesnellum

lum prima gratia, & fundamentum omnium aliarum est fides christiana perfecta, & quidem justificativa, atque cum charitate Dei conjuncta; quod utique falsum, cum talem fidem necessario debeat praecedere pia affectio supernaturalis; imo in systemate Quesnelli nullus infidelis se ad fidem, aut justificationem posset disponere. Ad Conf. redit data distinctio, & mens S. Gregorii patet ex ipso exemplo Cornelii, qui, ut S. Augustinus advertit, non sine aliqua fide supernaturali orabat, & donabat; hinc Concilium Arausicanum II dicit, illius fidem fuisse divinae largitatis donum. Vid. etiam num. 429.

Obj. 4. Sententia asserens, quod Deus non 554
deneget gratiam facienti, quod est in se per vires naturales, juxta clerum Gallicanum instaurat Semipelagianismum, in quantum causam discernendi inter justos, & non justos refert in opera mere naturalia; pactum autem, quod inter Deum, & Christum asserit, ab eodem clero dicitur esse commentum temerarium, erroneum, adversans Scripturae, & traditioni Patrum. Conf. Dicendo, quod Deus omnibus etiam infidelibus semper largiatur gratias supernaturales magis commendatur liberalitas Dei: ergo. Resp. Ab his Gallorum censuris nostram Germaniam longius remotam esse, quam ut illis terreatur: neque juxta nos opera naturalia sunt causa discernendi justos ab injustis, sed haec discretio fit per gratiam, quin opera naturalia gratiam causent. Pactum inter Christum, & Deum tam parum est temerarium commentum, quam si dicamus, Deum ex pacto cum Christo inito velle omnes homines salvos fieri. Propositio erronea est, quae contradicit alicui conclusioni deductae ex duabus praemissis, quarum una est de fide, altera evidens; ostendant igitur Galli, quod nostra sententia tali conclusioni con-

tradicat, & tunc illorum censuram venerabimur. Ad Conf. Omitto Ant. Neg. Conf. Non omnia, quæ magis liberalitatem commendant, Deus facit; imo liberalitas videtur esse major, si gratiam supernaturalem fidei homini sine suo merito concedat.

QUÆSTIO III.

Utrum Deus omnibus justis conferat gratiam sufficientem ad servanda præcepta, & perseverandum in statu justitiæ?

555 Postquam quæstione præcedente ostendi, quod Deus suam gratiam nunquam deneget illis, qui fecerunt, quantum est in se, nunc ulterius indagandum, utrum auxilia vere sufficientia etiam concedat hominibus, a quibus aliquando graviter fuit offensus; hi autem sunt triplicis generis. 1. Justi, qui amissam gratiam sanctificantem per seriam pœnitentiam iterum recuperarunt. 2. Peccatores, qui adhuc in suis peccatis perseverant. 3. Infideles, qui nunquam ad veram fidem pervenerunt. De parvulis hic tractandi locus non est; sicut enim non sunt compotes rationis, ita neque gratiæ actualis internæ capaces sunt; loquendo igitur de adultis, primo hic contra Lutherum, Calvinum, & Jansenium probandum est, quod Deus homines justos, etiam reprobos, nunquam sua *gratia deserat, nisi prius ab illis deseratur*. Prout docet Concilium Tridentinum sess. 6 cap. 11.

556 Dicendum. Deus omnibus justis, etiam reprobandis olim, urgente præcepto, quod sine gratia impleri non potest, dat gratiam proxime, vel saltem remote sufficientem, qua possint præceptum implere, & in justitia perseverare. Prob. 1. auctoritate Scripturæ, Conciliorum, & summorum Pontificum. Ecclesiastici 15 v. 16 dicitur

citur : *Si volueris mandata ſervare conſervabunt te*, & 1 ad Cor. 10 v. 13 : *Fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum* ; quæ verba ſaltem de juſtis debent intelligi : hinc Concilium Tridentinum ſeſſ. 6 Can. 18 ita definit : *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.* Similia habent Concilium Milevitanum II & Africanum II ; merito itaque Innocentius X, & Alexander VII damnarunt primam propoſitionem Janſenii : in qua aſſeritur, aliqua præcepta hominibus juſtis ſecundum præſentes, quas habent vires, eſſe impoſſibilia, & illis deeſſe gratiam, qua poſſibilia fiant. Vide num. 513.

Probatur concluſio 2 ratione. Eſt de ra- 557
tione veræ amicitiæ, quam homo juſtificatus vi gratiæ ſanctificantis habet cum Deo, ut excludat neceſſitatem moralem illa excidendi ; atqui hoc non fieret, ſi Deus negaret gratiam ſufficientem ad ſervanda præcepta, & vitanda peccata gravia. Imo quia eadem amicitia cum Deo tribuit homini jus ad beatitudinem æternam, eidem etiam tribuit jus ad media neceſſaria, ſine quibus illa obtineri nequit ; atqui inter iſta media vel maxime eſt gratia ſufficiens ad vitanda peccata gravia ; hinc præter S. Chryſoſt. Hieron. Leon. Proſperum &c. apud Bellarm. lib. 2 de liber. arbitr. cap. 7 noſtræ concluſioni aperte favet S. Auguſtinus præſertim in lib. de natura, & gratia, ibi cap. 26 ait : *Deus ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur.* Cap. 43 : *Non igitur Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo admonet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis.* Cap. 69 : *Eo ipſo, quod firmiſſime creditur Deum juſtum, &* bo-

bonum impossibilia non statuisse præcipere ; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus, quid petamus.

Objectiones.

558 Obj. 1. Juxta S. Scripturam nihil potest fieri sine gratia efficaci ; atqui gratia efficax non datur omnibus justis : ergo. Maj. Prob. ex verbis Christi Joann. 6 v. 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Item v. 66 : *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Conf. Quando Apostolus 1 ad Cor. 10 v. 13 ait : *Fidelis est Deus &c.* tantum loquitur de prædestinatis : ergo. Resp. Neg. Maj. Verba Christi solum in genere demonstrant necessitatem gratiæ ad quodcunque opus salutare, seu ut exponit S. Augustinus lib. 1 contra 2 epist. Pelag. cap. 19, significant gratiam, quæ præveniat, non quæ sequatur voluntatem, ut opinabantur Pelagiani. Ad Conf. Neg. Ant. quamvis Pontifex Hormisda epist. 15 ad Possessorem Episcopum, & S. Augustinus lib. de bono perseverant. cap. 5 hunc textum antonomastice applicent prædestinatis, illum tamen a S. Paulo de omnibus justis pronuntiatum esse, patet tum ex versu immediate præcedente : *Qui se existimat stare, videat, ne cadat*, quæ adhortatio ad omnes justos pertinet ; tum ex eo, quia scribit ad omnes fideles, qui erant Corinthi, quis autem dicet, omnes illos fuisse prædestinatos.

559 Dices. Quando Concilia necessitatem gratiæ contra Pelagianos statuunt, semper requirunt gratiam efficacem. Sic Concilium Africanum I in epistola Synodica ad Innocentium I ait : *Eam gratiam esse necessariam, qua Christiani sumus, & a concupiscentiæ dominatu liberamur.* Milevitanum II : *Necessariam esse gratiam,*

qua non ſolum ſcimus, quid appetere, aut vitare debeamus, ſed etiam facere diligamus. Tridentinum ſeſſ. 6 Can. 22: *Juſtificatum non poſſe perſeverare in juſtitia ſine gratia ſpeciali*, & Can. 11: *Jubet petere, quod non poſſis.* Reſp. Neg. Ant. Concilia contra Pelagianos ſolum ſtatuunt, ad omne bonum ſalutare neceſſariam eſſe gratiam, ſed nullibi dicunt, eam neceſſario poſt ſe trahere ipſum actum, imo Africanum I expreſſe ait: *Eam gratiam eſſe talem, qua voluntatis arbitrium vere ſit liberum.* Milevitanum II loquitur de ea dilectione, qua bonum facere diligamus, *& valeamus.* Tridentinum per auxilium Dei ſpeciale intelligit gratiam actualem habituali ſuperadditam. Can. 11 autem expreſſe addit: *& Deus adjuvat, ut poſſis.* Quæ verba Janſenius lib. 3 de gratia Chriſti infideliter ſuppreſſit.

Obj. 2. S. Auguſtinus ſæpe docet, juſtis 560
aliquando deeſſe gratiam ſufficientem. Sic ſerm. 97 de diverſis cap. 4 ait: *Volumus o Domine, volumus, & non poſſumus: aut forte nec volumus, premente ſarcina gravamur, & nolumus.* Tract. 34 in Joann. num. 9: *Surge, & ambula; forte conaris ambulare, & non potes, quia dolent pedes.* Lib. de perfect. juſtit. cap. 4, poſtquam dixit impotentiam implendi quædam præcepta oriri ex peccatorum præcedentium pœnis, ſubjungit: *Sub quibus poſiti, vel non poſſumus, quod volumus, intelligere, vel quod intellexerimus, nolumus, nec valemus implere.* Reſp. Diſt. Ant. docet aliquando deeſſe gratiam moraliter ſufficientem ad majorem perfectionem, vel vitanda omnia peccata venialia, Conc. Ant. ad vitanda peccata gravia, Subdiſt. gratiam proxime ſufficientem, Conc. Ant. remote ſufficientem, Neg. Ant. S. Doctor ſermon. 97 ait: *Ut hoc poſſis, implora eum, ſine quo nihil facere potes.* In tract. 34 loquitur de impotentia homi-

ni libera, & vincibili per gratiam Christi; addit enim: *Surge piger, via ipsa ad te venit, & te de somno dormientem excitat.* De perfectione justitiæ agnoscit quidem impotentiam quamdam moralem ex peccato originali, sed quæ per gratiam Christi mediatoris possit deponi.

561 Dices. Juxta S. Doctorem quandoque homo etiam destituitur gratia remote sufficiente; nam lib. 1 ad Simplic. cap. 2 ita habet: *Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, & pene nulla, imo interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus.* Conf. Si omnibus justis daretur gratia saltem remote sufficiens, facile posset dari causa, cur unus ulteriorem, & efficacem recipiat, non item alter, quia nempe unus non item alter gratia remote sufficiente bene utitur; atqui hoc est contra S. Augustinum, qui lib. de spirit. & litt. cap. 34 fatetur, se id ignorare, & pertinere ad inscrutabilia judicia Dei. Resp. Neg. Ant. Quamvis S. Augustinus loco objecto dicat nostram orationem aliquando esse tepidam, frigidam, & pene nullam, non tamen ait, hoc provenire ex defectu gratiæ sufficientis; sed ipsa voluntas nostra in culpa est. Ad Conf. quod possit reddi ratio, quod justus, qui non orat, ut debet, & potest, non recipiat ulteriorem gratiam, agnovit August. lib. de corrept. & grat. n. 11. dicens: *Deserunt, & deseruntur.* Cur autem unus recipiat tantum sufficientem, alter efficacem, utique mysterium est, cujus nulla sufficiens ratio præter inscrutabilem Dei voluntatem invenitur.

562 Obj. 3. S. Petrus, antequam Christum negavit, erat justus, & tamen ipsi defuit gratia ad vincendam tentationem, & implendum præceptum de Christo non negando, ut docent SS. Patres, præsertim S. Chrysostomus, qui Homil. 72 in Joan. inquit: *Casus Petri non frigiditate,*

sed

ſed ſuperni auxilii derelictu contigit, & Homil. 31 in epiſt. ad Hebr. *Illa negatio non tam erat ſocordiæ, & negligentiæ, quam ex eo; quod Deus eum deſeruerat.* Conf. Ex S. Auguſtino ſerm. 124 de tempore: *Quid eſt homo ſine gratia Dei, niſi quod fuit Petrus, cum negaret Chriſtum, ideo beatum Petrum paululum Dominus ſubdeſeruit, ut ex illo totum humanum genus poſſit agnoſcere, nihil ſe ſine gratia Dei poſſe prævalere.* Reſp. Tranſ. Ant. quoad primum membrum. Nam antequam Petrus Chriſtum exterius negavit, juxta eosdem Patres gratia jam exciderat, interno ſuperbiæ ac præſumptionis peccato. Diſt. 2dum membrum, ipſi defuit gratia efficax, Conc. Ant. ſufficiens, Subdiſt. proxime ſufficiens, Conc. Ant. remote ſufficiens, Neg. Ant. rationem ita diſtinguendi inſinuat ipſe S. Auguſtinus dicens: *Quod Deus Petrum ſubdeſeruerit paululum*, & S. Chryſoſtomus Homil. 83 in Matth. his verbis: *Totum ſibi attribuebat dicens: etſi omnes ſcandalizati fuerint, cum dicere debuiſſet: patrocinio tuo juvabis.* Hinc ad Conf. S. Auguſtinus ſolum vult, quod homo nihil valeat prævalere per ſolam gratiam remote ſufficientem ſine proxime ſufficiente.

Dices. Tali modo lapſus Petri referendus eſ- 563
ſet in ſocordiam, & negligentiam, qua omiſit a Deo petere ulterius auxilium; atqui hoc eſt contra S. Chryſoſtomum, qui ruinam Petri unice refert in abſentiam gratiæ. Conf. Poteſt Deus homini juſto negare gratiam ſufficientem; ergo non eſt ratio dicendi, quod illam Petro non negaverit. *Petrus*, inquit S. Auguſtinus ſermon. 106 de diverſis, *dixit ſe moriturum pro Chriſto, & non potuit, plus auſus eſt, quam ejus capacitas ſuſtinebat, plus promiſerat, quam poterat.* Reſp. duplicem ſocordiam a divo Petro admiſſam fuiſſe, unam cum a Chriſto de trina negatio-

gatione præmonitus neglexit, Divinam implorare gratiam, & hæc ſocordia cauſa fuit deſertionis divinæ, alteram cum mortis timore Chriſtum negavit, & de hac loquitur S. Chryſoſtomus. Ad Conf. Neg. Ant. Lex amicitiæ, & pactum cum Chriſto vetat, ne Deus hominem juſtum prius deſerat, quam ab ipſo deſeratur; de qua lege nos certos facit auctoritas in probatione citata. Textus S. Auguſtini rurſus intelligi poteſt de gratia proxime ſufficiente, vel de tempore, quando præceptum moriendi pro Chriſto nondum urgebat.

564 Obj. 4. Quamvis perſeverantia finalis ſit neceſſaria ad vitam æternam, tamen Deus illam juſtis poteſt negare: ergo etiam poteſt negare gratiam ſufficientem; certe S. Auguſtinus lib. de dono perſever. cap. 22 ait: *Juſtis reprobis ſubtrahi obediendi vires.* Conf. Si juſti ſemper haberent gratiam ſufficientem, non deberent pro illa orare, ut patet ex S. Auguſtino lib. de nat. & grat. cap. 53, ubi ſic: *Fideles enim orantes dicunt: & ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos a malo, ſi adeſt poſſibilitas, ut quid orant?* Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Donum finalis perſeverantiæ non eſt neceſſarium ad hoc, ut ſalutem poſſimus conſequi, ſed tantum ut actu illam conſequamur. S. Auguſtinus vero adeo non aſſerit, juſtis reprobis ſubtrahi vires remote ſufficientes ad obediendum, ut potius dicat hanc propoſitionem: *Si prædeſtinati eſtis rejiciendi, ſubtrahentur obediendi vires,* eſſe abominabilem. Ad Conf. Diſt. Ant. ſi ſemper haberent gratiam proxime ſufficientem, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. S. Auguſtinus loquitur de poſſibilitate, quam aſſerebat Pelagius eſſe in noſtro libero arbitrio, independenter a gratia interna præveniente, ut colligitur ex verbis paulo poſt additis: *Quid tantum*

tum de naturæ possibilitate præsumitur. Vid. etiam num 548.

QUÆSTIO IV.

An Deus omnibus peccatoribus det gratiam sufficientem ad pœnitentiam?

Quamvis disputatione præcedente quæst. 5 di- 565
xerim, in hac providentia ad servandam legem etiam naturalem requiri fidem, & gratiam sanctificantem; certum tamen est, etiam peccatores, & infideles habere potentiam physicam servandi quæcunque præcepta, ad quorum observationem proxime obligantur; nam ad impossibile nemo tenetur, & *nemo peccat in eo, quod nullo modo caveri potest*, ut ait S. Augustinus lib. 3 de liber. arbitr. cap. 18. Imo etiam impotentia moralis, ut ibidem Num. 482 adverti, non est absoluta, sed solum conditionata, si ex propria culpa ad fidem, & gratiam sanctificantem se non disponant. Utrum vero ad illam se disponere valeant, in præsenti examinandum est. Negant id non solum Jansenistæ, sed etiam quidam Catholici, præsertim ex Recentioribus Thomistis, cum P. Berti existimantes, peccatoribus quibusdam obstinatis, qui jam multas gratias, & salutis remedia proterve abjecerunt, post certam gratiarum, ac peccatorum mensuram nullum amplius auxilium etiam remote sufficiens ad seriam conversionem concedi, & ideo juxta mentem Catholicorum non amplius peccant omittendo pœnitentiam, nec pereunt propter peccata, quæ obstinationem consequuntur, sed propter præcedentia, ob quæ omni gratia sufficiente destituuntur.

Dicendum. Deus peccatoribus etiam excæ- 566
catis, & obduratis tempore opportuno dat gra-

tiam

tiam ſufficientem ad agendam pœnitentiam. Prob. 1. Deus in S. Scriptura omnes peccatores ſine diſcrimine ad pœnitentiam invitat, eosque objurgat, quod Deo vocanti non obediant, Spiritui ſancto reſiſtant &c. atqui iſta prudenter, & juſte fieri non poſſent, ſi omni gratia ſufficiente ad agendam pœnitentiam deſtituerentur. Ant. Prob. Ezech. 33 v. 11 Deus ad obſtinatos Judæos proteſtatur: *Vivo ego, nolo mortem impii, ſed ut convertatur a via ſua, & vivat.* Chriſtus Matth. 11 v. 28 univerſaliter ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis* (gravibus peccatis) *& ego reficiam vos.* Ad Rom. 2 v. 4: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit; ſecundum autem duritiem tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei.* Conf. Auctoritate, & praxi Eccleſiæ, quæ omnibus adultis nullo excepto præcipit, ut ſemel quotannis Sacramentum pœnitentiæ obeant, & pro converſione peccatorum etiam ſceleſtiſſimorum orat, quia nempe, ut Concilium Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 14 docet, *Qui accepta juſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus juſtificari poterunt.*

567 Probatur concluſio 2. Ex una parte omnes peccatores etiam obdurati adhuc ſunt in ſtatu viæ, & tenentur tendere ad ſupernæ felicitatis terminum: ex altera parte nemo in hac vita debet de ſalute deſperare, ſed præceptum ſpei omnes viatores ſemper obligat; atqui ſi Deus peccatoribus obduratis negaret omnem gratiam, non amplius poſſent tendere ad terminum, ſed deſperare deberent; neque enim peccatorum remiſſionem poſſumus ſperare, aut obtinere, niſi credamus, illam nobis a Deo fuiſſe promiſſam, ut colligitur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6 cap. 6, ubi

ubi inter dispositiones ad pœnitentiam necessarias expresse ponit fidem, & spem. Hinc S. Augustinus in Psalm. 6 ait: *Cæcitas consummata non datur, quamdiu peccator vivit, sed primum in die judicii*: & in Psalm. 63: *Nunquid consilii corrigendi, & mutandæ vitæ malæ in bonum non est locus? non est tempus? nonne si vis, hodie fit? si vis, modo fit?* Consentit Magistro suo S. Prosper num. 15 ad objectiones Vincentianas dicens: *Nemini Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat.* Similia habent SS. Ambros. Hieron. Hilar. Chrysost. &c. apud Bellarm. lib. 2 de liber. arbitr. cap. 5.

Dixi, gratias sufficientes ad pœnitentiam 568
concedi tempore opportuno, quando nempe urget præceptum aut alia occasione ad conatus pios, & actus salutares excitamur, e. g. dum audimus ferventem concionem, dum in aliis videmus singularia pietatis exempla, dum occurrunt pœnæ temporales, mors amici &c. neque enim defendo has gratias concedi quolibet momento, sed omni tempore aliquanto diutius durante, quamdiu peccator adhuc habet usum rationis; alias etiam dormientes vel negotiis profanis penitus absorpti semper deberent excitari per gratiam, quod repugnat experientiæ, & aliquibus non videtur satis convenire cum sacra Scriptura, in qua Isaiæ cap. 6 v. 10 legitur: *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur.* Quæ verba, inquiunt, non solum subtractionem gratiæ efficacis, sed etiam sufficientis ad aliquod tempus denotant; hinc Psalm. 94 v. 8 monemur: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Ob-

Objectiones.

569 Obj. 1. Deus in facra Scriptura fæpe dicitur aliquos peccatores obdurare, & excæcare; fed hoc fit per fubtractionem gratiæ; fecus non effet difcrimen inter peccatores obftinatos, & alios. Conf. Ecclef. 7 v. 14 dicitur: *Confidera opera Dei, quod nemo poffit corrigere, quem ille defpexerit.* In quæ verba S. Ifidorus lib. de fummo bono cap. 13 inquit: *Nonnulli ita defpiciuntur a Deo, ut deplorare mala fua non poffint, etiamfi velint:* ergo aliqui ita a Deo deferuntur, ut converti nequeant. Refp. Conc. Maj. Dift. min. hoc fit per fubtractionem gratiæ congruæ, Conc. min. fufficientis, fubdift. proxime fufficientis & vehementer allicientis, Conc. min. etiam remote fufficientis, Neg. min. Difcrimen inter peccatores alios, & obduratos eft, quod Deus obduratis non tam facile det gratias efficaces aut proxime fufficientes, imo etiam remote fufficientes debiliores. Ad Conf. Conc. Ant. Dift. Conf. ut non poffint converti impotentia confequente, & voluntaria, ac in fenfu compofito fuæ obftinationis, Conc. Conf. impotentia antecedente, & in fenfu divifo obftinationis, Subdift. non poffunt converti abfolute, Neg. Conf. fine magna difficultate, Conc. Conf. eodem modo aliqui diftinguunt textum facræ Scripturæ numero fuperiore recitatum.

570 Dices 1. SS. Patres, & Afcetæ paffim docent, peccatores obftinatos poft certam menfuram gratiarum, & peccatorum non amplius poffe refurgere juxta illud Amos 1 v. 3: *Super tribus fceleribus Damafci, & fuper quatuor non* con-

convertam. Conf. Juxta S. Scripturam quidam peccatores adeo ſunt derelicti, ut fruſtra ad Deum confugiant. Sic 2 Machab. 9 v. 13 de Antiocho dicitur: *Orabat hic ſceleſtus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Ad Hebr. 11 v. 17 de Eſau: *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquiſiviſſet eam.* Reſp. Diſt. Ant. docent peccatores obſtinatos non amplius poſſe reſurgere impotentia abſoluta, & ſimpliciter tali, Neg. Ant. impotentia minus ſtricte morali ſpectatis circumſtantiis habitus pravi, & malæ conſuetudinis, Conc. Ant. Amos non agit de gratia converſionis Damaſco deneganda, ſed de punitione Syriorum per calamitates temporales, quas Deus decreverat immittere poſt certum numerum peccatorum, quorum numerus definitus ponitur pro indefinito, ut alias ſæpe in Scripturis; quod ſi textum in ſenſu myſtico accipere velis, dices illum loqui de gratia efficaci, vel proxime ſufficiente. Ad Conf. Diſt. Ant. ut fruſtra ad Deum confugiant, ſi non habeant debitum motivum & finem confugiendi, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. Antiochus non orabat, ut peccatorum veniam impetraret, ſed ut dolori inveniret ſolatium, neque Eſau deflebat peccata ſua, ſed ablata ſibi primogenita.

Dices 2. Matth. 12 v. 32 dicitur, *Verbum,* 571
ſeu blaſphemiam in Spiritum ſanctum, neque in hoc, neque in futuro ſæculo remitti. Ad Hebr. 6 v. 4. *Impoſſibile eſſe, eos, qui ſemel ſunt illuminati, & prolapſi, rurſus renovari ad pœnitentiam.* Ad Hebr. 10 v. 26, *Voluntarie peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis, non relinqui hoſtiam pro peccatis:* ergo. Conf. ex illo 1 Joann. 5 v. 16: *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo quædam peccata nunquam amplius

remittuntur, Neg. Conſ. ut plurimum non remittuntur, ſubtrahente Deo gratias efficaces, Conc. Conſ. Per verbum in Spiritum ſanctum S. Athanaſius orat. 2 contra Arrian. & S. Chryſoſtomus Homil. 42 in Matth. non intelligunt qualemcunque blasphemiam, ſed agnitæ veritatis impugnationem, qua proterve reſpuitur fidei veritas, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. Ad Hebr. 6 non eſt ſermo de qualicunque pœnitentia, ſed de ea, quæ fit in Baptiſmo, qui utique non poteſt iterari. Ad Hebr. 10 ſenſus eſt, quod poſt mortem Chriſti nobis non ſuperſit alia victima, qua peccata expientur, ut olim in antiquo teſtamento. Ad Conf. juxta S. Auguſtinum lib. de corrept. & grat. cap. 12 S. Joannes loquitur de peccato, in quo quis moritur cum impœnitentia finali. Juxta S. Hieronymum vero lib. 2 contra Jovinian. de peccatis valde enormibus e. g. apoſtaſia a fide, idololatria &c. quorum remiſſio longe difficilius a Deo impetratur, ut adeo Deus non tam fidenter pro talibus peccatoribus, quam pro aliis rogari poſſit.

572 Obj. 2. Juxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 11 *Deus ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur:* ergo deſerit eos, a quibus deſeritur, id eſt, peccatores ſaltem aliquos, & obſtinatos; hinc quando eadem ſeſſ. cap. 14 ait, peccatores rurſus poſſe juſtificari, tantum loquitur conditionate, *Cum excitante Deo per pœnitentiæ Sacramentum merito Chriſti amiſſam gratiam recuperare procuraverint.* Conf. S. Auguſtinus in Pſalm. 147 exclamat: *Ecce deſerit Deus peccatorem, ecce non vocat! ecce non aperit ſenſum! ecce non infundit gratiam:* ergo aliqui peccatores deſtituuntur gratia ſufficiente. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo deſerit aliquos penitus, Neg. Conſ. ita, ut non det gratias tam

for-

fortes ſicut juſtis, Conc. Conſ. Quod Concilium Tridentinum cap. 14 non tantum loquatur conditionate, patet ex eo, quia ibidem agit contra Lutherum, Calvinum, aliosque ſectarios, qui non negarunt ſenſum conditionatum, ſed abſolutum. Ad Conſ. eadem eſt reſponſio, quod ſcilicet Deus peccatoribus interdum deneget tale adjutorium, quo proxime, & facile pœnitentiam agere poſſunt.

Dices. S. Auguſt. lib. de nat. & grat. c. 22 573
ita loquitur: *Nec cogitat prævaricator legis, quam digne lux deſerat veritatis, qua deſertus utique fit cæcus, & plus neceſſe eſt, offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non ſurgat.* Neque hæc cæcitas juxta ipſum eſt voluntaria; nam lib. 1 operis imperfecti ait: *Quis porro volens cæcus eſt corde, cum nemo velit cæcus eſſe vel corpore.* Conſ. Ex illo in epiſt. ad Rom. propoſit. 62 de induratione Pharaonis: *Non ergo illi hoc imputabatur, quod tunc non obtemperaverit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat.* Reſp. ſenſum textus primi eſſe, quod prævaricatorem legis non nunquam deſerat gratia converſionis proxime ſufficiens, qua deſertus plus offendat, neceſſe eſt, neceſſitate conſequente negligentiam in petenda gratia converſionis. In altero textu ſolum vult, quod nemo adeo ſit cæcus, ut directe intendat pœnam peccati, ſcilicet privationem gratiæ, cæcitatem mentis &c. Ad Conf. S. Doctor vel loquitur de obduratione Pharaoni libera, qua poſt tot prodigia recuſavit agnoſcere Deum Moyſis, adeoque illa ſtante obedire non potuit; hinc S. Auguſtinus ait, inobedientiam non imputari ad novam culpam diſtinctam a peccato infidelitatis; vel ſi revera loqueretur de obduratione omnino involuntaria, dicendum eſſet, quod alibi ſuam doctrinam ſicut plura alia ibidem ſcripta revocaverit. Nempe ut ipſemet lib. 1 re-

retract. cap. 23 indicat, librum illum non admodum accurate, & ſtatim initio ſuæ converſionis exaravit.

574 Obj. 3. Habetur ab experientia, quod aliqui peccatores cœno vitiorum immerſi nullos amplius conſcientiæ ſtimulos ſentiant, nullo inferni timore, aut cœli amore afficiantur, ſed ab omni pietatis ſenſu alieni ipſum etiam orationis nomen faſtidiant: ergo. Conf. Non pauci poſt admiſſa peccata repente moriuntur, vel incidunt in amentiam, aut lethargum, quin amplius ad uſum rationis redeant: ergo deſtituuntur omni gratia etiam remote ſufficiente. Reſp. Neg. Ant. Quamvis ejusmodi peccatores conſcientiæ morſus diſſimulent, non raro illos ſentiunt, nec omnino eosdem extinguere poſſunt, utut illos ſopire conentur; teſtantur hoc infallibilia Scripturæ oracula e. g. illud Job. 15 v. 21: *Sonitus terroris in auribus ejus, & cum pax ſit, ſemper inſidias ſuſpicatur.* Item iſtud Iſai. 57 v. 20: *Impius quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt.* Quod ſi orationem horreant, id non fit ex defectu gratiæ, ſed ex obdurato corde, quo gratiam orandi rejiciunt. Ad Conf. Qui ita repente moriuntur, vel ratione deſtituuntur, non amplius obligantur ad agendam pœnitentiam ſaltem proxime, & licet obligarentur, non eſſet contra noſtram concluſionem, ut patet ex num. 568.

575 Dices. Juxta S. Scripturam, & Concilia, Deus ſemper, & omni momento dat gratiam; nam Apoc. 3 v. 20 dicitur: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo,* Concil. Lateranenſe IV Can. 1 ſtatuit, *Si poſt ſuſceptionem baptismi quisquam relapſus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam ſemper poteſt reparari.* Concilium Senonenſe decreto 15 ait, *Nec momentum quidem præterire, in quo Deus*

Deus non stet ad ostium, & pulset. Resp. Neg. Ant. Ejusmodi locutiones non debent accipi physice pro quolibet momento temporis, sed moraliter pro tempore opportuno, sicut moraliter accipiendum est, quando Christus Joann. 18 v. 20 dixit: *Ego semper docui in Synagoga.* Vel Luc. 18 v. 1: *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Imo objectus textus Scripturæ non dicit, quod Deus semper stet ad ostium cordis, & pulset. Concilium Lateranense solum videtur velle, quod omnes rite dispositi possint semper justificari per Sacramentum pœnitentiæ, Concilium Senonense, quod semper adsit gratia necessaria ad servanda mandata, quando illorum observatio urget.

QUÆSTIO V.

An Deus omnibus infidelibus det gratiam sufficientem ad fidem, & justificationem?

Infideles alii dicuntur negative, alii positive ta- 576
les. Negative infideles sunt, qui nunquam aliquid de Christo, & vera fide audierunt, propterea infidelitas illa ad culpam non imputatur. *Quomodo enim credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* Ad Rom. 10 v. 14. Positive infideles sunt, qui annuntiato sibi Evangelio non crediderunt, & sufficienti ad fidem gratia illustrati fuere; nam ut S. Chrysostomus encomio in Babilam, & S. Augustinus lib. 8 de civit. Dei cap. 20 advertit: *Prædicationem Evangelicam non sola ostenta, prodigia, & virtutes comitantur, sed etiam Spiritus sancti munera.* Major controversia est de negative infidelibus; quamvis enim contra Jansenianos certum sit, etiam istis a Deo præparatam esse, & offerri fidei gratiam; negant tamen ali-

qui ex Catholicis cum P. Berti, hanc gratiam revera ipsis applicari, si non faciant, quod est in se. Status igitur quæstionis est, utrum infidelibus non solum præparatæ sint, sed etiam pro loco, & tempore concedantur gratiæ internæ saltem remote sufficientes, quibus ad fidem & salutem pervenire valerent.

577 Dicendum. Deus omnibus infidelibus suo tempore dat gratiam sufficientem ad fidem, & salutem. Ita longe communior. Prob. 1 ex Scriptura. Joann. 1 v. 9 de Christo dicitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* In quæ verba S. Chrysostomus Homil. 7 in Joannem, postquam sibi objecit: quo pacto igitur tot homines sine lumine fidei maneant? respondet: id non provenire ex luminis natura, sed propria illorum malitia; *Nam gratia in omnes diffusa est -- qui autem ejus munere frui negligunt, hanc suam cæcitatem sibi ipsis imputent.* Psaltes Regius Psalm. 18 v. 7 ait: *Non est, qui se abscondat a calore ejus.* In quem locum ita S. Augustinus: *Non permisit* (Verbum Incarnatum) *ullum mortalium excusare se de umbra mortis, & ipsam enim penetravit Verbi calor.* Ergo juxta Scripturam intellectam secundum mentem Patrum omnibus infidelibus non tantum offertur, sed etiam confertur gratia saltem remote sufficiens ad fidem, & salutem; quomodo enim alias fuissent illuminati? quomodo gratia in omnes diffusa? quomodo divini verbi calor etiam ad ipsos penetrasset?

578 Prob. 2 auctoritate aliorum Patrum. S. Dionysius lib. de cælesti Hierarch. cap. 9 ait: *Divini luminis pelagus semper paratum est, patet omnibus ad participandum.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1 in Joann. cap. 11: *Lux enim*

nim vera Christus profecto est & splendorem suum ad omnes emittit, sed hujus sæculi Deus, ut ait Paulus, mentes infidelium hominum obcæcavit, ne illuminatio cognitionis Dei in ipsis fulgeat. S. Ambros. in Psalm. 118: *Mysticus sol ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit - - si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipsum se fraudat.* Idem docet S. Prosper vel alius antiquus, & vere Catholicus auctor lib. 2 de vocatione gentium pluribus in locis, & S. Thomas q. 14 de veritate art. 11 ad primum. Conf. Ex damnatione propositionum Quesnelli, quas citavimus num. 553, item ex ista, quam damnavit Alexander, 89: *Pagani, Judæi, hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a JEsu Christo influxum.*

Prob. 3 ratione. Ex una parte Deus omnes homines etiam infideles vult salvos fieri, ex altera parte omnibus peccatoribus etiam excæcatis, & obduratis tempore opportuno dat gratiam sufficientem ad salutem, ut probatum est quæstione præcedente: ergo infidelibus etiam peccatoribus non tantum offert, sed reipsa concedit gratiam perveniendi ad fidem, sine qua impossibile est placere Deo, aut veram pœnitentiam agere. Quod si hanc gratiam tantum concederet iis, qui viribus naturalibus faciunt, quod est in se, infidelis, qui vel semel peccasset graviter, non amplius vocaretur, hoc autem Suarez merito ait, esse absurdum. Conf. Ad observandam diu legem etiam naturalem necessaria est non solum gratia actualis, sed etiam fides, & gratia justificans: ergo merito de bonitate Dei præsumitur, quod etiam infidelibus suo tempore det gratiam supernaturalem ad fidem, & justitiam consequendam; alias postquam aliquando graviter deliquissent, nullum amplius haberent remedi- 579

um, quo se ex necessitate morali identidem in ulteriora peccata labendi possent extricare.

Objectiones.

580 Obj. 1. Actor. 14 v. 15 dicitur: *In præteritis generationibus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas.* Et cap. 16 v. 6 Paulus, & Timotheus *Vetantur a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia.* Ergo istis hominibus nulla gratia sufficiens ad fidem concessa fuit. Conf. Apostolus ad Ephes. 2 v. 12 de gentilibus ad fidem conversis dicit, *Quod fuerint aliquando tenebræ, & sine Christo promissionis spem non habentes, & sine Deo vero in hoc mundo*: Ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Ex primo textu tantum sequitur, quod Deus permiserit cæcitatem, & pravos mores gentilium, neque illis contulerit tam copiosa salutis remedia, quanta nunc confert generi humano post Christi adventum. Interim non fuerunt destituti omni remedio; ut satis significat Apostolus, dum eodem cap. v. 16 ait, *Deum non sine testimonio apud gentes semetipsum reliquisse.* Et cap. 17 v. 27, *Gentes potuisse Deum quærere, & invenire*; nempe comparando sibi ex creaturis illius notitiam. Paulus tantum fuit prohibitus, ne in Asia prædicaret Evangelium, antequam id prædicasset in Macedonia, postea autem in Asia longo tempore evangelizavit. Interea Asiatici saltem habuerunt gratias remote sufficientes. Ad Conf. Infideles dicuntur fuisse sine Deo, sine Christo, & sine spe promissionis, quia neque habebant legem scriptam, nec promissionem Christi, & fidei mysteria sciebant: carebant ergo gratiis ad fidem proxime sufficientibus.

581 Obj. 2. Concilium Tridentinum sess. 6 cap. 3 ait: *Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non*

non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed hi duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Atqui juxta nos meritum passionis Christi omnibus communicaretur: ergo. Conf. In eadem sess. cap. 8 docet, quod *fides sit salutis initium:* ergo infidelibus ante iidem nulla datur gratia. Resp. Conc. Maj. Dist. min. Juxta nos meritum passionis omnibus communicaretur complete, & proxime, Neg. min. incomplete, & remote, Conc. min. Tridentinum toto illo capite agit de gratia justificante, & de beneficio mortis Christi completo; hinc sui asserti hanc rationem affert: *Nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis ejus gratia, qua justi fiunt, illis tribuatur.* Ad Conf. Dist. Ant. fides quædam inchoata, & latius dicta est initium salutis, Conc. Ant. fides perfecta, Subdist. est initium proxime disponens ad justificationem, Conc. Ant. remote tantum disponens, Neg. Ant. Fides perfecta est, qua explicite, & distincte creduntur christianæ Religionis mysteria, saltem per se necessaria ad salutem; inchoata est, qua cognoscitur ex creaturis Deus, & voluntas movetur ad illum colendum, hanc S. Augustinus lib. 1 ad Simplic. q. 2 dixit se habere ad fidem perfectam, sicut conceptio ad partum: *Fiunt,* inquit, *conceptiones quædam fidei conceptionibus similes; non enim tantum concipi, sed etiam nasci opus est, ut in vitam perveniatur æternam.*

Dices. Si infideles ante fidem perfectam ha- 582
berent supernaturalem cognitionem Dei, possent Deum amare super omnia, & sic salvari, & justificari ante fidem proprie dictam, hoc falsum; ergo. Conf. Etsi infidelis nihil unquam sciverit de mysteriis fidei, potest tamen in mortis articulo elicere, hunc, vel similem actum: Desidero Deum videre, & credo omnia, sine qui-

bus ſalvari non poſſum; atqui talis infidelis ſalvabitur : ergo. Reſp. Neg. Maj. Nam licet infideles habeant gratias ſufficientes ad cognoſcendum Deum per creaturas ad roganda ſalutis media, & ſervanda alia præcepta naturalia, Deus illis, quamdiu manent in ſtatu infidelitatis, nunquam confert media proxime ſufficientia ad eliciendum amorem Dei ſuper omnia, ut colligitur ex Tridentino cit. cap. 8, & ex Apoſtolo ad Hebr. 11. v. 6.: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo; credere enim oportet* (fide Chriſtiana) *accedentem ad Deum, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit.* Ad Conf. Tranſ. Maj. Neg. min. contrarium conſtat ex damnatione propoſitionis 22 damnatæ ab Innocentio XI: *Non niſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris.*

583 Obj. 3. SS. Patres, nominatim S. Auguſtinus, Proſper, Fulgentius ſæpe docent gratiam Dei non omnibus dari, nec omnes vocari ad fidem, imo ut S. Proſper epiſt. ad S. Auguſtinum advertit, in hoc errabant Semi-Pelagiani, quod admiſerint gratiam quamdam generalem omnibus oblatam; hinc Præſules Africani in Sardinia exules in epiſtola ſynodica ajunt: *De gratia non digne ſentire, quisquis eam putat omnibus hominibus dari.* Conf. Si gratia daretur omnibus, non eſſet gratia; nam S. Auguſt. ſerm. 26 edit. novæ ex hoc probat, quod gratia habitualis ſit donum mere gratuitum, quia non omnibus datur. *Communis*, inquit, *eſt omnibus natura, non gratia.* Reſp. Diſt. Ant. docent gratiam Dei perfectam, & proxime ſufficientem, non omnibus dari, Conc. Ant. remote ſufficientem, ſubdiſt. non omnibus dari æqualiter, aut propter initium ex ſolis viribus naturæ factum, prout docebant Semi-Pelagiani, Conc. Ant. in

alio

alio sensu, Neg. Ant. Divina gratia non datur omnibus promiscue, sed cum magno delectu, aliis uberior, aliis parcior, aliis efficax aut saltem proxime sufficiens, aliis tantum remote sufficiens. Ad Conf. Neg. Ant. Ex hoc, quod aliquid non sit commune omnibus, bene quidem infertur, illud esse donum gratuitum naturæ superadditum; sed ideo non sequitur illud statim esse naturale, quod omnibus conceditur.

Dices. Juxta S. Augustinum fides est pri- 584
ma omnium gratiarum; nam lib. 1 ad Simplic. q. 1 ait: *Incipit homo percipere gratiam, ex quo incipit credere Deo.* Lib. de gestis Pelagii cap. 14: *Fides initium est, unde bona opera incipiunt.* Lib. de Prædest. sanct. cap. 17: *Fides ipsa prima datur, ex qua impetrantur cætera.* Lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 13: *Gratia per fidem JEsu Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides.* Conf. Lib. de prædest. sanct. cap. 8 docet: *Etiam fidem inchoatam donum Dei esse, quod quibusdam datur, quibusdam non datur.* Ergo. Resp. Dist. Ant. fides est prima omnium gratiarum, qua juste vivitur, & proxime ad justificationem disponimur, Conc. Ant. est simpliciter prima, sine qua nihil potest fieri boni, quo remote saltem ac mediate disponamur ad fidem, & justificationem, Neg. Ant. contrarium colligitur ex propositionibus damnatis Quesnelli. Ad Conf. eadem est responsio, quod nempe fides inchoata non detur omnibus ita, ut illa ad impetrandam fidem perfectam bene utantur, vel ad illam possint pervenire proxime: quo non obstante lib. de Spiritu, & littera cap. 33 dicit: *Quod infideles experturi sint in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt*: nempe non cooperando gratiis remote sufficientibus.

585 Obj. 4. Multi ſunt infideles, qui nunquam aliquid de fide in Chriſtum audierunt; atqui iſti nec habuerunt fidem, nec per gratiam orationis ad illam ſe diſponere potuerunt. *Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt?* inquit Apoſtolus ad Rom. 10 v. 14. Conf. Modo Deus omnibus hominibus præparaverit, vel ſaltem etiam obtulerit auxilia ſufficientia ad fidem, jam ſalvatur voluntas Dei omnes ſalvos faciendi. Reſp. Conc. Maj. Neg. min. quoad ſecundum membrum. Quamvis enim ejusmodi infideles non habeant fidem explicitam in Chriſtum, de qua loquitur Apoſtolus, adeoque ipſum Chriſtum non poſſint invocare, acceperunt tamen gratiam fidei latius dictæ ad invocandum Deum & ſervandam legem naturalem, cui ſi cooperati fuiſſent, vel Deus per illuminationem, & inſpirationem internam revelaſſet ea, quæ ad obtinendam ſalutem ſunt neceſſaria, vel ad eos potius miſiſſet aliquem prædicatorem, unde etiam accepiſſent gratiam ſufficientem ad fidem explicitam in Chriſtum Redemptorem, ſi quidem hæc ad ſalutem eſſet neceſſaria neceſſitate medii, de quo diſputant Auctores. Ad Conf. Salvaretur voluntas Dei omnes ſalvos faciendi eo modo, quo illam adſtruunt Scriptura, & SS. Patres, Neg. Ant. quomodocunque, Tranſ. Ant. Nam gratia ſolum præparata nihil prodeſſet, ſi nullo modo applicaretur.

586 Dices. Tali modo omnis infidelitas oriretur ex neglectu præcedentium auxiliorum, & culpa infidelium: ergo nulla daretur infidelitas pure negativa, quod eſt contra S. Thomam, & communem Theologorum paſſim docentium, multos infideles laborare ignorantia fidei inculpabili. Conf. S. Auguſtinus in Pſalm. 136 de in-

infidelibus ait: *Quando illos videmus, & tam steriles invenimus, difficile nobis apparet in eis aliquid, unde duci possint ad fidem rectam, vel ad bona opera, vel ad spem futuri sæculi*, & infra addit, *Quod nullum fructum faciant, quod non sapiant &c.* Resp. Dist. Ant. ita, ut infideles semper prævideant ex suis peccatis orituram esse talem ignorantiam, seu infidelitatem, Neg. Ant. ut sæpissime non prævideant, Conc. Ant. & Neg. Cons. Malus effectus ponenti causam non imputatur ad culpam, nisi fuerit prævisus, aut prævideri debuerit, & potuerit; qui autem nihil unquam de Evangelio audierunt, plerumque suam infidelitatem non potuerunt prævidere; quo tamen non obstante gratia fidei ob peccata præterita merito illis denegatur. Ad Conf. S. Doctor tantum dicit, quod difficile nobis appareat, non autem asserit infideles carere omni gratia; verba autem posteriora solum probant, infideles istos carere gratia efficaci.

DISPUTATIO IV.

De gratia efficaci.

Dari gratiam efficacem, quæ infallibiliter post 87
se trahat effectum, ad quem datur, certa fidei doctrina est, perpetuo in Ecclesia tradita, & in Scriptura revelata. *Spiritum meum*, inquit Deus Ezech. 36 v. 27, *ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Quibus verbis promittitur gratia, quæ operatura est observationem præceptorum, & quidem infallibiliter, cum promissio divina sit infallibilis, neque omnipotentiæ divinæ desint vires, & modi, quibus corda humana inclinare possit, quo voluerit; hinc Prov. 21 v. 1 legimus: *Cor Regis in manu Domini est, quocunque voluerit, inclina-*

nabit illud. Idem passim docent SS. Patres. Augustinus lib. de corrept. & gratia cap. 14 sic habet : *Volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium ; sic enim velle seu nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam virtutem non impediat, nec superet potestatem.* Itaque in hac disputatione solum examinandum est, quomodo efficacia gratiæ explicanda sit, in qua controversia non solum hæretici a Catholicis, sed ipsi etiam Catholici inter se valde dissentiunt.

588 Calvinus cum Luthero docet, gratiam efficacem consistere in illustratione prævia, supernaturaliter a Deo immissa, inimpedibili, inobtinibili, & essentialiter connexa cum actu ; unde infert, homini, quem Deus ita movet, ademptam esse potestatem resistendi, & libertatem indifferentiæ. Cum istis Hæresiarchis quoad rem ferme convenit Jansenius, licet fraudulentis vocibus se ab illis discernere conetur : ait ille, gratiam efficacem stare quidem in delectatione cælesti victrici, nihilominus in homine remanere libertatem bene, vel male agendi, & gratiæ moventi consentiendi. Verum ut alibi jam advertimus, hæc potestas electionis in statu naturæ lapsæ juxta Jansenium tantum est absoluta, unde in his determinatis circumstantiis aliam libertatem non agnoscit, nisi libertatem a coactione, quam nec Calvinus, nec ullus alius hæreticus negavit. Certe Abbas Sancyranus non est veritus dicere : *Calvinus bene sensit, male scripsit* : ipse vero Jansenius lib. 8 cap. 3 de gratia Christi ait : *Perspicue apparet, impossibile esse, ut adjutorium illud cælestis delectationis non determinet ; imo prædeterminet voluntatem - - quia facit, ut necesse sit animum illud sequi : & secundum illud operari, quod amplius delectaverit.*

Do-

Doctores quidam Catholici gratiam effica- 589
cem constituunt in auxilio moraliter necessitante voluntatem ad consensum; quod tamen rursus varie explicant. 1. Aliqui dicunt hoc auxilium consistere in delectatione cælesti intensiore, quam sit motus concupiscentiæ, quæ quidem voluntatem tantum necessitet moraliter, attamen infallibiliter, & ita, ut juxta aliquos tam impossibile sit, voluntatem ei resistere, quam impossibile est hominem sanæ mentis sibi effodere oculos præcise ad jocandum, vel ostendendam suam libertatem. 2. Juxta alios necessitas moralis oritur ex illustratione mentis tam clara, tamque vehemente voluntatis motione, ut cuilibet homini, cui datur, moraliter impossibile sit, tali motioni resistere. 3. Alii contendunt, gratiam efficacem esse diversam tum respectu diversorum, tum etiam respectu ejusdem hominis pro diversitate circumstantiarum, & occasionum &c. Volunt itaque gratiam excitantem efficacem juxta circumstantias temporis, loci, negotiorum, & personarum ita cuilibet homini attemperari, & proportionari, ut voluntas morali necessitate consensum præbeat.

Scotistæ gratiam efficacem explicant par- 590
tim per auxilium indoli, & ingenio ejus, qui illud accipit, attemperatum, partim per decretum condeterminans, seu concomitans, quo Deus e. g. ita statueret: Ego cum Petro determino, vel decerno hanc actionem pro hoc tempore ab eodem Petro eliciendam. Cum enim, inquiunt, voluntas divina sit infinite perfecta, & perfectissime in se contineat omnem voluntatem creatam, ex speciali quadam sympathia sine ullo periculo erroris potest cum qualibet voluntate creata perfectissime coincidere, quin prius debeat prævidere, quid creatura, si hoc auxilium haberet, actura esset. Ut porro ni-

hi-

hilominus homini videatur manere sua libertas, quidam addunt, ante quodlibet decretum particulare, Deum concepisse quoddam generale, quo tanquam causa prima, & auctor naturæ statuerit causas secundas in suis actionibus secundum eorum exigentias adjuvare, adeoque circa actiones hominis liberas non decernere, nisi quod ipse homo elegerit.

591 Prædeterminatores duce Bannesio efficaciam gratiæ ponunt in prædeterminatione physica, vel in complexo ex hac prædeterminatione, & gratia excitante; quamvis enim cum cæteris doctoribus catholicis ad quemvis actum salutarem gratiam requirant, quia tamen hæc ex natura sua est indifferens ad utrumque libertatis extremum, Deus juxta ipsos, si efficaciter consensum voluntatis velit, debet insuper immittere aliquam qualitatem, qua voluntatem efficaciter præmoveat, & ad actum salutarem eliciendum applicet. Porro hæc qualitas non movet moraliter per modum illustrationis, suasionis &c. sed physice per modum alicujus impulsus; hinc vulgatissimo nomine prædeterminatio physica appellatur, & a recentioribus Bannesianis communiter definitur, quod sit entitas creata, transiens, a Deo causis secundis impressa, vi cujus efficaciter, & physice præmoventur, & determinantur ad actum secundum. Ejus proprietates sunt 1. quod sit ad omnem actum absolute necessaria. 2. A solo Deo immissa, & a creatura inobtinibilis. 3. Essentialiter connexa cum actu salutari. 4. Inimpedibilis, inevitabilis, & insuperabilis a voluntate creata.

592 Nam primo juxta principia Bannesiana Deus ita est primum agens, movens, ac determinans, ut absque prævia illius motione nulla causa creata possit in aliquem actum exire: ergo im-

implicat existere actum, & non existere præmotionem physicam. 2. Ex eadem ratione implicat, ut homo prius aliquid agat, quam ad agendum præmoveatur: ergo præmotivo physica nequit ab homine obtineri, sed a solo Deo immittitur. 3. Hæc præmotio debet esse medium, per quod Deus possit a creatura obtinere quemlibet actum: ergo debet esse essentialiter, & metaphysice connexa cum actu salutari. 4. Si autem voluntas creata hanc præmotionem impedire, evitare, aut superare posset, hoc ipso non esset medium infallibile, nec Deus in illo prævisione metaphysice infallibili actus liberos creaturarum posset cognoscere. Ex quibus patet, gratiam juxta Bannesianos esse intrinsece, & ex natura sua efficacem; differunt nihilominus a Calvinistis, & Jansenistis, quia Bannesiani contendunt, cum prædeterminatione physica stare veram libertatem indifferentiæ, & omni studio utramque conciliare laborant.

593 Recentiores cum P. Molina docent, gratiam efficacem consistere in auxilio supernaturali, de se indifferenti ad consensum, vel dissensum, collato tamen dependenter a scientia media de consensu conditionate futuro. Hæc gratia quatuor modis considerari potest. 1. Specificative, seu secundum solam entitatem gratiæ, in quantum hæc ex se habet sufficientes vires ad trahendum post se consensum voluntatis, modo illa pro sua libertate nullum ponat impedimentum; in hoc sensu non differt a gratia sufficiente specificative accepta, & potest esse major, vel minor. 2. Objective prout est logice prior ad scientiam mediam, & sic consistit tum in entitate gratiæ, tum in consensu conditionate futuro, per quod jam differt a gratia sufficiente, utpote essentialiter connexa cum consensu absolute futuro. 3. Expressive, prout est medium infalli-

libile obtinendi actum, ad quod præter entitatem gratiæ etiam requiritur ſcientia media de conſenſu conditionate futuro. 4. Affective, ut eſt ſpeciale Dei beneficium, in qua acceptione præter dicta adhuc involvit decretum Dei benevolum, quo ex ſpeciali affectu potius vult dare gratiam, cui præcognoſcit hominem conſenſurum, quam aliam.

594 Hæc intelligenda ſunt de gratia efficaci in actu primo, de qua præcipue controvertitur. Si accipiatur in actu ſecundo, ejus efficacia habetur per ipſam actualem cooperationem voluntatis, quæ in noſtris principiis identificatur cum actione Dei, qua ad eundem actum concurrit, & hominem adjuvat. Quando igitur Deus efficaciter intendit actum ſalutarem hominis, juxta ſiſtema Recentiorum res ita procedit. 1. Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit omnia auxilia, & gratias poſſibiles, quæ e. g. Petrum poſſent movere ad converſionem. 2. Per ſcientiam mediam prævidet, quid Petrus cum quolibet determinato auxilio eſſet facturus, ſi illud haberet, adeoque habet hanc ſcientiam mediam: Si Petrus haberet auxilium A, ab illo moveretur, & ſe converteret. 3. Poſt has ſcientias Deus benevole, & liberrime decernit dare Petro auxilium A ad converſionem. 4. Ex hoc decreto ſuo modo profluit ſcientia viſionis, realiter, & virtualiter cum decreto identificata, qua Deus prævidet converſionem Petri abſolute futuram. 5. Tandem ſuo tempore auxilium A Petro actu confertur, & ille ſe convertit.

Synopſis controverſiæ de auxiliis gratiæ.

595 De auxiliis gratiæ præſertim efficacis olim gravis controverſia exarſit inter Patres ex ordine S. Dominici, & Societatis JEſu, coram ipſis Pontificibus magna utriusque partis conten-

tentione agitata. Initium illi datum eſt anno 1581 Salmanticæ, ubi Prudentius de Monte Major theſes pro more defendendas propoſuit, in quibus rejecta phyſica prædeterminatione ſcientiam mediam aſſerebat. Ægerrime id tulit Dominicus Bannez; hinc ſcriptum adornat, in quo theſium propugnatori 16 propoſitiones partim erroneas, partim hæreticas attribuit, non quod in ipſis theſibus continerentur, ſed quia illas ex iisdem conſequi putaverat. Cum autem ſcriptum hoc juſſu ſacræ Inquiſitionis Hiſpanicæ a Quæſitore quodam Valliſoletano examinatum fuit, re mature expenſa, & doctoribus quibusdam conſultis deprehendit, theſium auctori propoſitiones illas falſo imponi, ſententiam vero a Prudentio propugnatam a multis Academicis reputari valde probabilem. Quare licet propoſitiones, prout a Banneſio concinnatæ fuerant, judicio Salmanticenſium Magiſtrorum temeritatis, & erroris nota dignæ fuiſſent, ſupremi tamen Quæſitores judicarunt, rem ſe facturos inutilem, ſi doctrinam, quæ nullius erat, ſupervacanea cenſura notarent.

Haud multo poſt videlicet anno 1587 graviores turbæ in Belgio exortæ ſunt; poſtquam enim a Pio V, & Gregorio XIII plurimæ propoſitiones Baji damnatæ ſunt, inſtigante eodem Bajo facultas theologica Lovanienſis ex ſcriptis P. Leonardi Leſſii 34 propoſitiones, attamen truncatas, vel a ſuo contextu, ex quo intelligi poterant, avulſas excerpſit, easque ne audito quidem Leſſio tanquam peregrinas, offenſivas, & periculoſas publice cenſuravit; utque cenſuræ ſuæ majorem auctoritatem conciliaret, ad eam confirmandam ſollicitavit univerſitatem Paritienſem, & Duacenſem. Negarunt Pariſienſes, ſe id facturos, Duacenſes autem non ſolum ſimilem cenſuram ediderunt, ſed ad-

nitente potiſſimum Epiſcopo AtrebatenſiProfeſſoribus Societatis prætextu pacis legem impoſuerunt, ne de controverſis gratiæ quæſtionibus impoſterum tractarent.

597 Verum Leſſius ſuas propoſitiones miſit Romam, ubi jubente Sixto V in conſiſtorio lectæ, & a Cardinalibus tanquam ſanæ doctrinæ articuli approbatæ ſunt ipſo ſummo Pontifice pronunciante, ſe idem cum Leſſio ſentire. Idem poſtea declaravit Illuſtriſſimus Sedis Apoſtolicæ Nuncius ad ſopiendam hanc litem Lovanium miſſus, qui reſciſſis Lovanienſium, & Duacenſium cenſuris, & lege ſilentii ſublata auctoritate Apoſtolica edictum promulgavit, eoque ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ prohibuit, ne quis alterutram partem erroris damnaret, quod edictum non ſolum utraque Facultas theologica pro merito venerata eſt, ſed Duacenſis illius auctoritate non ſemel repreſſit illos, qui pacem Academiæ novis diſſenſionibus perturbare moliti ſunt. Pater Leſſius quoque Lovanii doctrinam ſuam tradere perrexit, imo etiam typis publicis commiſit.

598 Interea turbarum Belgicarum rumor in Hiſpaniam perlatus Dominico Bannez ad novas machinationes animum erexit. Audiverat a Ludov. Molina parari librum de concordia liberi arbitrii cum gratia, & prædeſtinatione, & antequam opus viderat, illud apud Albertum Archiducem Auſtriæ S. R. E. Cardinalem, & Luſitaniæ Generalem Inquiſitorem Pelagianismi accuſavit, additis 13 propoſitionibus, quas in hac Concordia contineri aſſeverabat. Ignarus hujus machinationis Molina manu ſcriptum prævio examine a Superioribus approbatum offert ſacro inquiſitionis Luſitanicæ Senatui, qui illud P. Bartholomæo Ferreiræ Inquiſitori Dominicano exa-

examinandum commiſit. Is librum ſumma attentione expenſum, cum nihil non apprime catholicum, aut leviſſima correctione dignum reperiſſet, maximo encomio approbavit, & Senatui Quæſitorum reddidit, a quo ſtatim excudendi facultas fuit conceſſa; ne tamen in publicam lucem ederetur, acceptis interea Banneſii litteris obſtitit Archidux. Duo ſolum exemplaria P. Molina ad Regios Arragoniæ, & Caſtellæ Conſiliarios miſerat, ut etiam ibi librum diſtrahere liceret, tertium juſſu Archiducis Salmanticam ad Banneſium miſſum, ut deſignaret loca, in quibus doctrina damnabilis contineretur.

Trimeſtre ſpatium volvendo, atque revol- 599
vendo Molinæ libro a Banneſio, aliisque confœderatis Dominicanis impenſum, ac poſtea reſcriptum, ex 13 memoratis propoſitionibus novem, aut decem locis annotatis legi. Sed Molina his objectionibus ita reſpondit, ut peritiſſimi Theologi cum Bartholomæo Ferreira, & Joanne de Las Cuevas Archiducis Confeſſario judicaverint, in toto libro nihil juſta reprehenſione dignum inveniri, ob quod illius diſtractio differri poſſit; quare a Luſitanica inquiſitione accedente Archiducis conſenſu permiſſum, ut Molinæ liber anno 1589 in lucem prodiret, quod etiam per Caſtellam, & Arragoniam cum honorificis elogiis fuerat conceſſum, ipſa vero doctrina libri ita ſtatim a quam plurimis acceptata fuit, ut teſte ipſo de Lemos Dominicano, & acerrimo Molinæ adverſario Panopl. tom. 1 tract. 6 cap. 2, in omnibus diſputationibus, publicisque congreſſibus nihil aliud audires, quam hanc Molinæ doctrinam, quod etiam teſtati ſunt PP. Benedictini Collegii S. Vincentii Salmanticæ in epiſtola ad procuratorem generalem Ordinis.

600 Spe sua in Hispania delusus P. Bannez Didacum Alvarez consiliorum suorum, & occultæ machinationis conscium cum privatis libri Molinæ accusationibus Romam mittit, ibique anno 1596 ope Cardinalis Alexandri, atque Asculani a Clemente VIII. impetrat congregationem octo virorum, qui Concordiam Molinæ examinarent. Hi maxima festinatione varias censuras confecerunt, in quibus modo 50, modo 60, modo 42 propositiones annotarunt, tanquam fulmine Vaticano dignas, ex quibus tamen postea solum viginti retinuerunt, quarum damnationem merito a se decretam esse, contra quorumvis objectiones demonstraturos se jactitabant. Verum cum ex una parte Theologi Societatis multa contra has censuras merito opponerent, ex altera vero doctrina Molinæ a pluribus Religiosis familiis, & Universitatibus non solum probaretur, sed etiam missis ad Sedem Apostolicam litteris a summis Principibus commendaretur, sapientissimus Pontifex rejectis omnibus istis censuris statuit ipsemet coram se rem cognoscere, & solemniores partium disputationes præsens audire, Patribus Societatis promittens, se sententiæ istorum censorum nullam habiturum rationem, eorumque suffragia nullius fore ad rem dijudicandam ponderis.

601 Annus agebatur 1602, quando præsidente ipso Papa disputationes solemnes de auxiliis gratiæ inchoatæ sunt. Triginta septem coram Clemente VIII habitæ, in quibus potissimum disputatum de Concordia Molinæ cum D. Augustino, & differentia a Cassiano. In ultimis dein actum de scientia media, cum anno 1605 caussam necdum finitam mors Pontificis interrupit. Quænam illi tunc mens de doctrina Molinæ fuerit, colligi potest ex illo Concordiæ exemplari,

quod

quod Romæ in domo professa Societatis asservatur, in quo ipsemet omnia ea loca ductis infra lineis, & appositis in margine notis signavit, quæ Molinam, ejusque doctrinam a suspicione erroris poterant liberare. Audiatur ex multis tantum unum exemplum. Accusatus fuerat Molina, quod gratiam ad salutem necessariam in solo lumine intellectus constitueret. Pontifex vero pag. 25 hæc verba apud illum reperit, & notavit: *Propositis & explicatis homini adulto pro captu ipsius iis, quæ ad finem pertinent, utique, ut talem assensum præbeat, qualis ad salutem necessarius est, opus est, ut saltem ordine naturæ præcedat illustratio supernaturalis in intellectu, & motio, seu affectio simpliciter supernaturalis ad illis assensum præbendum ex parte voluntatis.*

Sublato e vivis Clemente post brevem Le- 602
onis XI Pontificatum clavum Ecclesiæ accepit Paulus V, sub cujus auspiciis denuo congregationes de auxiliis cœptæ, & decem adhuc vicibus continuatæ sunt. Præcipua illarum materia erat prædeterminatio physica, frustra obnitentibus Dominicanis ad examen revocata. Tandem post 47 universim congregationes Pontifex finem aliquando gravissimæ causæ facturus (si Augustino le Blanc credimus) judicium a censoribus expetiit, sed privatim a quolibet nulla inter se habita consultatione exponendum. In his conficiendis menses fere quatuor insumpserunt, nihilominus tam varie, & perplexe erant concinnata, ut Paulus V illa statim improbaverit. Postea permissum, ut collatis studiis aliam censuram elaborarent, verum etiam hæc tanquam minus cohærens, nec idoneis rationibus munita rejecta est. Itaque rursus alia a Præsule Amarchano excogitata, cui tamen, ut narrat le Blanc, Pontifex prætulit Elenchum 42 propositionum

a Francisco Pegna Rotæ Romanæ Decano contextum, ejusque transumptum ad Eminentissimos Cardinales deferri voluit, ut & ipsi constituto tempore sententiam dicerent.

603 Quidquid de hac narratione sit, etiam hunc elenchum neque a Cardinalibus, neque a summo Pontifice approbatum, sed potius rejectum fuisse, rei eventus ostendit; nam finitis disputationibus Paulus V anno 1606 adhuc unicam cum solis Cardinalibus congregationem instituit. In hac, ait le Blanc, jam paratam fuisse Bullam, per quam doctrina Molinæ damnaretur, nec aliud defuisse, quam ut diploma ex Pontificis nutu secundum juris formam promulgaretur. Verum Innocentius X anno 1654 speciali decreto declaravit prætensæ huic bullæ (uti etiam actis, quæ Francisci Pegnæ, & Thomæ de Lemos dicuntur) nullam omnino fidem esse adhibendam. Primi ejus buccinatores fuere Sanct-Amoræus, aliique Cornelii Jansenii vindices. Damnantur in illa aliquæ propositiones D. Thomæ, aliæ in Bajo damnatæ approbantur. Quid vero in ultima illa conferentia actum sit, nemini unquam innotuit, cavente solicite summo Pontifice, ut Cardinalium suffragia occulta manerent. Hoc solum scimus, Paulum V postea Magistro Generali Patrum Prædicatorum, & Præposito Generali Societatis JEsu dedisse exemplar epistolæ encyclicæ, quam ad totius ordinis Provinciales scriberent.

604 In hac epistola serio admodum prohibet Pontifex, ne quis in hac quæstione de gratia videlicet efficaci pertractanda partem oppositam aut qualificaret, aut censura quapiam notaret. Ad hæc tam Patribus Dominicanis, quam Jesuitis injungit, ut severa castigatione plecteretur, quiscunque adversus hanc legem deliquisset. Denique optat, ut verbis asperioribus amaritiem

em animi significantibus abstineant. Hic tandem fuit exitus controversiæ tantis moliminibus agitatæ, post tot tantasque machinationes doctrina Molinæ stetit incolumis, & in scholis catholicis tuto docetur. Qui plura de hac causa, quam pacis, & concordiæ ergo paucis tantum retuli, intelligere cupit, integros de ea tomos poterit invenire. Pater Frater Jacobus Hyacinthus Serry sub ascititio nomine Abbatis Augustini de Blanc de hac controversia quatuor libros edidit, quibus postea in altera editione addidit quintum apologeticum adversus Theodorum Eleutherium, revera Livinum de Meyer Societatis JEsu, qui & historiam, & apologiam Patris Serry geminis tomis ita refutavit, ut eruditissimus Tournelius, testis nulli parti addictus, tomo 1 cursus theologici judicaverit, historiam Augustini le Blanc ab Eleutherio falsitatis convictam, & plane confutatam esse. Ex quibus satis colligitur, quantum fidei tribuendum sit iis prædeterminatoribus, qui cum Laurentio Berti ex dudum confutatis Serry fabulis, & protritis Pegnæ, Lemosii &c. laciniis historiam de auxiliis consuunt, quibus tamen eruditos non tam decipiunt, quam ipsimet decipiuntur.

QUÆSTIO I.

An gratia efficax consistat in auxilio necessitante Calvini, aut delectatione victrici Jansenii?

Dicendum 1. Efficacia gratiæ non habetur per 605
auxilium intrinsece efficax ad sensum Calvini. Est de fide. Prob. Quando homo elicit actum salutarem, id facit libere, & ita, ut gratiæ excitanti possit dissentire; ergo gratiæ efficacia non consistit in auxilio ita intrinsece effi-

caci, ut libertatem indifferentiæ tollat; antecedens fuſe demonſtratum eſt in tractatu de actibus humanis, & clare revelatum Eccleſ. 31 v. 10: *Beatus vir, qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus, facere mala, & non fecit, ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino.* Hinc Tridentinum ſeſſ. 6 Can. 4 anathematizat: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti; atque vocanti -- neque poſſe diſſentire ſi velit.* S. Auguſtinus lib. de Spiritu, & littera cap. 34 ita habet: *Profecto & ipſum credere velle Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.*

606 Dicendum 2. Efficacia gratiæ non habetur per delectationem victricem Janſenii. Prob. Ad hoc, ut homo ſit liber ad bene operandum, non ſufficit, ſi gratiæ tantum poſſit diſſentire in aliis circumſtantiis, ſed eidem debet poſſe diſſentire tunc, quando actu bene operatur. Atqui hoc non poſſet, ſi gratia efficax conſiſteret in delectatione victrice Janſenii, ut patet ex propria illius confeſſione, & toto de gratia victrice ſyſtemate. Maj. conſtat ex textibus ſupra citatis, & ipſa definitione libertatis indifferentiæ, quæ eſt potentia proxime expedita ad agendum, & non agendum. Alias etiam ligatus vinculis eſſet liber ad ambulandum, quia in aliis circumſtantiis poſſet ambulare. Conf. Gratia victrix Janſenii ex una parte eſt voluntati intrinſeca, & conſtituit actum primum ſeu potentiam agendi; nam voluntas ſine gratia nihil ſalutare agere poteſt. Ex altera parte habet ex natura ſua inſuperabilem cum conſenſu voluntatis connexionem, quin illius intenſio poſſit ab homine evitari, vel impediri; conſiſtit enim in motu voluntatis

luntatis indeliberato: ergo intrinſece, & antecedenter ad conſenſum neceſſitat.

Objectiones.

Obj. 1. Juxta S. Scripturam ſolus Deus in nobis operatur bonum: ergo per gratiam efficacem ad illud neceſſitamur. Ant. Prob. Quando Ezech. 36 v. 27 dicitur: *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis,* & ad Philip. 2 v. 13: *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere,* nulla ſit mentio liberi conſenſus: ergo. Conf. Eccleſia petit a Deo, ut voluntates noſtras rebelles compellat; ergo petit gratiam neceſſitantem. Reſp. Neg. Ant. Ad Prob. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quamvis in his textibus non fiat mentio liberi conſenſus, quia gratia excitans eſt cauſa illius principalis; nihilominus etiam noſtrum conſenſum requiri ſatis patet ex aliis Scripturæ locis. Hinc S. Paulus 1 ad Cor. 15 v. 10 ait: *Non ego, ſed gratia Dei mecum,* ac: *Per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo,* ut verba Apoſtoli exponit S. Auguſtinus lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 5. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. to *compellere* non ſumitur in ſenſu ſtricto, & proprio, alias Eccleſia peteret, ut Deus voluntates noſtras cogat, quod implicat; adeoque juxta mentem Eccleſiæ tantum ſignificat ita efficaciter movere, ut voluntates ex nolentibus bonum fiant volentes. 607

608 Dices. Ex una parte ſtante delectatione victrice ſemper manet indifferentia objectiva, ſeu judicium indifferens: ex altera parte etiam voluntas ſemper manet flexibilis ad malum per concupiſcentiam; ergo manet potentia peccandi, ergo homo gratiæ efficaci libere conſentit. Conf. Juxta Janſenium efficacia gratiæ non ſtat in ſola entitate gratiæ, prout eſt in ſe, ſed prout con-

concurrit cum minore concupiſcentia oppoſita: ergo illius ſiſtema non convenit cum ſententia Calvini. Reſp. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. ergo manet potentia peccandi expedita, & relativa ad has circumſtantias, Neg. Conſ. impedita, & ſolum abſoluta, Conc. Conſ. & Neg. ulteriorem ſequelam. Judicium indifferens non ſufficit ad libertatem indifferentiæ, niſi etiam abſit omnis neceſſitas antecedens, alias tantum manet libertas à coactione. Ad Conſ. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ſiſtema Janſenii non convenit cum ſententia Calvini quoad præcipuum punctum in Calvino damnatum, nempe quod voluntas a gratia efficaci neceſſitetur, Neg. Conſ. omnimode, & quoad modum explicandi, Conc. Conſ. Ex ſiſtemate gratiæ victricis clare infertur, quod homo per gratiam efficacem ad bene operandum neceſſitetur, qui erat præcipuus de efficacia gratiæ error Calvini: neque ipſe Janſenius, utut novo explicandi modo hunc errorem non nihil tegere conetur, eundem diffitetur, quemadmodum patet ex ipſius propoſitionibus damnatis & num. 588.

609 Obj. 4. S. Auguſtinus lib. de corrept. & grat. cap. 14 docet voluntatem humanam non poſſe reſiſtere voluntati Dei: *Non eſt itaque dubitandum*, inquit, *voluntati Dei - - humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quo minus faciat ipſe, quod vult, quandoquidem de ipſis etiam hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit.* Ergo voluntas humana non poteſt reſiſtere gratiæ efficaci. Conf. ex lib. 2 de peccat. merit. & remiſſ. ubi capite 19 gratiam efficacem vocat *victricem delectationem*. Reſp. Diſt. Ant. docet humanam voluntatem non poſſe reſiſtere voluntati Dei in ſenſu compoſito, & potentia conſequente, Conc. Ant. potentia antecedente, & in ſenſu diviſo, Subdiſt. niſi Deus homini velit concedere libertatem

tatem, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. Quamvis homo cum decreto prædefinitivo actus boni non poſſit conjungere diſſenſum, quia tamen Deus auxilium efficax decernit dependenter a ſcientia media, quam homo impedire poteſt, homo indirecte, & antecedenter poteſt impedire hoc decretum. Interim Deus reſpectu cujuslibet hominis prævidet innumera auxilia, tam quibus eſſet conſenſurus, quam quibus eſſet diſſenſurus, & liberrime poteſt dare hoc, vel illud, adeoque non obſtante hominis libertate, de voluntate humana poteſt facere, quod vult. Ad Conf. S. Doctor gratiam efficacem vocat victricem, non quia ſemper eſt intenſior concupiſcentia, ut voluntatem neceſſitat, ſed quia facit, ut voluntas motus concupiſcentiæ libere vincat.

Dices. Gratia eſt æque efficax, quam vo- 610
luntas Dei; eſt enim medium ei proportionatum: ergo ſi voluntas non poteſt in ſenſu compoſito reſiſtere voluntati divinæ, etiam non poteſt reſiſtere gratiæ efficaci. Conf. Quando Deus dat gratiam efficacem, abſolute vult, ut actus bonus per tale medium fiat: ergo non poteſt adhibere medium repudiabile. Reſp. Diſt. Ant. eſt æque efficax diverſo tamen modo, Tranſ. Ant. eodem modo, Neg. Ant. Decretum Dei prædefinitivum actus boni eſt ex ſe eſſentialiter cum actu connexum; hinc neque actum primum proximum ad hunc actum eliciendum conſtituere poteſt, neque cum negatione actus conjungi; gratia autem efficax entitative eſt indifferens ad conſenſum, vel diſſenſum, & ſolum ex ſuppoſito ſcientiæ mediæ de conſenſu conditionate futuro actum infallibiliter poſt ſe trahit, adeoque nihil obſtat, quo minus homo cum entitate gratiæ diſſenſum conjungat, & ſic ſcientiam mediam de conſenſu impediat. Ad Conf. Diſt. Ant. Deus vult abſolute, ut actus bonus

fiat

fiat præſuppoſita tamen ſcientia media de conſenſu, Conc. Ant. aliter, Neg. Ant. & Diſt. Conſ. ergo non poteſt adhibere medium, quod eſt repudiabile ex ſe, & antecedenter ad ſcientiam mediam, Neg. Conſ. repudiabile etiam conſequenter, Conc. Conſ.

611 Obj. 3. S. Auguſtinus lib. de corrept. & grat. cap. 12, poſtquam exſplicavit diſcrimen inter gratiam Adamo, & homini lapſo conceſſam, ait: *Nunc vero ſanctis in regnum Dei prædeſtinatis non tale donum perſeverantiæ datur (quo tantum perſeverare poſſent) ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur -- idque indeclinabiliter, inſuperabiliter, & invictiſſime: ſubventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur:* ergo gratia efficax eſt indeclinabilis, & inſuperabilis. Conſ. In libr. de geſtis Pelag. cap. 3 ait: *Qui agitur, agere aliquid vix intelligitur:* ergo homo cum gratia efficaci ita agit, ut non poſſit non agere. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo gratia efficax eſt indeclinabilis, & inſuperabilis præciſe ſecundum ſuam entitatem accepta, Neg. Conſ. conſequenter ad ſcientiam mediam de conſenſu conditionate futuro, Conc. Conſ. S. Doctor juxta Illuſtriſſimum Cameracenſem in inſtruct. paſtor. part. 2 epiſt. 10 tantum vult, quod homo in ſtatu naturæ lapſæ, quamvis in ſe infirmus, auxilio divinæ gratiæ fiat inſuperabilis contra omnes tentationes, ita, ut per eas a via mandatorum Dei declinari nequeat, niſi ipſe velit. Ad Conſ. Conc. Ant. Neg. Conſ. Ipſe S. Auguſtinus lib. de corrept. & grat. de illis, qui gratia Dei aguntur, ait: *Aguntur enim, ut agant, non ut ipſi nihil agant.* Adeoque ſolum vult, quod homo gratia efficaci præventus vix aliquid agat relative ad Deum, & gratiam, quæ in opere bono potiores ſibi partes vendicat.

Di-

Dices 1. S. Augustinus loco objecto agit 612
de gratia efficaci, loquitur enim de gratia finali electorum propria: ergo non tantum vult, quod homo sit insuperabilis, & indeclinabilis, si ipse velit; alias etiam reprobus per gratiam sufficientem, quæ ipsi sub finem vitæ datur ad pœnitentiam, indeclinabiliter, & insuperabiliter agetur. Conf. Etiam gratia Adamo concessa fuisset insuperabilis consequenter ad scientiam mediam de consensu conditionate futuro: ergo tali modo S. Augustinus non assignasset discrimen inter gratiam Adami, & hominis lapsi. Resp. Transf. Ant. Neg. Conf. licet etiam gratiæ pure sufficienti, quæ reprobis datur, conveniat, quod dicto modo sit insuperabilis, & indeclinabilis, eidem tamen non convenit alterum, quod scilicet voluntas per gratiam sufficientem agatur; nam juxta phrasin *S.* Augustini voluntas tunc solum agitur a gratia, quando eidem consentit. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Hoc ipsum est discrimen inter gratiam Adami, & gratiam efficacem in statu naturæ lapsæ, quod illa non fuerit data dependenter a scientia media de consensu, hæc autem electis cum tali præscientia conferatur.

Transmisi antecedens, quia ut jam num. 613
531 adverti, S. Augustinus in hoc loco non egit de gratia efficaci qualicunque, sed de perseverantia finali, & quidem formali, quæ stat in conjunctione mortis cum statu gratiæ, & in nostro sistemate ita explicari solet. Postquam Deus per scientiam mediam vidit, per quænam auxilia Petrus re ipsa esset perseveraturus in gratia, decernit ipsi hæc auxilia dare, ut perseveret, decernit insuper Petrum rapere ex hac vita intra hos dies, ita ordinando e. g. causas naturales, ut mors contingat eo ipso tempore, quo Petrus est in gratia, quod decretum benevolum perseveran-

rantiam finalem complet, & ita concipi poteſt: Rapiam Petrum in hoc tempore, quo video ipſum fore in gratia, non rapturus, ſi tunc non foret in gratia. His jam præſuppoſitis Petrus inſuperabiliter, & indeclinabiliter perducitur ad ſalutem, cum non ſit in ipſius poteſtate, ut non rapiatur, quando eſt in gratia, ut adeo donum perſeverantiæ ultimato completum dependeat a ſola, & gratuita Dei benevolentia, quæ ſicut reſpectu prædeſtinati eſt ſpecialis favor, ita decretum raptus reſpectu reprobi terribilis eſt juſtitia; nam raptus reſpectu illius decernitur in illis circumſtantiis, in quibus per ſuam malitiam erit in ſtatu peccati gravis.

614 Dices 2. Juxta datam reſponſionem decretum raptus affigeretur ſtatui gratiæ tanquam termino: ergo cum Petrus poſſit impedire ſtatum gratiæ, etiam poſſet impedire raptum, & ipſam perſeverantiam finalem: ergo perſeverantia finalis non dependet indeclinabiliter a ſola Dei benevolentia. Conf. Quamvis in poteſtate primi hominis fuerit perſeverare in ſtatu innocentiæ, non eſt in poteſtate hominis lapſi perſeverare finaliter in ſtatu gratiæ, ut multis loco objecto urget S. Auguſtinus; atqui hoc juxta nos eſſet falſum, quia homo per gratiam Dei libere poſſet omittere quemcunque actum peccaminoſum. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo Petrus poſſet impedire raptum ſecundum ſe, & nulla facta ſuppoſitione, Conc. Conſ. ſuppoſito ſtatu gratiæ, Neg. Conſ. & Diſt. etiam ulteriorem ſequelam. Perſeverantia finalis non dependet a ſola Dei benevolentia ſpectando præciſe ſtatum gratiæ, Conc. ſpectando raptum ut cum ſtatu gratiæ actu exiſtente conjunctum, Neg. Nam ut Petrus rapiatur, quando eſt in gratia, eſt in poteſtate ſolius Dei. Ad Conf. Conc. Maj. Neg. min.

Ut Adamus perſeveraret in ſtatu innocentiæ, tantum requirebatur omiſſio actus peccaminoſi, ut autem homo lapſus habeat donum perſeverantiæ, præter omiſſionem peccati requiritur, ut mors eo tempore eveniat, quo homo eſt in ſtatu gratiæ; atqui mors hominis lapſi a Deo potuiſſet decerni, vel antequam ſtatum gratiæ recuperaſſet, vel poſtquam illum rurſus libere perdidiſſet, quod certo contigiſſet, ſi Deus illi aliquando voluiſſet dare gratiam mere ſufficientem. Vid. etiam tract. de Deo a num. 594.

QUÆSTIO II.

An gratia efficax conſiſtat in auxilio moraliter neceſſitante?

Dicendum. Efficacia gratiæ non habetur per auxilium moraliter neceſſitans. Prob. Vel 15
auxilium moraliter neceſſitans ponitur conferri independenter a ſcientia media de conſenſu conditionate futuro, ut volunt plerique hujus ſententiæ Patroni, vel dependenter a ſcientia media, ut vult P. Hockius cum aliquibus? neutrum poteſt dici: ergo. Min. Prob. quoad primum membrum. Gratia efficax debet eſſe medium, quo Deus infallibiliter poteſt prævidere, & obtinere actum ſalutarem creaturæ; adhibetur enim ad exequendum decretum abſolutum, & efficax; atqui auxilium moraliter neceſſitans independenter a ſcientia media non eſt tale medium; cum enim tantum neceſſitet moraliter, non habet omnino neceſſariam, & infallibilem cum actu ſalutari connexionem, adeoque Deus in hac connexione, certitudine tantum morali actum ſalutarem poſſet prævidere, & voluntas Dei abſolute fruſtrari. Conf. Si tale auxilium non poſſet ab homine repudiari, ſed ſemper, & omnino in-

fallibiliter post se traheret actum salutarem, homo tali auxilio non posset resistere, & quidem ob intrinsecam virtutem ipsius auxilii; hoc non potest admitti, ut patet ex num. 605.

616 Probatur minor quoad 2 membrum. Licet dari possint, & de facto interdum dentur auxilia gratiæ voluntatem tam fortiter inclinantia ad bonum, ut inferant quamdam necessitatem moralem consentiendi, præcipue apud homines valde perfectos, & absente gravi tentatione; tamen id non contingit ordinarie, ut docet experientia, qua experimur, quod nobis non semper moraliter sit impossibile dissentire divinis inspirationibus, sed potius non raro valde difficile accidat iisdem consentire, præsertim in actibus heroicis e. g. venia inimicis danda, resignatione in mortem, gravia infortunia &c. hinc juxta Scripturam Matth. 11 v. 12, *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Conf. Modo auxilium conferatur dependenter a scientia media de consensu eidem conditionate præstando, jam est infallibiliter efficax: ergo in explicanda efficacia gratiæ non est necessitas recurrendi ad auxilium moraliter necessitans; hinc S. Augustinus tract. 26 in Joan. ait: *Trahit sua quemque voluptas, non necessitas.*

617 Probatur conclusio 2 specialiter contra illos, qui necessitatem moralem explicant per delectationem cælestem intensiorem. In hoc sistemate delectatio cælestis propter excessum, quo superat terrestrem, est ita connexa cum consensu, ut iste infallibiliter, & ut ajunt Ludovicus Habert, ac Laurentius Berti, indeclinabiliter sequatur: ergo nunquam potest repudiari. Profecto homini sanæ mentis saltem physice impossibile est, oculos sibi effodere præcise ad ostendendam libertatem suam, aut jocandi gratia; quia homini sanæ mentis motivum jocandi, aut exercendi li-

libertatem non est bonum etiam apparenter tantum sufficiens, ut oculos sibi evellat, adeoque ex tali motivo nequit se ad hanc actionem determinare, nisi insaniat, sicut insanire videretur, qui istam actionem serio vellet suadere alteri præcise ex motivo jocandi. Conf. Si homo semper moraliter determinaretur ab intensiore delectatione, tunc etiam ita determinaretur ad peccandum: ergo dum peccat, non haberet moralem potentiam ad non peccandum, & tam parum præceptum posset servare, quam homo sanæ mentis sibi oculos joci gratia eruere. Sicne Deus amicos suos adjuvat? sic non deserit, nisi deseratur? sic peccatores invitat ad pœnitentiam?

Objectiones.

Obj. 1. Sacra Scriptura passim gratiam prævenientem vocat dulcedinem: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*, Cant. 1 v. 3. *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*, Psal. 20 v. 4. Idem sæpe docet S. August. Sic lib. 2 ad Bonifac. cap. 9 ait: *Tum bonum concupisci incipit, cum delectare incipit, in qua dulcedinis gratia si nos non prævenit Deus, non solum non perficitur bonum, sed nec inchoatur ex nobis.* Ergo gratia efficax consistit in delectatione victrici. Conf. Juxta SS. Augustinum, & Thomam causa omnium actuum humanorum est amor: ergo nemo bene agit, nisi ab amore determinetur. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. ergo gratia efficax consistit in delectatione victrici moraliter necessitante, Neg. Conf. de se indifferenti, & per scientiam conditionatam prævisa, ut conjungenda cum consensu, Trans. Conf. Licet gratia efficax possit dici aliquo modo victrix seu potius vincens, in quantum infallibiliter obtinet suum effectum, ideo non est ne- 618

cessario moraliter necessitans, aut intensior, quam concupiscentia. Ad Conf. Conc. Ant. Dist. Conf. nisi, qui ab amore determinatur, id est, excitatur, Trans. Conf. id est, necessitatur, Neg. Conf. Imo potest homo bene agere per actus mere aversivos e. g. timorem inferni, detestationem peccati ex motivo turpitudinis &c.

619 Obj. 2. Juxta S. Augustinum lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 16 Deus largiendo gratiam efficacem præbet *Vires efficacissimas;* sed tales non essent, nisi saltem moraliter necessitarent. Certe de S. Paulo negari non potest, quod habuerit gratiam moraliter necessitantem ad conversionem. Conf. Voluntas per peccatum originale magnam contraxit infirmitatem, & ægritudinem: ergo ut sanetur, opus habet gratia moraliter necessitante. *Fortissimo Adamo*, inquit S. Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 12, *dimisit, atque permisit facere, quod vellet, infirmis servavit, ut ipso donante invictissime, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissime nollent.* Resp. Conc. Maj. Neg. min. Modo gratia infallibiliter prævideatur esse conjungenda cum consensu, jam est efficacissima, & invictissima, neque ab exemplo singulari S. Pauli fieri potest argumentum universale ad omnes gratias efficaces. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Liberum arbitrium sufficienter sanatur per gratiam sufficientem; huic enim homo libere potest consentire, & consequenter ad scientiam mediam invictissime consentit. Textus additus agit de prædestinatis, & perseverantia finali, quam utique Adamus in statu innocentiæ non habuit.

620 Dices. S. Doctor lib. de continentia cap. 3 ait: *Contra suavitatem noxiam, qua vincebat concupiscentia, Dominus dat suavitatem beneficam, qua delectatur amplius continentia*, & lib. 2 de pec-

peccat. merit. & remiſſ. cap. 17 : *Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius, quod bonum eſt, novimus, eoque delectamur ardentius.* Denique ſermone 20 de verbis Apoſtoli : *Quomodo te liberat Deus? inſpirando virtutem, dando menti cœleſtem delectationem, qua omnis delectatio terrena ſuperatur* : ergo delectatio, ut ſit efficax, debet eſſe intenſior. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. S. Auguſtinus in primo textu loquitur de delectatione deliberata, qua homo libere libidini continentiam anteponit. In 2do vel tantum agit de eo, quod ordinarie, aut ſæpius fit, vel iterum de delectatione deliberata exponi poteſt. Textus ultimi ſenſus eſt, quod Deus impediat, ne peccemus, dando delectationem cæleſtem, qua voluntas terreſtrem libere ſuperat bonum efficaciter volendo. Certe nullibi dicit, quod delectatio efficax debeat neceſſitare, imo lib. 8 confeſſ. cap. 8 expreſſe ait : *Non faciebam, quod & incomparabili affectu magis placebat, & mox ut vellem, poſſem.*

Obj. 3. Gratiæ efficaci quoad determina- 621 tionem ad bonum tantum tribuendum eſt, quantum tentationi gravi quoad determinationem ad malum : quippe Deus per gratiam ſuam plus poteſt in cordibus hominum, quam dæmon per concupiſcentiam ; atqui tentatio gravis neceſſitat moraliter ad malum : ergo. Conf. Voluntas hominis ſe habet inſtar bilancis, delectatio inſtar ponderis : ergo ubi major delectatio inclinat, voluntas neceſſario rapitur. *Amor meus*, inquit S. Auguſt. lib. 13 confeſſ. cap. 7, *pondus meum, eo feror, quocunque feror.* Reſp. Conc. Maj. Neg. min. univerſaliter ſumptam, præſertim ſi homo contra tentationes dæmonis muniatur gratia divina. Porro hic non eſt quæſtio, quid Deus per gratiam poſſet, ſed quid actu faciat. Imo licet Deus voluntatem moraliter non neceſſitet, longe cer-

tius quemlibet actum bonum ab homine potest obtinere, quam dæmon per tentationem moraliter necessitantem ad actum malum. Ad Conf. Neg. Maj. quod voluntas omni modo ita se habeat; alias delectationi majori nequidem physice posset resistere. S. Augustinus loquitur de amore deliberato, vel certe solum asserit, quod nullum bonum prosequamur sine amore.

622 Dices. Quamvis gratia moraliter necessitans infallibiliter, & indeclinabiliter post se trahat consensum, non ideo determinat physice, sed tantum moraliter; nam motio gratiæ est in genere moris, & non violenter, sed suaviter trahit: ergo cum gratia moraliter necessitante stat libertas. Conf. Potest cum P. Thomasino dici, gratiam efficacem non consistere in uno, sed in multitudine, & consonantia plurium auxiliorum, quorum singula frustrari possint, & interdum frustrentur, sed omnia simul vel pertinacissimos ad consensum semper pertrahant, ferme sicut iteratæ preces, suasiones, vel minæ amicorum aliquem ad propositum adducunt. Resp. Neg. Ant. cum ratione addita; alias etiam gratia Calvini, & delectatio victrix Jansenii tantum moraliter necessitarent. Unde hoc ludibrium verborum nihil prodest adversariis; si enim gratia ex se est indeclinabilis, & infallibilis, homo ne quidem habet potentiam physicam illi resistendi, adeoque physice, & absolute per illam necessitatur. Ad Conf. Neg. Ant. Nam præter dicta in probationibus huic sistemati specialiter obstat, quod tali modo Deus nullum determinatum auxilium videret, quo voluntas vinceretur, nec per unum duntaxat certo posset obtinere consensum, vel certe illud unum esset efficax, cui homo immediate deberet consentire.

623 Obj. 4. Ut quis provide & efficaciter intendat finem, sufficit, si sciat se habere media, qui-

quibus moraliter certo illum potest obtinere, neque tali modo prædefinitionem finis exponit periculo frustrationis. Sic nemo dicit, quod porrigens largam eleemosynam pauperi valde indigenti aut tabulam naufrago se exponat periculo repulsæ: ergo. Conf. Deus, cui omnes humani cordis recessus perspecti sunt, per scientiam necessariam cognoscit, quod auxilium moraliter necessitans nunquam existat sine consensu; ergo gratia moraliter necessitans est sufficiens medium ad obtinendum actum salutarem. Resp. Dist. Ant. hæc sufficiunt ad providentiam & efficaciam simpliciter, & metaphysice infallibilem, Neg. Ant. ad moraliter solum infallibilem, quali agere solent homines, Conc. Ant. quoad hoc membrum, & Dist. etiam quoad alterum. Non exponit suam prædefinitionem periculo morali frustrationis, Conc. Ant. non eam simpliciter exponit periculo, Neg. Ant. & Conf. Ad Conf. Neg. Ant. Per scientiam necessariam Deus solum cognoscit connexionem auxilii intrinsecam cum consensu, quæ connexio sicut tantum est moraliter necessaria, ita Deum tantum reddit moraliter certum de futuro consensu, nisi etiam accedat scientia conditionalis, qua consensum conditionate futurum cognoscat in se ipso.

Dices. Deus omnipotentissima sua virtute 624
idem potest in ordine supernaturali, quod facit in ordine naturali; atqui in hoc eum timorem mortis temporalis in natura impressit, qui illæsa libertate nos invincibiliter determinat ad rejicienda, quæ certo, & infallibiliter mortem inferunt; nullus enim sana mente se projiciet in ardentem fornacem, illud tamen cuique liberum est. Conf. Homo non semper prævenitur delectatione cælesti, vel terrena, quæ illum infallibiliter determinat; nam plures sunt tentationes

leves, quas vincere possumus potentia morali, multa opera bona non sunt difficilia, sed potius suavia, imo etiam ad opera difficiliora Deus confert gratiam sufficientem, ut notat D. Habert. Resp. Conc. Maj. Neg. min. Vel enim in tali casu homo saltem physice potest agere contra inclinationem naturæ, vel non? si secundum, ne quidem habet libertatem physicam, aut cur nemo unquam contra illam egit? si primum: ergo inclinatio naturæ non est absolute invincibilis, prout revera videtur in certis circumstantiis vinci posse. Ad Conf. Hac explicatione D. Habert destruit totum suum sistema; quippe si homo non semper prævenitur delectatione cælesti, quando bene agit, in quonam tunc consistit gratia efficax? aut si in aliquibus potest explicari sine morali necessitate; cur illa in plerisque actionibus sine fundamento, & contra experientiam adstruitur.

QUÆSTIO III.

An gratia efficax bene explicetur per decretum concomitans, aut prædeterminationem physicam.

625 Quoniam utraque hæc quæstio fuse examinari solet in tractatu de Deo, hic ea tantum afferemus, quæ hujus loci propria sunt; prius tamen noto, neque Scotistas, neque Bannesianos admittere scientiam mediam; sed secundum ipsos Deus actus liberos conditionate futuros cognoscit in decreto condeterminante, vel prædeterminante subjective absoluto, objective autem conditionato, & hoc, vel simili modo tendente: Condetermino, vel prædetermino consensum, vel dissensum Petri, si haberet auxilium A. Unde non solum ad actus absolute, sed eti-

etiam conditionate futuros requirunt decretum Dei antecedens, & actu existens, cum consensu futuro essentialiter connexum; ipsa vero decreta diriguntur solum per scientiam simplicis intelligentiæ, qua Deus cognoscit cum auxilio A possibilem esse consensum, vel dissensum.

Dicendum 1. Efficacia gratiæ non bene ex- 626
plicatur per decretum condeterminans; nam 1 Deus condeterminando consensum Petri eundem decerneret solum ex aliqua sympathia, antequam cognosceret, quid Petrus cum hoc auxilio esset acturus: ergo non satis provide ageret, sed cæco quodam modo, sicut cæco modo statueres ambulare cum Petro, antequam scires, quod Petrus sit ambulaturus. 2. Hoc decretum esset essentialiter connexum cum consensu creaturæ, & a creatura inimpedibile: ergo tolleret libertatem creaturæ. Ant. quoad 1 membrum patet, quia alias Deus in hoc decreto non posset infallibiliter prævidere actum futurum. Quoad 2 probatur. Creatura nullum constitutivum actus primi proximi divini ad hoc decretum posset impedire; nam totus actus primus proximus metaphysicus Dei juxta condeterminatores consistit in scientia simplicis intelligentiæ, & potentia volitiva Dei: ergo neque posset impedire ipsum decretum Dei, posito etiam, quod Deus jam prius per decretum generale statuerit, quod velit se libertati hominis accommodare. Vel enim non obstante hoc decreto Deus adhuc manet immediate liber ad condeterminandam actionem creaturæ, vel non? si primum? ergo decretum particulare manet inimpedibile. Si secundum? ergo hoc decretum non amplius est condeterminans, sed primum consequitur ad determinationem creaturæ, idque, ut probavimus, cæco modo. Vid. tract. de Deo.

627 Dicendum 2. Efficacia gratiæ non bene constituitur in præmotione physica. Prob. 1. Gratia efficax juxta doctrinam catholicam est talis, ut voluntas eidem possit resistere ac dissentire; atqui prædeterminationi physicæ voluntas non potest resistere ac dissentire: ergo. Major probata est num. 605, & ulterius ostenditur ex concilio Tridentino sess. 6 cap. 5, ubi contra Calvinum, & alios hæreticos docet, *Quod tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, utpote qui illam & abjicere potest.* Accedit auctoritas concilii Senonensis, quod decret. 15 statuit, *Auxilium Dei trahentis non esse tale, cui resisti non possit.* Min. Prob. resistere, & dissentire gratiæ nihil aliud est, quam conjungere dissensum cum tali gratia, seu illa præsente omittere actum; atqui est metaphysice impossibile, ut voluntas conjungat dissensum cum gratia physice prædeterminante, cum hæc essentialiter ad actum sit necessaria, & cum illo connexa, simulque a creatura inobtinibilis, inimpedibilis, & inevitabilis; ergo.

628 Probatur 2. Admissa gratia intrinsece efficaci, & physice prædeterminante, quicunque non haberet gratiam efficacem, etiam non haberet gratiam vere sufficientem; hoc non potest admitti, alias e medio tolleretur omnis gratia sufficiens; ergo. Maj. Prob. Qui non haberet gratiam efficacem, careret prædeterminatione physica: ergo careret auxilio ad actum bonum, & salutarem essentialiter requisito, neque haberet potestatem hoc auxilium acquirendi: ergo non haberet gratiam vere sufficientem; quippe sufficientia proprie talis ex suo conceptu dicit præsentiam omnium eorum, quæ essentialiter ad agen-

gendum requiruntur, vel ſaltem potentiam illa acquirendi. Sic calamus, vel penicillus non habet potentiam ſcribendi, vel pingendi ſine motione artificis, quibus exemplis adverſarii ſuam ſententiam explicare ſolent. Conf. Admiſſa gratia phyſice prædeterminante quædam præcepta Dei in certis circumſtantiis eſſent impoſſibilia; hoc falſum, ut patet ex prima propoſitione damnata Janſenii: ergo. Maj. Prob. Admiſſa neceſſitate gratiæ phyſice prædeterminantis trangreſſor præcepti non poſſet ponere actum præceptum; eſt enim metaphyſice impoſſibile, ut actus conjungatur cum negatione prædeterminationis phyſicæ, quæ negatio apud transgreſſorem præcepti daretur: ergo tale præceptum transgreſſori ſecundum præſentes, quas habet vires, eſt impoſſibile.

Reſponſiones Prædeterminatorum.

Reſponſio 1. Quamvis voluntas non poſſit diſ- 629
ſentire gratiæ intrinſece efficaci in ſenſu compoſito, poteſt tamen illi diſſentire in ſenſu diviſo, ferme ſicut juſtus poteſt peccare in ſenſu diviſo præſcientiæ divinæ. Contra eſt 1. Quando Concilium Tridentinum contra Lutherum, & Calvinum definit, hominem poſſe gratiæ reſiſtere, & illam abjicere, manifeſte loquitur de ſenſu compoſito; quod enim homo poſſit omittere actum bonum, ſi gratia divina deeſt, per ſe patet, & nullus hæreticorum negavit, imo impoſſibile eſt, ut quis abjiciat gratiam, quam non habet, aut ut illi reſiſtat, quando non datur. 2. Potentia in ſenſu diviſo tunc ſolum prodeſt ad agendum vel non agendum, quando eſt in poteſtate voluntatis; atqui ſenſus diviſus non eſt in poteſtate voluntatis humanæ; cum neque poſſit prædeterminationem acquirere, neque ſi

illa detur, ſe ab eadem dividere: ergo. Sane tali modo pari jure dici poſſet, beatos in ſenſu diviſo eſſe liberos ad amorem Dei, vinculis ligatum ad ambulandum &c. imo etiam Janſeniſtæ, & Calviniſtæ poſſent dicere, quod homo poſſit reſiſtere gratiæ neceſſitanti in ſenſu diviſo.

630 Dices 1. Senſus diviſus dicitur ex eo, quia a præmotione dividit actualem diſſenſum, & ſolum relinquit potentiam diſſentiendi: ergo non eſt opus, ut homo gratiæ efficaci poſſit reſiſtere in illo inſtanti, in quo gratia datur. 2. Qui actu ſedet, poteſt libere non ſedere, licet ſeſſionem non poſſit conjungere cum negatione ſeſſionis: ergo a pari. 3. Licet ſtante prædeterminatione non detur potentia futuritionis, poſitionis, acturа &c. datur tamen in eodem inſtanti potentia poſſibilitatis, capacitatis, & activa diſſentiendi: ergo. Reſp. ad 1. Tranſ. Ant. quoad 1 membrum, Diſt. quoad 2, & quia ſolum relinquit potentiam diſſentiendi remotam & pro aliis circumſtantiis, Neg. Ant. proximam, & quidem pro his circumſtantiis expeditam, Conc. Ant. & Neg. ſuppoſitum, quod homo habeat potentiam proxime expeditam ad diſſentiendum pro iis circumſtantiis, in quibus datur præmotio phyſica ad conſenſum. Imo juxta Tridentinum diſſenſus cum ipſa gratia efficaci debet poſſe conjungi. Ad 2. Conc. Ant. Neg. Conſ. diſparitas eſt, quia ſeſſio eſt in libera hominis poteſtate, & antecedenter potuit impediri, non item gratia prædeterminans. Ad 3. Diſt. Ant. datur potentia poſſibilitatis, capacitatis & activa ad diſſenſum præciſe remota, & impedita, Conc. Ant. proxima, Subdiſt. pro aliis circumſtantiis, Tranſ. præſente prædeterminatione phyſica, Neg. Ant. & Conſ.

Re-

Responsio 2. Gratia prædeterminans se non tenet ex parte actus primi proximi, sed tantum ex parte actus secundi, vel intermedii: ergo relinquit totum actum primum proximum liberum ad dissentiendum. Contra est 1. Tali modo evertitur totum sistema Bannesii, & antiquorum Thomistarum, juxta quos prædeterminatio est præmotio, qua causa prima movet causam secundam, est virtus superna influens in actus nostros, est applicatio causæ secundæ ad producendum effectum, est gratia efficiens; atqui hæc omnia juxta sanam philosophiam se tenent ex parte actus primi proximi. 2. Ubicunque dicatur prædeterminatio se tenere, semper manet aliquid essentialiter necessarium, & cum actu connexum, inobtinibile, inimpedibile, & inevitabile: ergo non minus est incompossibilis cum dissensu, quam visio beatifica cum negatione amoris, vincula indissolubilia cum cursu &c. Ratio ulterior est, quia ad actum primum proximum liberum dissentiendi necessario requiritur negatio impedimenti inauferibilis, quale impedimentum dissensus cum sit prædeterminatio ad consensum, ejus negatio debet constituere actum primum proximum; atqui hoc non potest fieri, ubicunque prædeterminatio ponatur; alias eodem tempore existeret prædeterminatio, & negatio prædeterminationis. 631

Dices 1. Si prædeterminatio non constituit actum primum proximum, ejus negatio constituit actum primum proximum. 2. Prædeterminatio ad consensum neque opponitur potestati consentiendi, neque potestati dissentiendi, sed tantum opponitur carentiæ consensus. 3. Nihil magis opponitur consensui, quam dissensus, & tamen negatio consensus se non debet tenere ex parte actus primi proximi: ergo a pari. Resp. 632

ad 1. Neg. Ant. Constituere actum primum proximum est esse natura prius, & suo modo effectum causare; jam vero ex eo, quod Turcarum Imperator non sit natura prior ad meum consensum, non sequitur, quod ad illam sit natura prior ejus negatio; quæ utique meum consensum nullo modo causat. Ad 2. Neg. Ant. Prædeterminatio opponitur tam liberæ potestati consentiendi, quia consensum essentialiter secum trahit, quam potestati liberæ dissentiendi, quia dissensum essentialiter excludit. Ad 3. Neg. paritatem. Tam consensus, quam dissensus, & utriusque negatio sunt juxta nos impedimenta auferibilia per ipsum actum secundum, quia homo libere potest consentire, vel dissentire, prout voluerit.

633 Responsio 3. Prædeterminatio non requiritur, ut virtus activa ad posse consentire, sed solum tanquam applicatio ad ipsum consensum: ergo si adest, non tollit potentiam dissentiendi, si vero deest, nihilominus datur sufficiens potentia ad consentiendum, sicut potentia visiva est principium sufficiens ad videndum, licet visio dari nequeat, nisi accedente lumine. Contra est 1. Quamvis prædeterminatio forte non pertineat ad potentiam remotam consentiendi, est tamen aliquid essentialiter requisitum, & necessario cum consensu connexum: ergo illa præsente non datur potentia proxima ad dissensum, neque illa absente potentia proxima ad consensum: sicut non datur potentia proxima ad videndum sine lumine, esto, quod lumen non constituat potentiam remotam specificative acceptam. 2do. Juxta Thomistas implicat contradictionem dari prædeterminationem ad consensum, & simul poni dissensum. Item non dari prædeterminationem ad consensum, & tamen dari consensum: ergo potentia præsente prædeterminatione dissen-

ſentiendi, & illa abſente conſentiendi eſſet potentia ad actum chymæricum, conſequenter etiam ipſa eſt chymærica.

Dices 1. Juxta Concilium Tridentinum voluntas poteſt diſſentire illi gratiæ, cui juxta Calvinum non poteſt diſſentire; atqui juxta Calvinum non poteſt diſſentire gratiæ intrinſece efficaci: ergo. 2. Concilium ſolum definit, quod voluntas poſſit diſſentire gratiæ, ſi velit: nullibi autem dicit, quod hoc poſſit velle. 3. Solum damnat illos, qui dicunt præcepta eſſe impoſſibilia; aliud autem eſt eſſe impoſſibile, aliud non poſſe; impoſſibilitas enim petitur ex parte objecti, impotentia ex parte potentiæ. Reſp. ad 1, diſcurſum eſſe ſophiſticum, & committere fallaciam accidentis, quippe in majore gratia accipitur ſecundum ſua prædicata certa, in minore vero ſecundum prædicata controverſa, & a Calvino afficta, quod nempe gratia ſit intrinſece efficax, ut ſit in hoc diſcurſu: Illud Verbum definitum fuit æquale Patri, quod juxta Arium eſt inæquale; ſed juxta Arium Verbum creatum eſt inæquale: ergo. Ad 2. Niſi concilium ſaltem implicite definiiſſet, quod voluntas poſſit velle diſſentire, definitio eſſet nugatoria, & nihil contra Calvinum ſtatueret; quomodo enim voluntas poſſet diſſentire, niſi vellet. Ad 3. Licet impoſſibile, & non poſſe quoad ſonum differant, in re conveniunt, vel certo ſunt inſeparabilia. Sic licet volatus ex parte objecti non ſit impoſſibilis, vere tamen dicitur impoſſibilis homini. 634

Reſponſio 4. Gratia prædeterminans non inducit impotentiam diſſentiendi abſolutam, ſed tantum ex ſuppoſitione, non antecedentem, ſed conſequentem &c. Contra eſt 1 impotentia, quæ non præſupponit uſum, aut exercitium noſtræ 635

liber-

libertatis eſt abſoluta, & antecedens; atqui talis eſt impotentia diſſentiendi, quam inducit gratia prædeterminans; ſequitur enim neceſſario ex aliquo inobtinibili, inimpedibili, & inevitabili, dum econtra neceſſitas conſequens ſeu conſequentiæ ſolum eſt illa, quæ oritur ab aliquo, quod eſt impedibile, vel evitabile a libera voluntate, cujus determinationem conſequitur. 2. Quandocunque aliqua ſuppoſitio inducens impotentiam vel neceſſitatem nullo modo eſt libera voluntati creatæ, tunc illa ſuppoſitione poſita datur neceſſitas antecedens, & abſoluta; atqui gratia prædeterminans eſt talis ſuppoſitio, quæ inducit neceſſitatem ad conſenſum, & impotentiam ad diſſenſum; neque hæc ſuppoſitio eſt libera voluntati: ergo inducit neceſſitatem, & impotentiam abſolutam. Sic ex ſuppoſitione viſionis beatificæ, homo eſt abſolute neceſſitatus ad amorem Dei, ex ſuppoſitione gratiæ victricis eſt abſolute impotens ad diſſentiendum &c.

636 Dices 1. Gratia prædeterminans eſt in libera poteſtate voluntatis humanæ. Nam 1. Deus tantum præmovet voluntatem, ut libere inclinatam ab objecto, ſeu fine, illi per cognitionem propoſito, ita, ut ipſe Deus prius natura moveatur, a voluntate non reſiſtente motioni finis. 2. Prædeterminatio poteſt obtineri per orationem, vel alium actum liberum præcedentem. 3. Viciſſim poteſt impediri per præcedentia peccata perſonalia, vel originale: ergo. Reſp. Neg. illatum, quod clare eſt contra mentem Bannelii docentis, prædeterminationem eſſe ſoli Deo liberam. Ad 1 probationem quæro, utrum voluntas prius moveatur ab objecto libere, vel neceſſario? ſi primum, jam habuit potentiam actum libere ponendi ſine prædeterminatione: ſi ſecundum, tunc ſicut illa motio non eſt in pote-

teſtate voluntatis, ſic neque prædeterminatio conſequens. Dein decretum prædeterminans juxta Thomiſtas eſt unicum medium, in quo Deus prævidet actus humanos liberos: ergo pro priori naturæ nullum talem actum poteſt prævidere. Ad 2 redit ſemper quæſtio de actibus præcedentibus, quomodo homo illos ſine prædeterminatione potuerit ponere aut prædeterminationem ad illos acquirere? Ad 3 eadem eſt reſponſio. Adde ad peccata perſonalia non ſufficere libertatem, quam habuimus in Adamo, ut patet ex propoſitione 3 damnata Janſenii.

Reſponſio 5. Quamvis voluntas non poſſit 637
reſiſtere gratiæ prædeterminanti ſecundum omnem realem ſuam virtutem, quam habet, ut provenit a Deo tanquam infallibile inſtrumentum divinæ voluntatis; poteſt tamen eidem reſiſtere, prout conſideratur præciſe ſecundum ſuam entitatem, ſeu quatenus eſt aliqua realis motio in voluntate recepta. Contra eſt 1. Iſtæ præciſiones formales a parte rei nihil operantur, & ad rem præſentem prorſus nihil faciunt, ſi gratia prædeterminans reipſa habet prædicatum, aut virtutem aliquam, cui reſiſti non poteſt; atqui habet tale prædicatum, ſcilicet quod ſit virtus inſuperabilis, & inſtrumentum Dei efficaciſſimum. 2. Tali modo nihil erit, cui non poſſit reſiſti, e. g. etiam gratia neceſſitans Calvini, victrix Janſenii, & vincula indiſſolubilia poſſunt conſiderari, prout ſunt ens, accidens &c. in quibus prædicatis formaliter nihil includitur, cui reſiſti non poſſit. Equidem paritatem cum vinculis Banneſiani vocant craſſam, forte quia illos nimis premit; duo enim præcipue palpabiliter declarat, quod ſcilicet impedimentum inevitabile, & inimpedibile tollat potentiam, & libertatem ad actum contrarium, licet tale impedimentum ſe non teneat ex parte actus primi, & conſe-

quenter, quod ex parte actus primi liberi necessario debeat dari negatio talis impedimenti.

638 Dices 1. Vincula sunt in genere physico, & potentia loco motiva non est immediate libera: gratia prædeterminans est in genere morali, efficit immediate voluntatem liberam, & subjectionem creaturæ erga Deum promovet. 2. Vincula non accommodantur potentiæ loco motivæ, neque suaviter, sed violente illam detinent: contrarium accidit in gratia prædeterminante. 3. Vincula faciunt hominem quiescere, sive velit, sive nolit, prædeterminatio facit hominem velle. Resp. has disparitates esse mere materiales; nam 1 nihil facit ad rem, utrum aliquid sit in genere physico, sive morali, si utrumque affert inevitabilem necessitatem; hinc sicut potentia loco motiva per vincula ita constringitur, ut non amplius possit subjacere imperio voluntatis libero, sed mediata ipsius libertas pereat: sic voluntas per præmotionem physicam ita afficitur, ut se Deo non amplius possit subjicere libere, sed perdat libertatem immediatam. 2. Licet quis vinculis aureis ligetur, & non invitus, sed suaviter quiescat, tamen non est liber ad ambulandum. Porro gratia victrix Jansenii voluntati optime accommodata est. 3. Ad libertatem indifferentiæ non sufficit velle, seu liberum esse a coactione, sed etiam requiritur libertas a necessitate.

639 Responsio 6. Deus non tantum prædeterminat ad substantiam actus, sed etiam ad modum, sive ad actum liberum ut liberum suaviter faciendo, ut voluntas libere consentiat; adeoque gratia prædeterminans potius libertatem promovet, quam tollit. Contra est 1. Quia idem dici posset de gratia victrice Jansenii, de visione beatifica &c. 2. Est impossibile, ut Deus physice

fice prædeterminet ad hunc modum, cum in terminis implicet, prædeterminare ad actum liberum creaturæ per aliquid, quod est essentialiter connexum cum actu, & a voluntate creaturæ prorsus inimpedibile, & inevitabile; hinc etiam nihil nisi terminos repugnantes afferunt, qui dicunt, prædeterminationem esse aliquid ita inimpedibile, ut sit causa libertatis: item quod Deus prædeterminet voluntatem non per modum naturæ, sed per modum liberi, prædeterminatione non conveniente causis necessariis, sed liberis. Præterquam enim, quod in causis necessariis ex natura sua ad agendum jam determinatis nulla prædeterminatione opus sit, manent quoad causas liberas inconcussæ nostræ probationes, ex quibus etiam facile impugnari poterunt aliæ replicæ, quas Bannesiani ferme singulis annis novis terminis proponunt.

Dices 1. Libertas est modus possibilis actus 640
humani: ergo non potest tolli per hoc, quod Deus illam vult existere; alias modus libertatis impediretur ideo, quia Deus illum efficaciter vult. 2. Libertas divina est eminenter nostra libertas: ergo terminus libertatis divinæ, est etiam terminus libertatis nostræ: ergo si Deus gratiam prædeterminantem nobis libere dat, nos illam libere recipimus. 3. Quod possumus per amicos, possumus per nos: ergo quod possumus per Deum, possumus per nos: ergo sumus liberi ad hoc, quod Deus libere nobis dat. Resp. ad 1. Conc. Ant. Dist. Conf. nisi Deus adhibeat medium libertatis eversivum, Conc. Conf. secus, Neg. Conf. Hoc ipso quod gratia prædeterminans libertatem everteret, a Deo non potest adhiberi ad obtinendum actum liberum qua talem. Ad 2. Dist. Ant. hoc est Dei libertas multo nobilior quam nostra, Conc. Ant. per libertatem Dei etiam nos sumus formaliter libe-

ri, Neg. Ant. & Dift. Conf. ergo terminus libertatis divinæ eft terminus noftræ libertatis eminenter, Tranf. Conf. formaliter, Neg. Conf. Ut aliquid a nobis libere fiat, debet formaliter effe terminus libertatis nobis propriæ ; alias nulla amplius neceffitas antecedens tolleret libertatem. Ad 3. Dift. Ant. fi illud pro libitu ab amicis poffumus habere, quod nobis ad agendum eft neceffarium, & vitare illud, quod ad agendum neceffitat, Conc. Ant. fecus, Neg. Ant. & Conf. Quid me juvant divitiæ amici, fi illas habere nequeo, quando mihi funt neceffariæ.

QUÆSTIO IV.

An gratia efficax confiftat in auxilio de fe indifferente ad confenfum vel diffenfum?

641 Dicendum : Gratia efficax confiftit in auxilio fupernaturali de fe indifferente, fed collato dependenter a fcientia media de confenfu conditionate futuro. Prob. Gratia efficax imprimis debet effe auxilium fupernaturale ; eft enim juxta Scripturam, Concilia, & Patres illa vocatio, qua Deus nos vocat ad juftificationem, & exercenda opera falutaria. Dein hoc auxilium de fe debet effe indifferens, alias homo illi non poffet refiftere, neque diffentire. Denique debet conferri dependenter a fcientia media, alias non effet medium abfolute, & infallibiliter efficax ad obtinendum confenfum creaturæ. Conf. & fimul ulterius declaratur conclufio. In hac fententia rite explicantur omnia, quæ juxta doctrinam Scripturæ, Conciliorum, & Patrum ad gratiam efficacem requiruntur, fimulque evitantur difficultates, quas aliis fententiis objecimus : ergo fi aliunde nihil obftet, prout nihil obftare videbimus, hæc fententia præ reliquis

est tenenda. Ant. Prob. eundo per præcipua capita, simulque ostenditur, quam malevole aut imperite P. Berti dicat, quod Deus juxta nostram doctrinam eodem affectu omnibus gratiam conferat, eamque ita subjiciat nostræ libertati, ut a parte rei inter gratiam sufficientem & efficacem nullum detur discrimen.

Explicatur itaque 1. Quomodo gratia effi- 642
cax in actu primo antecedat consensum absolute futurum. Quippe entitas gratiæ indispensabiliter ad actum salutarem prærequiritur; scientia vero media, quamvis sit aliquo modo posterior ad consensum, conditionate futurum, est tamen prior ad consensum absolute futurum, in quantum dirigit decretum collativum auxilii, quod decretum consensum absolute futurum præcedit. 2. Quomodo infallibiliter post se trahat consensum, seu actum salutarem. Quia licet auxilium de se sit indifferens, confertur tamen dependenter a scientia media infallibili, & metaphysice certa de consensu conditionate futuro: si itaque Deus habeat hunc actum intellectus: Si Petrus haberet auxilium A, consentiret, & simul hunc actum voluntatis, qua conditionem purificat: Volo Petro dare hoc auxilium A, metaphysice impossibile est, ut non detur consensus. 3. Quomodo non obstante gratia efficaci homo sit liber, & illi possit dissentire. Quamvis enim complexum ex entitate auxilii, & scientia media sit essentialiter cum consensu absolute futuro connexum; nihilominus voluntas potentia antecedente potest impedire scientiam mediam de consensu conditionate futuro, consequenter cum entitate auxilii dissensum conjungere.

Explicatur 4. Quomodo Deus habeat per- 643
fectissimum dominium in corda hominum, vi cujus liberrime possit misereri, cujus vult misere-

ri & obdurare, quem vult obdurare, in quantum nempe cuilibet homini pro libitu poteſt conferre auxilium, cui prævidet illum eſſe conſenſurum vel diſſenſurum, ut adeo prædeſtinatio, & reprobatio a ſola voluntate Dei dependeat, & adhuc inſcrutabile myſterium maneat, quare Deus huic homini decernat gratiam efficacem, alteri inefficacem, quare hunc velit ex hac vita rapere, dum eſt in ſtatu gratiæ, alterum vero, dum eſt in ſtatu peccati. 5. Quomodo gratia efficax differat a pure ſufficiente; licet enim ſpecificative, & quoad entitatem conveniant, tamen gratia efficax qua talis involvit ſcientiam mediam de conſenſu, inefficax autem qua talis ſcientiam mediam de diſſenſu. Interim quia ut ſupra dixi, hæc ſcientia media eſt impedibilis, auxilium inefficax manet vere ſufficiens, & quod de facto ſit inefficax non Deo, ſed homini imputari debet, qui ſi vellet, poſſet illi conſentire, & conſentiendo facere, ut Deus ab æterno prævidiſſet hoc auxilium conjungendum eſſe cum conſenſu. 6. Ex his ſequitur gratiam efficacem in actu ſecundo haberi, quando ad gratiam efficacem in actu primo accedit conſenſus creaturæ cum concurſu Dei; nam illud conſtituit gratiam efficacem in actu ſecundo, quod eſt donum ſupernaturale indebitum, & infallibiliter conſenſum efficit; atqui hujusmodi donum eſt auxilium adjuvans arbitrium noſtrum in ipſo exercitio bonæ operationis.

644 Probatur concluſio ulterius auctoritate S. Auguſtini. Hic lib. 1 ad Simplic. q. 2 explicans, quomodo multi ſint vocati, pauci vero electi, ait: quod quamvis multi uno modo vocati ſint, tamen quia non omnes uno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei. Dein addit: *Cujus autem mi-*

miseretur Deus, eum sic vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. Ex quibus verbis colligitur, quod S. Doctor non adstruat gratiam intrinsece efficacem; nam juxta ipsum *ex multis eodem modo vocatis* non omnes sequuntur vocationem. 2. Quod efficaciam gratiæ explicet per scientiam mediam, quæ vocationem dirigit. *Sic eum vocat, quomodo scit ei congruere.* 3. Quod specialis Dei misericordia consistat in hoc, *Quod hominem si vocet, quomodo scit ei congruere.* Pariter ad scientiam mediam confugit S. Pater, quando explicat gratiam inefficacem, ut patet ex tract. 53 in Joann.: *Quare autem non potuerunt credere Judæi, si a me quæratur, cito respondeo: quia nolebant; malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus.* Denique lib. de corrept. & grat. cap. 8 clare supponit, quod decreto divino, quo Deus statuit donum perseverantiæ, præluceat scientia conditionalis, qua Deus prævidet, Petrum nisi intra illos dies raperetur, jacturam gratiæ facturum juxta illud Sapient. 4 v. 11: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum.*

Objectiones ex auctoritate.

Obj. 1. Per gratiam efficacem trahimur a Deo. 545
Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, Joann. 6 v. 44; atqui per auxilium indifferens non trahimur, sed nos potius traheremus Deum, quem posito tali auxilio determinamus ad cooperandum: ergo. Conf. Si auxilium gratiæ esset indifferens ad consensum vel dissensum, consensus esset hominis; hoc falsum: *Non enim est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei,* ad Rom. 9 v. 16. Resp. Dist. Maj. per gratiam efficacem trahimur necessario, & inimpedibiliter, Neg. Maj. libere, & infalli-

biliter, Conc. Maj. Trahere proprie loquendo dicit impulſum, aut influxum prævium cauſæ principalis alteram pro libitu impellentis, quod proprie præſtat Deus, quando nobis confert auxilium, quod infallibiliter prævidet fore efficax; nos vero Deum ad cooperandum tantum determinamus logice ſine omni influxu prævio. Ad Conf. Diſt. Maj. Conſenſus eſſet hominis partialiter, Conc. Maj. totaliter, aut principaliter, Neg. Maj. Conſenſus ſalutaris partialiter eſt hominis, quia libere illum elicit; principaliter autem eſt Dei, qui gratiam ad conſenſum neceſſariam tribuit, ut docet S. Auguſtinus lib. 1 ad Simplic. q. 2 dicens: *Ut velimus, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum: ſuum vocando, noſtrum ſequendo.* Porro Apoſtolus loquitur de prædeſtinatione & præparatione gratiarum efficacium, quæ utique eſt mere gratuita, & a ſola Dei miſericordia dependet.

646 Dices. Per gratiam efficacem non tantum regimur, ſed agimur: *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei*, ad Rom. 8 v. 14; atqui per auxilium indifferens tantum regimur, cum tale auxilium etiam detur illis, qui non eliciunt actum ſalutarem. Conf. Si homo ex propria determinatione poſſet conſentire gratiæ, poſſet gloriari de opere bono tanquam ſuo; hoc eſt contra Apoſtolum 1 ad Cor. 4 v. 7, ubi ait: *Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Reſp. Conc. Maj. Neg. min. Quando auxilio indifferenti conſentimus, vere per illud agimur, & quidem infallibiliter, cum ponatur datum fuiſſe dependenter a ſcientia media de conſenſu conditionate futuro, qualiter non datur illis, qui non cooperantur. Ad Conf. Neg. Maj. Quidquid homo boni operis habet, accepit a Deo tan-

tanquam causa principali, qui illum ad bene operandum excitavit, & ita corroboravit, prout sciebat homini congruere. Potest nihilominus homo aliquo modo de opere bono gloriari in Domino; alias nulla laus, & gloria deberetur hominibus justis, neque ipse Apostolus 2 ad Cor. 12 v. 6 dixisset: *Si voluero gloriari, non ero insipiens.*

Obj. 2. Si auxilium gratiæ efficacis de se 647
esset indifferens, tunc justus ab injusto, consentiens a dissentiente se ipsum posset discernere; hoc est contra illud Apostoli 1 ad Cor. 4. v. 7, *quis te discernit?* quod juxta S. Augustinum & Concilium Arausicanum significat hominem a Deo discerni, non a se ipso: ergo. Maj. Prob. potest contingere, ut Petrus, & Paulus habeant æquale auxilium, & Petrus consentiat, Paulus vero dissentiat: ergo. Conf. Ut Deus discernat Petrum a Paulo, debet dare consensum Petro; sed Petro nihil dat, quod non dat Paulo: ergo. Resp. Dist. Maj. justus se ipsum posset discernere primario, & in actu primo, Neg. Maj. secundario, & in actu secundo, Conc. Maj. & sic Dist. min. Neg. Conf. Ut justus actu consentiat, prærequiritur auxilium efficax, quod, utrum Deus velit dare, dependet a liberrima ipsius voluntate; imo etiam discretio formalis, & in actu secundo principaliter provenit ab auxilio Dei tum excitante, tum adjuvante; hinc licet ponatur, quod duo habeant auxilia prævenientia entitative æqualia, nunquam tamen potest contingere, ut ille, qui dissentit, habeat totaliter æquale, quia ille, qui consentit, simul habet gratiam cooperationis, item vocationem secundum propositum, id est, gratiam collatam dependenter a scientia media de consensu. Ideo ad Conf. Conc. Maj. Neg. min. Hoc ipso, quod Deus Petro det gratiam, cui videt illum esse

consensurum, dat Petro consensum, & plus illi tribuit, quam Paulo.

648 Dices 1. Primaria ratio, cur Petrus consentiat, & Paulus non consentiat, juxta nos est libera utriusque voluntatis determinatio; inter duas enim causas, quarum una determinat alteram, præcipua est illa, quæ libere determinat. Conf. Petrus non minus quam Paulus auxilio jam collato posset dissentire: ergo quod detur consensus potius Petro, quam Deo debet adscribi. Resp. Neg. Ant. Primaria ratio, cur Petrus consentiat, & Paulus dissentiat, est gratia, qua Deus unum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat, & alterum non sic vocat, cumque Petrus se non posset determinare, nisi pro priori vim agendi salutariter a gratia obtineret, cujus motionem sequitur, causa principalis est gratia; ratio vero antecedenti addita ad summum procedit, si causa libera ab altera non primum debet acquirere vim agendi, vel omnino alteri causæ vim agendi tribuit, ut quando artifex movet instrumentum. Ad Conf. Dist. Ant. posset dissentire auxilio specificative accepto, Conc. Ant. reduplicative accepto, Subdist. potentia antecedente, Conc. Ant. consequente, Neg. Ant. & Conf. Licet Petrus potentia antecedente auxilio posset dissentire, infallibiliter tamen non est dissensurus, quod vero habeat tale auxilium, non est a Petro, sed a Deo.

649 Dices 2. Nisi Petrus libere esset consensurus auxilio, Deus per scientiam mediam non posset prævidere consensum conditionate futurum: ergo Petrus primo se discernit. Conf. Licet Deus Paulo det auxilium, cui prævidet illum esse dissensurum, ideo in actu primo non discernit dissentientem, & injustum a justo: ergo a pari. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Tum

quia

quia quilibet homo per ſcientiam mediam prævidetur aliquibus auxiliis conſenſurus, aliis diſſenſurus, adeoque per conſenſum præciſe conditionate futurum, nec a juſto, nec ab injuſto diſcernitur: tum quia Deus etiam poſt ſcientiam mediam eſt liberrimus, utrum Petro velit dare auxilium, cui illum prævidet eſſe conſenſurum, vel cui illum prævidet eſſe diſſenſurum. Ad Conf. Diſt. Ant. Deus ideo non diſcernit diſſentientem moraliter, & poſitive, Conc. Ant. phyſice, & negative, Neg. Ant. Deus ſuo modo diſcernit diſſentientem phyſice, in quantum ponit antecedens infallibiliter connexum cum diſſenſu, nempe gratiam pure ſufficientem, quia tamen per hoc auxilium diſſenſum poſitive non intendit, non eſt cauſa moralis per ſe hujus diſcretionis, & in hoc eſt diſparitas cum diſcretione juſti; nam ibi Deus conſenſum poſitive intendit. Porro noſtrum modum explicandi diſcretionem eſſe ad mentem D. Auguſtini patet ex lib. 11 de civit. cap. 19, ubi agens de diſcretione Angelorum ait: *Solus quippe ita diſcernere potuit, qui potuit, etiam prius quam caderent, præſcire caſuros.*

Obj. 3. Juxta Concilium Tridentinum, &c. 650
SS. Patres opera ſalutaria ſunt gratiæ, & dona Dei; atqui gratiæ, & dona Dei ſunt a ſolo Deo, non vero a voluntate creata proveniunt: ergo. Conf. Si voluntas determinat gratiam, gratia eſt pediſequa voluntatis; ſed hoc damnatum eſt in Semi-Pelagianis: ergo. Reſp. Diſt. Maj. ſunt meræ gratiæ, & dona Dei tantum, Neg. Maj. ſimul merita hominis, Conc. Maj. & ſic Diſt. min. Neg. Conſ. Opera ſalutaria ſunt dona Dei, quatenus principaliter a Deo donantur, qui enim dat cauſam principalem infallibiliter connexam cum effectu, vere donat effectum. Quia vero actus ſalutares ab homine tanquam cau-

caufa fecundaria libere eliciuntur, fimul funt merita hominis, ut docet idem Tridentinum. Ad Conf. Neg. Maj. Juxta nos quemlibet confenfum voluntatis, & quodlibet opus falutare tam in ftatu conditionato quam abfoluto præcedit gratia excitans, & comitatur gratia adjuvans, unde initium juftificationis nunquam eft ex nobis. Ubi nota, duplicem effe effectum gratiæ efficacis, primus, & formalis confiftit in excitatione, & corroboratione voluntatis, & hic datur inimpedibiliter, & independenter ab exercitio libertatis creatæ; alter effectus confiftit in eo, quod producat cum voluntate liberum confenfum, idque ita fimul tempore, & indivifibiliter, ut voluntatem natura præveniat; nam voluntas non confentit, nifi dependenter a gratia ipfam præmovente.

651 Dices 1. Juxta nos Deus expectaret noftram voluntatem, ut bonum velimus, & liberum noftrum confenfum ad remiffionem peccatorum; hoc rurfus damnatum eft a Concil. Arauficano II Can. 4; voluntas enim præparatur a Domino. Conf. Juxta nos gratia effet fubjecta libero hominis arbitrio; hoc falfum: ergo. Refp. Neg. Maj. quoad primum membrum, quoad alterum Dift. expectat liberum noftrum confenfum eliciendum virtute gratiæ, Tranf. Maj. eliciendum ex folis viribus naturæ, Neg. Maj. & fic Dift. min. Conf. Deus non ita exfpectat voluntatem hominis, ut antequam gratiam conferat, requirat ab homine aliquem conatum, qui fit meritorius gratiæ, ficut volebant Semi-Pelagiani, ideo a Concilio Araufîcano damnati. Poteft tamen dici, quod fuo modo expectet liberum noftrum confenfum dependenter a gratia elicitum ad remiffionem peccatorum, in quantum neminem actu convertit, nifi qui libere vult

coo-

cooperari gratiæ, itaque non expectat voluntatem noſtram, ut illam vocet, ſed ut vocata conſentiat, juxta illud Iſai. 30 v. 18 : *Expectat Dominus, ut miſereatur veſtri.* Ad Conſ. Neg. Maj. ſed potius gratia efficax ſibi ſubjicit liberum arbitrium illud præmovendo, ſicut congruit, ut conſentiat, relicta tamen ſimul facultate diſſentiendi.

Dices 2. In noſtro ſiſtemate Deus prius 652
deberet explorare genium, indolem, & voluntatem hominis, ut cognoſcat, an eſſet conſenſurus vel non: hoc dedecet Deum: ergo. Conſ. Deus dat gratiam, quia prævidet conſenſum voluntatis futurum: ergo ſaltem debet expectare noſtrum conſenſum, ut det gratiam concomitantem. Reſp. Neg. Maj. Explorare eſt cum ſolicitudine, & anxietate quadam inveſtigare, quod Deo non convenit; imo non inveſtigat, nec inquirit, ſed unico ſimplici intuitu clare ac diſtincte ab æterno cognoſcit, quidquid a quavis creatura fieret, vel non fieret ſub quacunque conditione poſſibili ad rem pertinente. Ad Conſ. Neg. Ant. Deus ad dandam gratiam non movetur per ullam ſcientiam, ſed per ſcientiam mediam ſolum dirigitur; quando autem gratis dat gratiam prævenientem efficacem, hoc ipſo eſt determinatus ad dandum etiam gratiam adjuvantem; alioquin inutilis eſſet gratia præveniens: ergo neque ut det gratiam concomitantem expectat noſtrum conſenſum, qui gratiam concomitantem nunquam poteſt præcedere, ſed cum illa, quatenus eſt influxus ſupernaturalis Dei, realiter identificatur.

Obj. 4. Juxta S. Auguſtinum lib. de cor- 653
rept. & grat. cap. 14, Deus voluntatem noſtram magis habet in ſua poteſtate, quam nos ipſi; ut vero hoc explicet, confingit ad omnipotentiam Dei, & efficaciam ejus omnipotentiſſimæ voluntatis

luntatis : ergo gratia non consistit in auxilio indifferente. Conf. Juxta S. Doctorem gratia est a se, & ex natura sua efficax ; dicit enim lib. cit. cap. 12, quod voluntatem moveat insuperabiliter, indeclinabiliter &c. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Deus voluntatem nostram magis habet in sua potestate ; tum quia sine gratia nullum opus salutare possumus elicere : tum quia ex sola voluntate Dei dependet, utrum nobis dare velit auxilium efficax, vel inefficax. Ratio autem hujus est omnipotentia divina, quæ in thesauro infinitorum auxiliorum semper habet aliqua, quæ creaturam liberam citra necessitatem ad consensum pertrahunt ; unde efficacia gratiæ etiam juxta nos est ab omnipotenti voluntate Dei, non quidem formaliter, quia voluntas, & omnipotentia divina non est ipsa efficacia gratiæ ; sed efficienter, quatenus mediante gratia quamlibet voluntatem potest movere. Ad Conf. Neg. Ant. Nam juxta S. Doctorem gratia non necessitat voluntatem, sed repudiari potest ; imo nomen gratiæ a se, & intrinsece efficacis, nec in Scriptura, nec in Conciliis, Patribus, aut apud veteres Theologos invenitur, sed illud primus usurpavit Calvinus lib. 2 justit. cap. 3. Vid. etiam num. 611 & 619.

654 Dices 1. S. Augustinus sæpius de ipsa gratia dicit, quod sit magna, & efficacissima vocatio, inclinandorum cordium omnipotentissima potestas, qua Deus operatur in cordibus hominum : ergo ipsi gratiæ efficaciam adscribit. Conf. Si S. Augustinus agnovit gratiam extrinsece, videlicet dependenter a scientia media efficacem, cur hanc explicationem ad concordandam cum gratia libertatem nunquam contra hæreticos adhibuit ? Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. ergo ipsi gratiæ præcise specificative sumptæ efficacem

fica-

ficaciam adſcribit, Neg. Conſ. gratiæ reduplicative, vel concretive ſumptæ, Conc. Conſ. Quando S. Auguſtinus diſputavit contra Pelagianos, non contendit de conſtitutivis phyſicis gratiæ inſuperabilis; hoc enim erat impertinens ad controverſiam, quæ ſolum in eo verſabatur, utrum ad opera ſalutaria neceſſaria ſit non tantum gratia illuſtrationis, ſed etiam inſpirationis; hinc ipſemet ait, nihil ſibi amplius fore controverſiæ cum Pelagio, ſi admittat voluntatem, & actionem juvari a gratia Chriſti, ut bonum velimus. Male itaque a genere ad ſpeciem argumentantur Banneſiani, dum ita arguunt: S. Auguſtinus admiſit gratiam efficacem inſuperabilem &c.: ergo intrinſece efficacem & inſuperabilem. Ad Conſ. S. Doctor more aliorum Patrum ſolum ex Scripturis, & traditione voluit ſtabilire dogmata, ſcilicet gratiam divinam eſſe neceſſariam, & tamen dari libertatem arbitrii, modum explicandi autem reſervavit Theologis, quia parum erat utilis ad tollendas præcipuas difficultates, quas Hæretici objiciebant. Imo, quod confugerit ad ſcientiam mediam, patet ex probationibus.

Dices 2. Quod S. Auguſtinus lib. 1 ad Simplic. q. 2 ſcripſit, iterum retractavit lib. 2 retract. cap. 1, ubi ita loquitur: *In cujus quæſtionis ſolutione laboratum eſt quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, ſed vicit Dei gratia.* Conf. Eadem quæſtione ſæpe adhibet particulam forte. *An forte illi, qui hoc modo vocati non conſentiunt, poſſent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem?* ergo ipſemet dubitavit de veritate ſuæ explicationis. Reſp. Neg. Ant. & ſuppoſitum, quod omnia, quæ dicuntur in libris retractationum, ſemper ſint retractatio eorum, quæ S. Doctor alibi tradidit; nam in his libris ſæpe tantum exponit argumentum aliorum librorum,

rum,

rum, ſæpe alibi dicta tantum magis declarat, ſæpe quasdam objectiones contra illa ſolvit. In præſenti tantum ideo dicit viciſſe Dei gratiam, quia in citata quæſtione 2 prima vice docuit, gratiam Dei eſſe neceſſariam ad omnem prorſus actum ſalutarem, etiam ad initium fidei. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. particulæ *an forte* &c. non ſemper ſunt ſigna animi dubitantis, ſed ſæpe adhibentur per modum interrogationis ad proponendum ſtatum quæſtionis, qui dein approbatur, & confirmatur, ut fecit S. Auguſtinus, qui lib. de prædeſt. ſanct. doctrinam ad Simplicianum ſcriptam laudat tanquam ſibi a Deo revelatam contra inimicos gratiæ, & lib. de dono perſever. Semi-Pelagianos ad lectionem doctrinæ in laudata quæſtione 2 traditæ ablegat.

Objectiones ex ratione.

656 Obj. 5. Si efficacia gratiæ partialiter habetur per ſcientiam mediam, non eſt prior ad noſtrum conſenſum; atqui debet eſſe prior; eſt enim virtus antecedens: ergo. Maj. Prob. Scientia media eſt objective poſterior ad noſtrum conſenſum; nam ideo Deus conſenſum prævidet, quia eſt futurus: ergo. Conf. Ipſa ſcientia media & infallibilitas gratiæ dependet a noſtro conſenſu: ergo efficacia gratiæ non poteſt eſſe prior ad noſtrum conſenſum. Reſp. Diſt. Maj. efficacia gratiæ non eſt prior ad noſtrum conſenſum abſolute futurum, Neg. Maj. ad noſtrum conſenſum conditionate futurum, Subdiſt. efficacia gratiæ ſpecificative acceptæ pro virtute ſupernaturali effectiva actus boni non eſt prior, Neg. Maj. reduplicative acceptæ, Conc. Maj. & ſic Diſt. min. Neg. Conſ. Quamvis ſcientia media objective ſit poſterior ad conſenſum conditionate futurum, tamen conſenſus nequidem

dem conditionate dari potest, quin a gratia tanquam sua causa principali dependeat. Ad Conf. Neg. Conf. sub data distinctione. Antecedens quoque falsum est; nam sicut scientia simplicis intelligentiæ, & visionis neque causantur, neque dependent a suo objecto, sed illud tantum præsupponunt, & infallibilitatem suam, ab ipsa infinita perspicacia intellectus divini habent, ita etiam scientia media.

Dices 1. Gratia efficax in actu primo est 657
objectum scientiæ mediæ: ergo jam est infallibilis independenter a scientia media, & etiam reduplicative accepta præcedit scientiam mediam. Conf. Scientia media habet pro objecto complexum ex auxilio, & consensu conditionate futuro: ergo jam præsupponit gratiam efficacem; quippe hoc complexum est essentialiter connexum cum actu absolute futuro, eumque indispensabiliter post se trahit, si hoc auxilium actu conferatur. Resp. Trans. Ant. Neg. Conf. Esse certum, evidens, infallibile &c. non sunt denominationes objectis intrinsecæ, sed cognitionibus, adeoque gratia non potest pro priori, & independenter a scientia media Dei denominari infallibilis. Porro scientia media ex parte hypothesis: *Si Petrus haberet auxilium* A, tantum cognoscit gratiam specificative sumptam; ipsum vero consensum ex parte conditionati: *consentiret*, adeoque sola gratia specificative sumpta consensum conditionate futurum præcedit. Ad Conf. Conc. Ant. Dist. Conf. ergo jam præsupponit gratiam efficacem objective acceptam, Conc. Conf. expressive acceptam, de qua hic præcipue agimus, Neg. Conf. Vid. num. 593.

Dices 2. Si tantum gratia specificative sum- 658
pta præcedit consensum conditionate futurum, tunc gratia est versatilis, & ipse consensus in

noſtra poteſtate : ergo non opus eſt illum petere a Deo. Conf. Secundum nos voluntas creata determinat gratiam : ergo ipſa gratia efficax eſt in noſtra poteſtate. Reſp. Neg. Ant. quoad 1 membrum, Diſt. quoad 2. Conſenſus ſalutaris eſt in noſtra poteſtate ſuppoſita gratia præveniente, Conc. Ant. ſine gratia præveniente, Neg. Ant. & Conſ. Verſatile eſt, quod poteſt flecti in partes oppoſitas, ſed gratia a voluntate tantum poteſt verti in bonum, ad quod per ſe determinata eſt, quamvis impedibiliter. Cum vero gratiæ nunquam actu conſentiamus, niſi ſit congrua, & Deus in ipſum etiam conſenſum influat, merito hunc conſenſum a Deo petimus. Ad Conf. Neg. Ant. in ſenſu proprio acceptum. Cum enim gratia per ſe ad bonum determinata ſit; homo potius ſequitur motum ac determinationem gratiæ, licet illum aliquo modo ad actualem operationem determinet logice, in quantum gratiæ libere cooperatur, ex quo tantum ſequitur, quod gratia efficax ſit aliquo modo in poteſtate hominis quoad uſum, non autem quoad exiſtentiam, & efficaciam.

659 Obj. 6. Si gratia de ſe eſt indifferens, ut ſit efficax, vel inefficax, ipſe homo gratiæ tribuit efficaciam; hoc falſum : ergo. Maj. Prob. Gratia fit efficax per ipſum conſenſum hominis conditionate præviſum : ergo. Conf. Homo poteſt impedire efficaciam gratiæ diſſentiendo : ergo. Reſp. Diſt. Maj. homo tribuit efficaciam gratiæ in actu ſecundo, & ut cauſa ſecundaria, Conc. Maj. efficaciam in actu primo, Neg. Maj. Gratia efficax in actu primo dicit duo, inprimis, ac præcipue virtutem cauſandi effectum, dein ſcientiam mediam de conſenſu conditionate futuro; jam vero ipſam virtutem gratiæ efficit ſolus Deus, ſcientia media pariter tantum eſt ab im-

intellectu divino : imo etiam consensus conditionate futurus, quamdiu physice nihil est, proprie nondum habet causam physicam, sed tantum est objectum logice prius ad scientiam mediam. Hinc ad Prob. Dist. Ant. gratia per ipsum consensum conditionate prævisum fit efficax objective, & expressive, Conc. Ant. efficienter quasi inde acquireret virtutem causandi, Neg. Ant. Ad Conf. Dist. Ant. potest impedire efficaciam gratiæ specificative acceptam secundum suam intrinsecam virtutem, Neg. Ant. spectatam secundum suam infallibitatem, Conc. Ant. & Dist. Conf. ergo efficacia gratiæ dependet a libero arbitrio ut elevato, & tanquam aliquo determinativo, Conc. Conf. tanquam a causa efficiente, Neg. Conf. Ut gratia efficax a libero arbitrio proprie penderet, deberet esse illius effectus.

Dices 1. Ille gratiæ tribuit efficaciam, qui 660
illam determinat, ut potius denominetur efficax, quam inefficax ; atqui homo per consensum conditionate futurum gratiam ita determinat : ergo. Conf. complexum magis tribuitur determinanti formam, quam determinanti subjectum, sed in hoc complexo : Auxilium efficax in actu primo, homo determinat formam scilicet scientiam mediam, & veritatem conditionalem ; Deus autem tantum determinat subjectum, seu auxilium, quod denominatur efficax : ergo. Resp. Dist. Maj. si gratia tanquam subjectum præcederet formam, Conc. Maj. si potius forma physice præcedit gratiam, & ante illam existit, Neg. Maj. & sic Dist. min. Neg. Con. Ad Conf. rursus Dist. Maj. in illis compositis, in quibus subjectum præcedit, Conc. Maj. in iis, in quibus præcedit forma, Neg. Maj. In compositis physicis, & artificialibus subjectum solet præcedere formam, & esse indifferens ad

hoc, vel illud complexum conſtituendum; hinc ut aliqua dicatur eſſe cauſa principalis, ſufficit, ſi phyſice cauſet formam; at in hoc compoſito morali *auxilium efficax*, ipſa forma ſcilicet ſcientia media præcedit auxilium actu exiſtens, & ideo potius hoc complexum determinat Deus, qui ponit auxilium, quam homo, qui ſolum objective determinat veritatem conditionalem.

661 Dices 2. Gratia denominatur efficax per conſenſum conditionate futurum: ergo gratia efficax præcedit formam. Conf. Si ad gratiam efficacem præſupponitur conſenſus conditionate futurus, Deus ab ipſa voluntate determinatur, ut cognoſcat gratiam eſſe efficacem: ergo efficacia gratiæ primario debet adſcribi voluntati creatæ. Reſp. Diſt. Ant. per conſenſum conditionate futurum denominatur efficax objective, Conc. Ant. phyſice, & realiter, Neg. Ant. & Diſt. Conſ. ergo gratia præcedit formam in ſtatu mere objectivo, & conditionato, Tranſ. Conſ. in ſtatu reali, & phyſico, Neg. Conſ. per hoc, quod gratia conditionate eſſet conjungenda cum conſenſu, necdum exiſtit, aut aliquam virtutem a parte rei poteſt exerere, adeoque hoc complexum, *auxilium efficax*, a parte rei primum determinatur per hoc, quod Deus auxilium conferat. Imo etiam in ſtatu objectivo conſenſus conditionate futurus non cauſat efficaciam gratiæ, ſed tantum eſt terminus aliquis, quo ſuppoſito auxilium actu collatum prævidetur infallibiliter cauſaturum conſenſum. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Nam creatura Deum tantum determinat objective ad ſcientiam mediam, Deus autem conferendo auxilium creaturam effective ad conſenſum determinat, & eſt liberrimus, utrum hoc auxilium velit conferre, vel non.

Obj.

Obj. 7. Pertinet ad ſupremum Dei domi- 662
nium, ut a qualibet creatura poſſit obtinere quemlibet actum liberum; nam *voluntati ejus quis reſiſtet?* ad Rom. 9 v. 19: ergo auxilia gratiæ non poſſunt eſſe indifferentia; alias creatura poſſet reſiſtere ſingulis auxiliis. Conf. Si creatura poſſet reſiſtere huic determinato auxilio, Deus haberet minorem poteſtatem ad obtinendum conſenſum, quam creatura ad illum ponendum: ergo potentia Dei vinceretur a creatura. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. rationem additam Diſt. Creatura poſſet reſiſtere ſingulis auxiliis indeterminate acceptis, Neg. determinate acceptis, Subdiſt. non tamen ſingulis reſiſtet, Conc. & ſingulis reſiſtet, Neg. Cum potentia Dei ſit infinita, libertas autem creaturæ tantum finita, Deus in theſauro infinitæ ſuæ potentiæ habet tot auxilia, ut nulla creatura omnibus indeterminate ſumptis poſſit reſiſtere, vel certe Deus de facto decrevit, quod in hac providentia, de qua Apoſtolus loquitur, nullam creaturam velit producere, quæ omnibus omnino auxiliis diſſenſura prævidetur. Ad Conf. Neg. Ant. Quamvis Deus conſenſum non poſſit obtinere per hoc auxilium, poteſt tamen illum obtinere per aliud, unde potentia, vel potius gratia Dei a creatura tantum poteſt vinci in ordine ad aliquod exercitium, ad quod Deus illi dedit libertatem, & ſolum inefficaciter inclinat.

Dices. Saltem tali modo creatura poſſet ali- 663
quid facere, ſcilicet conſentire gratiæ collatæ, quod Deus non poteſt facere, ut illa faciat independenter a conſenſu creaturæ, hoc indecens; nam tali modo Deus non minus deberet agere gratias creaturæ, quod illam poſſit convertere, quam creatura Deo, quod ſe poſſit convertere. Conf. Si creatura rogaret: converte me per hoc auxilium, Deus deberet reſpondere: non poſ-

 ſum.

ſum. Reſp. Diſt. Maj. Quod Deus non poſſet facere absque conſenſu creaturæ abſolute, Neg. Maj. Ex ſuppoſito, quod creaturæ conceſſerit libertatem, Conc. Maj. Cum libertas indifferentiæ ex ſuo conceptu dicat potentiam conſentiendi, & diſſentiendi, neutiquam abſurdum, imo neceſſarium eſt, ut conſenſus creaturæ non poſſit obtineri, niſi illa libere velit. Porro per hoc, quod creatura huic auxilio velit conſentire, nihil melius accedit Deo, qui ideo nec potentiam, nec libertatem convertendi creaturam quoad ſuam entitatem a creatura accipit, ſicut viciſſim creatura libertatem ſe convertendi quoad ſuam entitatem accipit a Deo; unde Deus creaturæ nullas, creatura Deo ſummas debet grates. Ad Conf. Ex ſuppoſito, quod Deus conferat auxilium indifferens, & inefficax, abſurdum non eſſet, ſi reſponderet: per tale auxilium te hic, & nunc convertere non poſſum.

664 Obj. 8. Si auxilium gratiæ eſt indifferens, non eſt neceſſario, & infallibiliter connexum cum conſenſu; quæ enim ſunt indifferentia non poſſunt neceſſario ſe ipſis connecti, neque medium ex ſe fallibile, & contingens, poteſt eſſe abſolute infallibile. Conf. Voluntas poteſt repudiare gratiam indifferentem; ergo poteſt ſupponi, quod illam repudiet: ergo effectus non eſt infallibilis. Reſp. Diſt. Maj. auxilium indifferens non eſt neceſſario, & infallibiliter connexum cum conſenſu ex natura ſua, & nulla facta ſuppoſitione, Conc. Maj. ſuppoſito, quod creatura eſſet conſenſura, & Deus hoc per ſcientiam mediam prævideat, Neg. Maj. Facta ſuppoſitione, quod creatura eſſet conſenſura auxilio A, ſi illud haberet, eſt abſolute impoſſibile, ut collato auxilio non conſentiat: inſuper hoc Deus infallibiliter cognoſcit, non quaſi infallibilitas hujus cognitionis oriatur ex objecto, ſed

quia

quia Deus ex infinita perſpicacitate ſua falli nequit. Ad Conf. Diſt. Ant. poteſt repudiare gratiam indifferentem, illam tamen infallibiliter non repudiabit, Conc. Ant. aliter, Neg. Ant. & Diſt. Conſ. ergo poteſt ſupponi, quod illam repudiet nulla facta ſuppoſitione, Tranſ. Conſ. facta ſuppoſitione ſcientiæ mediæ de conſenſu conditionate futuro, Neg. Conſ. cum ulteriore ſequela.

Dices. Si ſuppoſita ſcientia media de con- 665
ſenſu conditionate futuro voluntas non poteſt diſſentire gratiæ, gratia eſt intrinſece efficax, & nunquam diſſenſus poteſt cum illa conjungi; hoc pugnat contra dicta quæſtione præcedente: ergo. Conf. Quod requiritur ad agere, requiritur etiam ad poſſe agere: ergo gratia efficax conſtituit potentiam agendi, cum igitur gratia efficax non ſit in noſtra poteſtate, juſtus violans præceptum habet veram impotentiam illud ſervandi. Reſp. Diſt. Maj. gratia ſpecificative ſumpta eſt intrinſece efficax, Neg. Maj. reduplicative, vel concretive ſumpta, Subdiſt. ita tamen ut ſcientia media poſſit impediri, Conc. Maj. aliter, Neg. Maj. Quando concilia dicunt, quod homo poſſit cum gratia efficaci conjungere diſſenſum, non loquuntur de gratia efficaci qua tali, hoc enim eſſet impoſſibile, ſed de gratia ſecundum ſe, & ſpecificative accepta. Ad Conf. Diſt. Ant. quod requiritur ad agere propter virtutem aliquam, ſine qua impoſſibilis eſt actio, requiritur etiam ad poſſe agere, Conc. Ant. quod requiritur ad agere præciſe propter aliquam connexionem, ex qua infallibiliter ſequatur effectus, Neg. Ant. & Diſt. Conſ. ergo gratia ſpecificative ſumpta conſtituit potentiam agendi, Conc. Conſ. reduplicative ſumpta, Neg. Conſ. Scientia media de conſenſu nullam dat virtutem gratiæ, ſed præciſe ſervit ad hoc, ut effectus ſequatur infallibiliter.

666 Quæres adhuc: Quid ſit, & in quonam conſiſtat congruitas gratiæ? Reſp. Quamvis Auctores plerumque gratiam congruam, & efficacem pro eodem accipiant, aliqui tamen per gratiam congruam ſpecialiter intelligunt illam, quæ ita attemperatur ad hominis indolem, genium, propenſionem, ac varias temporis, loci, ac perſonæ circumſtantias, ut reipſa conſenſum ſuaviter non minus, quam fortiter ex humana voluntate eliciat. Unde congruitas juxta illos conſiſtit in certa quadam intenſione, aut modo movendi gratiæ, attemperato voluntati creatæ hic & nunc ita affectæ, ut ſuppoſitis tanquam conditione certis circumſtantiis non diſſentiat. Dari ſæpe a Deo gratias ita congruas non nego, hæc tamen congruitas nondum ſufficit ad explicandam efficaciam gratiæ, quia nondum involvit infallibilem connexionem cum actu ſalutari; voluntas enim non obſtante illo complexo circumſtantiarum poteſt gratiæ adhuc diſſentire, & quidem plerumque etiam moraliter. Imo non raro bonum operatur cum magna difficultate, & facilius poneret diſſenſum, quam conſenſum. Dein poteſt contingere, ut ex duobus, qui in iiſdem circumſtantiis ſunt poſiti, & ſimilem omnino habent gratiam, unus conſentiat, alter diſſentiat, ut docet S. Auguſt. lib. 12 de civit. cap. 6 his verbis: *Ambos, & animo, & corpore æqualiter affectos fuiſſe prædiximus - - quid aliud apparet, unum voluiſſe, alterum noluiſſe a caſtitate deficere? unde niſi propria voluntate? ubi eadem fuerat in utroque corporis, & animi affectio.* Itaque gratia congrua ab efficaci ad ſummum differt accidentaliter & quoad modum, quatenus præter ſcientiam mediam de conſenſu quandoque ſpecialis attemperatio, & ſuavitas illam comitatur.

DI-

DISPUTATIO V.

De gratia ſanctificante.

Gratia ſanctificans eſt illa, quæ hominem for- 667
maliter ſanctum, & juſtum denominat. Quoad ſubſtantiam deſcribi poteſt, quod ſit donum Dei ſupernaturale phyſice, ac ſtabiliter inhærens animæ, qua homo formaliter redditur juſtus, ſanctus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, & hæres vitæ æternæ. Porro ſanctificatio, & juſtificatio hominis tripliciter fieri poteſt. 1. Ita, ut quis ex non juſto fiat juſtus; talis fuit juſtificatio Angelorum, & primorum parentum in ſtatu innocentiæ. 2. Ut quis fiat juſtus ex injuſto; talis eſt juſtificatio peccatorum gravium. 3. Ut quis ex juſto fiat magis juſtus. Hæc vocatur juſtificatio ſecunda. Hic præcipue agi ſolet de juſtificatione prima peccatoris ſeu impii.

QUÆSTIO I.

In quonam conſiſtat juſtificatio impii?

Circa juſtificationem peccatoris plures errores 668
tenent moderni Sectarii: duo præcipue ex doctrina Lutheri, & Calvini commemorandi ſunt. Primus eſt, quod in juſtificatione impii peccata non vere deleantur, ſed tantum ita tegantur, & quaſi radantur, ut fidelibus propter juſtitiam Chriſti non imputentur ad pœnam. Secundus eſt, quod juſtificatio fiat ſine omni interiori gratia per favorem Dei tantum extrinſecum, quo peccata propter juſtitiam Chriſti fide apprehenſam non imputet. Requirunt nempe in peccatore, ut juſtificetur, fidem, qua non ſolum generaliter credat, veras eſſe promiſſiones a Deo factas de peccatis propter merita Chriſti remit-

tendis, ſed qua hanc promiſſionem etiam ſpecialiter ſibi applicet fiducialiter credendo, ſibi peccata propter Chriſtum non imputari.

669 Primus error aperte repugnat Scripturæ, in qua peccata per juſtificationem ſæpe dicuntur deleri, & homo fieri ex immundo mundus, ex maculato immaculatus. *Dele iniquitatem meam*, Pſalm. 50 v. 3 & 9. *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata*, ad Hebr. 9 v. 28. *Sanguis JEſu Chriſti filii ejus mundat nos ab omni peccato* 1. Joann. 1 v. 7; hinc Concilium Tridentinum ſeſſ. 5 Can. 5 anathema dicit aſſerenti, *Quod per gratiam Chriſti non tollatur totum id, quod verum, & propriam rationem peccati habet; ſed illud tantum radi, aut non imputari.* Conſentiunt SS. Patres, ex quibus S. Auguſtinus in Enchirid. cap. 52 ait, *Quemadmodum in illo* (Chriſto) *vera mors facta eſt, ſic in nobis vera remiſſio peccatorum, & quemadmodum in illo vera reſurrectio, ita in nobis vera juſtificatio.* Alias homo proprie non fieret ex injuſto juſtus, & ex inimico amicus Dei.

670 Quando igitur Pſalm. 31 v. 1 dicitur: *Beati, quorum tecta ſunt peccata.* Item v. 2, *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*, ſciendum eſt peccata dupliciter tegi: 1. Ita ut occultentur tantum, adeoque reipſa maneant, & hic ſenſus hæreticorum eſt. 2. Ita ut aboleantur omnino, & hic ſenſus eſt Catholicorum; nam peccata coram Deo tecta eſſe non poſſunt, cum omnia nuda & aperta ſint oculis ejus. Pariter non imputatio duplex eſſe poteſt; una, qua non imputatur id, quod adhuc eſt: altera, qua non imputatur aliquid, quia non amplius eſt: primam rurſus adſtruunt hæretici, ſecundam Catholici; hanc ipſa exprimit Scriptura, dum poſt ver-

verba : *Non imputavit Dominus peccatum*, ſubdit : *Et non eſt in Spiritu ejus dolus*. Accedit, quod juſtitia divina nullum peccatum adhuc vere exiſtens poſſit non imputatum relinquere: ergo peccata, quæ a Deo non imputata dicuntur, vere deleta cenſenda ſunt.

Alterum novatorum errorem Concil. Tri- 671
dentinum ſeſſ. 6 Can. 11 proſcripſit his verbis: *Si quis dixerit homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola remiſſione peccatorum, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei, anathema ſit.* Quippe 2 Petri cap. 1 v. 4 dicitur : *Deus maxima, & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* Atque id, per quod efficimur divinæ conſortes naturæ, non eſt aliquid tantum nobis extrinſecum, ſed aliquid intrinſece nobis inhærens, ut uberius explicatur 1 Joan. 3 v. 9 : *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet.* Hinc S. Auguſtinus lib. 1 de peccat. merit. & remiſſ. cap. 9 ait : *Chriſtum dare fidelibus occultiſſimam ſui Spiritus gratiam, quam latenter infundit & parvulis.*

Itaque juxta doctrinam fidei juſtificatio 672
peccatoribus in hac providentia non ſolum conſiſtit *In remiſſione peccatorum, ſed etiam in ſanctificatione, & renovatione interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum*, ut loquitur Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 7 paulo poſt addens : *Unicam cauſam formalem noſtræ juſtificationis eſſe juſtitiam Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur Spiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur, ſed vere juſti nominamur, & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes unusquisque*

ſuam.

suame Porro hæc gratia justificans non est tantum aliquid transiens, sed stabiliter inhæret animæ per modum habitus, ut patet ex citatis supra Scripturæ textibus, & Tridentino, quod eodem cap. 7 ait, *Adultos justificatos juberi justitiam acceptam ceu primam stolam conservare, & ante tribunal Christi perferre.* Certe infantes, dum in baptismo accipiunt gratiam sanctificantem, nullum actum moralem possunt elicere: ergo per aliquid habituale justificantur.

673 Ex his cum Suarez, Tanner, Esparza contra Vasquez, Hurtad, Dicast. aliosque paucos inferes, hominem per charitatem, vel contritionem perfectam non justificari formaliter, sed tantum dispositive, in quantum Deus posito tali actu gratiam justificantem confert. Nam juxta Concilium Tridentinum forma denominans justum homini inhæret stabiliter; de actuali autem conversione ad Deum sess. 6 can. 5 ait: *Ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem, & adjuvantem gratiam se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando, disponantur:* ergo actus, quibus gratiæ cooperamur, inter quos est actus charitatis, non sunt ipsa justificatio, sed solum ad illam disponunt; hinc in Spritura perfectæ conversioni ad Deum passim promittitur remissio peccatorum, & justificatio tanquam beneficium superadditum. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, Zachar. 1 v. 3. *Si impius egerit pœnitentiam - omnium iniquitatum ejus non recordabor*, Ezech. 18 v. 21 & 22.

674 Magis dubium inter Catholicos est, in quonam a parte rei gratia habitualis consistat. Nam 1. quidam cum Patre Simonet illam constituunt in complexo ex habitibus fidei, spei, & charitatis. Sed huic opinioni obstat, quod juxta doctrinam Concilii Tridentini gratia sanctificans a-

mit-

mittatur per quodlibet peccatum mortale, non item fides, quod communiter ob paritatem rationis etiam docent de habitu ſpei, qui tantum admittitur per deſperationem ſpecialiter ſibi oppoſitam. Hinc 2. Scotiſtæ, Bellarm. Eſparz. &c. docent gratiam ſanctificantem identificari cum habitu charitatis, quia Scriptura, & Patres proprietates gratiæ ſanctificantis paſſim tribuunt charitati habituali e. g. quod conſtituat filiationem adoptivam cum Deo, quod conferat jus ad hæreditatem cæleſtem &c. Verum alii hos modos loquendi explicant de charitate paſſiva, & latius accepta pro ipſa gratia ſanctificante, quæ eſt donum præpipuum divini in nos amoris, & nos Deo charos, & amicos facit. Quod ſi etiam de charitate activa loquantur, dicunt id ſolum fieri concomitanter, & connexive, in quantum habitus charitatis in hac providentia ſemper cum gratia ſanctificante eſt conjunctus, ut adeo charitati tanquam notiori non nunquam adſcribantur effectus gratiæ ſanctificantis.

Igitur Thomiſtæ cum Suario, Valentia, Vi- 675
va &c. dicunt, gratiam ſanctificantem eſſe donum ſpeciale ab habitu charitatis aliisque donis ſupernaturalibus diſtinctum. Nam 1. S. Scriptura frequenter loquitur de gratia ſanctificante, & habitu charitatis tanquam de rebus diſtinctis; ſic 2 ad Cor. 13 v. 13 dicitur: *Gratia Domini noſtri JEſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Spiritus ſancti ſit cum omnibus vobis.* Ad Epheſ. 6 v. 23: *Pax fratribus, & charitas cum fide a Deo Patre, & Domino JEſu Chriſto: gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum noſtrum JEſum Chriſtum.* 2. Concilium Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 7. ita habet: *In ipſa juſtificatione & remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo - - fidem, ſpem,*

&

& charitatem. Ubi per juſtificationem intelligitur gratia juſtificans, dein ſubjunguntur habitus non ſolum fidei, & ſpei, ſed etiam charitatis. 3. Gratia ſanctificans in ordine ſupernaturali ſe habet per modum naturæ, ſeu ſubſtantiæ, habitus vero per modum potentiarum: ergo ſicut habitus fidei, & ſpei a gratia ſanctificante diſtinguuntur, ſic etiam habitus charitatis.

QUÆSTIO II.

De cauſis, & effectibus juſtificationis.

676 Cauſa finalis juſtificationis impii triplex eſt, gloria Dei, gloria Chriſti, & vita æterna juſtificato rependenda: cauſa efficiens eſt miſericors Deus, cauſa meritoria Chriſtus, cauſa materialis anima, quæ juſtificatur, cauſa formalis juſtitia inhærens, cauſa inſtrumentalis Sacramenta præcipue baptiſmus, & pœnitentia, cauſa denique diſpoſitiva reſpectu adultorum (infantes ſicuti rationis ita ejusmodi diſpoſitionis ſunt incapaces) varii ſunt actus virtutum, quos Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6 exponit hoc ordine. 1. Adultus divina gratia excitatus elicit actum fidei, præſertim circa juſtificationis gratiam propter merita Chriſti conferendam. 2. Intelligens ſe peccatorem eſſe ſalutari timore juſtitiæ divinæ concutitur. 3. Ex conſideratione divinæ miſericordiæ erigitur in ſpem, & fiduciam remiſſionis peccatorum per Chriſtum obtinendæ. 4. Deum tanquam juſtificationis auctorem diligere incipit. 5. Adverſus peccata a ſe commiſſa concipit odium, & averſionem. 6. Proponit inchoare novam vitam, ſervare mandata divina, & ſuſcipere Sacramentum ad peccatorum remiſſionem a Chriſto inſtitutum.

Ex

Ex quibus apparet, primum inter actus, 677
adultum ad justificationem præparantes, locum tenere fidem, non quidem illam fiducialem, qua quis credit, & confidit sibi promissionem de remissione peccatorum per merita Christi esse applicatam, sed illam generalem, qua credimus: *Illa omnia vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt*, ut ait Tridentinum loc. cit. imo Can. 14 anathematizat: *Si quis dixerit hominem a peccatis absolvi, ac justificari ex eo, quod se absolvi ac justificari credat, aut neminem esse justificatum, nisi qui credit, se esse justificatum.* Quippe fides justificans ipsam justificationem, & remissionem peccatorum præcedit, fides autem confidentialis hæreticorum primum subsequeretur, & justificationem, ac remissionem peccatorum jam factam tanquam suum objectum præsupponeret, quod est contra Apostolum ad Hebr. 11 v. 6, ubi ait: *Sine fide impossibile est placere Deo*: hanc autem fidem eodem capite v. 1 ita describit: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Item v. 6: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.*

Interim sola fides ad justificationem non 678
sufficit, patet 1 ex S. Scriptura, quæ ad consequendam justificationis gratiam, plures alios actus in adulto requirit. Sic Act. 3 v. 19 dicitur: *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Dum econtra juxta Apostolum 1 ad Cor. 6 v. 10, *Adulteri, fures, avari &c. regnum Dei non possidebunt*, licet fidem habere possint. Patet 2 ex Concilio Tridentino, quod sess. 6 Can. 9 ita statuit: *Si quis dixerit sola fide impium justificari ita, ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse est cum*

suæ

suæ voluntatis motu præparari ac disponi, anathema sit. Patet 3 ex perpetuo Ecclesiæ catholicæ sensu, & Patrum testimoniis. S. Augustinus serm. 22 de verbis Apostoli ait: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* S. Chrysost. Homil. 7. in Matth. *Ne fideles sola fide se salvari posse confidant.* Clarissime S. Jacobus in sua epistola cap. 2 v. 24, *Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* Item v. 17, *Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.*

679 Quando igitur Scriptura soli fidei justificationem adscribere videtur, id solum fit ideo, quia fides est humanæ salutis initium, & fundamentum, ut notat Tridentinum sess. 6 cap. 8, vel loquitur de fide formata, & per charitatem operante, de qua Apostolus ad Gal. 5 v. 6 ait: *In Christo JEsu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Imo Scriptura nunquam dicit solam fidem justificare, & vicissim Proverb. 28 v. 25 nominat solam spem, *Qui sperat in Domino, sanabitur:* Lucæ 7 v. 47 solam charitatem: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Si vero in eadem Scriptura opera nonnunquam positive excluduntur, id intelligendum est de operibus legis, vel ex solis viribus naturæ elicitis. In hoc sensu ad Rom. 3 v. 28 dicitur: *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Denique quando Christus Luc. 8 v. 50 dixit: *Crede tantum, & salva erit.* non agebatur de salute animæ, & justificatione, sed de miraculo aliquo impetrando, ad quod fides sufficere poterat.

680 Inter effectus justificationis primarius est, quod per gratiam sanctificantem homo formaliter constituatur Dei amicus, filius ejus adopti-

vus

vus, & hæres vitæ æternæ; est enim gratia sanctificans excellens quædam participatio naturæ divinæ, evehens hominem ad esse divinum, eique tribuens pulchritudinem divini ordinis, atque jus & capacitatem intuitive videndi ipsum Deum; unde Deus infinite rectus non potest talem hominem intime sibi conjunctum, & assimilatum non amare tanquam amicum & filium suum adoptivum. *Videte*, inquit dilectus discipulus epist. 1 cap. 3 v. 1, *qualem charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur, & simus.* Doctor Gentium ad Rom. 8 v. 17: *Si autem filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Hinc Tridentinum sess. 6 cap. 8 docet, *Quod justificatio sit sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum, unde homo ex injusto fit justus, ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ.*

Præter gratiam sanctificantem homo in 681
justificatione accipit 1 habitus infusos virtutum Theologicarum; nam ut ad Rom. 5 v. 5 inquit Apostolus: *Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum;* charitas autem individuos habet comites fidem, & spem: unde (verba sunt Concilii Tridentini sess. 6 cap. 7) *in ipsa justificatione hæc omnia simul infusa accipit homo per JEsum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* 2. Habitus infusos virtutum moralium. Ratio est, quia gratia sanctificans est quasi nova natura, reddens hominem aptum ad eliciendos actus virtutum supernaturalium: ergo sicut exigit, ut homini infundantur habitus virtutum theologicarum, sic etiam exigit, ut illi infundantur habitus virtutum moralium. 3. Dona Spiritus sancti; quippe homo in justificatione inseritur Christo tanquam membrum capiti: ergo debet disponi non solum ad excipi-

endas motiones ordinarias Spiritus ſancti, ſed etiam ad extraordinarias, quod fit per ſpecialia illius dona. Horum ſeptem Iſai. 11 v. 2 & 3 enumerantur : quatuor pertinent ad intellectum, ſcilicet ſapientia, intelligentia, ſcientia, conſilium. Tria ad voluntatem, nempe fortitudo, pietas, & timor.

682 Quæres 1. An gratia ſanctificans poſſit ſtare cum peccato mortali? Reſp. Quamvis juxta doctrinam Concilii Tridentini certum ſit, quod de facto gratia ſanctificans nequeat ſtare cum peccato mortali nondum remiſſo, nihilominus circa modum explicandi Auctores in varias ſententias abeunt. 1. Scotiſtæ, & Nominales teſte Maſtrio docent, quod gratia ſanctificans non tollat peccatum grave ex natura ſua, ſed præciſe ut ſubſtans extrinſecæ ordinationi divinæ, vi cujus Deus decrevit peccatum per hanc gratiam remittere, & hominem reddere amicum ac filium Dei. 2. Suarez, Tanner, Gormaz aliique multi concedunt quidem, quod gratia ſanctificans ex natura ſua exigat expulſionem peccati gravis; putant nihilominus Deum poſſe huic exigentiæ contravenire, & abſolute facere, ut peccatum, & gratia ſimul ſtent in eodem ſubjecto. 3. Vaſquez, Lug. Eſparz, & Thomiſtæ contendunt, gratiam ſanctificantem ex natura ſua nequidem per abſolutam Dei potentiam cum mortali non remiſſo in eodem ſubjecto conjungi poſſe. Hæc opinio ſicut dignius de gratia ſanctificante, a Scriptura, Conciliis & Patribus tantopere laudata ſentit, ita facilius ex ipſa natura rei dat rationem, quare de facto nunquam cum peccato mortali ſtare poſſit.

683 Præterea ſuadetur 1 auctoritate Scripturæ, in qua gratia ſanctificans, & peccatum mortale ſæpe comparantur cum formis abſolute inter ſe

se incompossibilibus. *Quæ comparatio*, inquit S. Paulus 2 ad Cor. 6 v. 14, *justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras.* S. Joannes quoque epist. 1 cap. 3 v. 9 absolute dicit: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare.* Videlicet in sensu composito. 2. Auctoritate Concilii Tridentini. Juxta hoc sess. 6 cap. 7 ex una parte justificatio non tantum dicit sanctificationem, sed etiam remissionem peccatorum: ex altera parte unica causa formalis nostræ justificationis est justitia Dei, quam in nos recipimus; atqui hoc non esset verum, si præter gratiam sanctificantem adhuc requireretur aliquis favor extrinsecus, vi cujus Deus vellet gratiam acceptare in ordine ad remissionem peccatorum, neque Concilium per vocem *unicam* tantum voluit excludere formas ab hæreticis assertas, nempe justitiam Dei aut Christi nobis imputatam; sed teste Comptono etiam egit contra sententiam Pighii, & quorundam aliorum asserentium, justificationem formaliter quidem consistere in aliqua forma intrinseca, sed imperfecta, cujus defectum supplere debeat favor Dei extrinsecus.

Quæres 2. An peccatum remitti possit 684
per condonationem mere extrinsecam sine infusione gratiæ sanctificantis, aut alterius doni in eo, cui peccatum remittitur, physice recepti? Resp. quod hoc de facto in ista providentia non fiat, rursus patet ex dictis, & omnes Catholici consentiunt: quod vero id saltem absolute fieri possit, docet communior cum Scotistis, Suario, Lug. Haunold &c. contra Vasquez, Valent. & Thomistas. Si enim homo absque infusione alicujus formæ positivæ potest cedere jure suo, quod habet adversus alium hominem ratione injuriæ, aut offensæ sibi irrogatæ, cur hoc non

possit Deus? an ejus voluntas in ordine ad remissionem offensæ est minus efficax quam voluntas hominis? Certe Deus per solam condonationem extrinsecam potest cedere suo jure ad exigendam rem, voto sibi promissam, imo de facto ita condonat peccata venialia; nam hæc formaliter neque remittuntur per gratiam sanctificantem, quæ cum illis stare potest, nec per aliam formam intrinsecam, cum nulla possit convenienter assignari, nec denique per actum, quo homo illa retractat, quia hic actus neque est condigna satisfactio, nec cum veniali habituali essentialiter incompossibilis. Unde augmentum gratiæ, quod homini in remissione peccati venialis ordinarie concedi solet, ad hanc remissionem se tantum habet concomitanter.

QUÆSTIO III.

An & quomodo Spiritus sanctus habitet in anima justi?

685 Duo hic examinanda sunt. 1. An Spiritus sanctus in homine justo non solum habitet operatione tenus, & per aliquam energiam producendo in illo gratias, & dona supernaturalia, sed etiam substantive per ipsam suam divinitatem. Dein utrum substantia Spiritus sancti nobis communicata sit ipsa gratia sanctificans. Circa primum certum est, quod divinitas Spiritus sancti justo non communicetur essentialiter, aut personaliter; nam Deitas essentialiter solum est in personis divinis, per unionem autem hypostaticam solum verbum ita unitur naturæ humanæ, ut Christus simul sit Deus, & homo, & in divina verbi persona subsistat. Nihilominus divinitatem Spiritus sancti ineffabili quidem, vero tamen modo justo communicari, ac uniri teste

ſte Suario lib. 12 de Deo cap. 5 apud antiquos Scholaſticos adeo certum eſt, ut S. Thom. 1 part. q. 43 art. 3 oppoſitum appellaverit errorem. Ego ob rationes infra afferendas ſolum loquar de juſtis in lege gratiæ, poſtquam Chriſtus per aſcenſionem in cœlum, vel ſaltem per reſurrectionem fuit glorificatus.

Dicendum 1. Spiritus ſanctus miro quodam, 686
& ineffabili, vero tamen modo communicatur animæ juſti. Prob. auctoritate Scripturæ, in qua ſæpe dicitur, quod juſti ſint templum Spiritus ſancti, quod in illis habitet, quod illo ſignentur tanquam pignore hæreditatis. Sic 1 ad Cor. 6 v. 19 dicitur: *Membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis a Deo.* 1 ad Cor. 3 v. 16: *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Ad Epheſ. 1 v. 13: *In quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis veſtræ.* Quæ verba non tantum poſſunt intelligi de donis creatis, tum quia loquuntur de ipſa perſona Spiritus ſancti, tum quia templum ſoli Deo dicatur, non donis creatis. Unde ex his, & ſimilibus textibus SS. Patres communiter inferunt, ipſum Spiritum ſanctum ſecundum ſuam divinitatem in juſtis habitare, ut oſtendit Petavius de Trinitate lib. 8 aſſerens, tam expreſſa eſſe SS. Patrum, & virorum graviſſimorum teſtimonia, ut omne dubium eximant.

Imo SS. Patres paſſim ex hoc probant divi- 687
nitatem Filii, quod Deum, hoc eſt Spiritum ſanctum juſtis det, ac mittat. Audiamus S. Auguſtinum, qui poſtquam ſerm. 105 de tempore de Chriſto dixit: *Hominem portavit ad cœlum, & Deum miſit ad terras*, ita pergit: *Ut diſcipulorum fides, veridica ſponſione ad exſpectationem tanti muneris præparata, illum, quem ſibi*

a Domino in locum Dei promiſſum eſſe meminiſſet, verum Deum eſſe cognoſceret. Et infra: *Affuit ergo hac die fidelibus ſuis non jam per gratiam viſitationis, & operationis, ſed per ipſam præſentiam majeſtatis, atque in vaſa non jam odor balſami, ſed ipſa ſubſtantia ſacri defluxit unguenti.* S. Baſilius lib. ult. adverſus Eunomium ait: *Hunc Spiritum ſanctum effudit in nos copioſe Deus per JEſum Chriſtum: effudit, non creavit, dedit, non fabricatus eſt.* S. Cyrill. cap. 7 dial. ad Hermiam: *Miſit autem ad nos de cœlo paracletum, per quem, & in quo nobiſcum eſt, non peregrinum nobis infundens, ſed ſubſtantiæ ipſius, &, patris ipſius proprium Spiritum.* Similia habent SS. Athanaſ. Greg. Naz. Orig. &c. apud Petav. tom. 2 de dogmat. theolog. lib. 8 cap. 4.

688 Dicendum 2. Gratia ſanctificans eſt entitas creata a Spiritu ſancto diſtincta. Ita Theologi communiſſime. Nam 1 S. Scriptura gratiam ſanctificantem a Spiritu ſancto expreſſe contra diſtinguit, dum 2 ad Cor. 13 v. 13 inquit: *Gratia Domini noſtri JEſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Spiritus ſancti cum omnibus vobis.* Item ad Rom. 5 v. 5: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Quem textum SS. Patres intelligunt de gratia ſanctificante, & charitate habituali; actualis enim non tam in corde noſtro diffunditur, quam ex eo in Deum effunditur. 2. Juxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 7 unica formalis cauſa noſtræ juſtificationis eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit: hæc vero juſtitia fit per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum, quibus interius renovamur: ergo ſicut alia dona, ita etiam forma juſtificans eſt aliquid a S. Spiritu diſtinctum. In eundem ſenſum Concilium Viennenſe anno 1311 opinionem, quæ dicit tam parvulis, quam adultis conferri in Ba-

ptiſmo informantem gratiam, & virtutes, declarat eſſe probabiliorem, & dictis Sanctorum ac Doctorum Theologiæ magis conſonam, ut habetur in Clementina 1 de ſumma Trinitate, & fide catholica.

Objectiones.

Obj. 1. In Scriptura per Spiritum ſanctum ſæ- 689
pe tantum intelliguntur ejus dona, quia ut S. Fulgentius lib. 1 de Spirit. ſanct. ait: *Superintelligitur in Spiritus ſancti ſubſtantia etiam plenitudo munerum divinorum.* Ergo ex Scriptura non probatur, quod Spiritus ſanctus habitet in anima juſti ſubſtantialiter. Conf. Joan. 14 v. 23 Chriſtus inquit: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus:* ergo tota SS. Trinitas habitat in juſto. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Textus a nobis citati in ſenſu obvio, & proprio loquuntur de ipſo Spiritu ſancto, & ita intelliguntur a SS. Patribus; ſi vero alibi per Spiritum ſanctum tantum indicantur ejus dona, id aliunde ex circumſtantiis colligi debet. Ad Conf. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo tota SS. Trinitas habitat in juſto aliquo modo, Conc. Conſ. modo illo ſpeciali, quo Spiritus ſanctus, Neg. Conſ. Sicut in Chriſto propter identitatem cum natura divina eſt tota Trinitas; Verbum autem ſpecialiter, ita juxta SS. Patres perſona Spiritus ſancti ſpecialiter habitat in juſto, in quantum illi ſpecialiter convenit eſſe donabile, ſeu donum, virtute perfectrice, & ſanctificativa præditum, ut explicant SS. Cyrill. Baſil. Joann. Damaſcenus &c. apud laudat. Petavium.

Dices. Juſti in antiquo teſtamento non acce- 690
perunt Spiritum ſanctum ſecundum ſubſtantiam, ut expreſſe docent S. Chryſoſt. Gregor. Nazian. Origenes &c. apud Petav. lib. cit. cap. 7: ergo a pari.

Conf. Licet Apoſtoli Spiritum ſanctum jam acceperint, quando Chriſtus in illos inſufflans dixit; *Accipite Spiritum ſanctum*, Joann. 20 v. 22; tamen Spiritus ſanctus die Pentecoſtes rurſus dicitur illis datus fuiſſe; atqui hoc non poteſt intelligi de ſubſtantia ſpiritus ſancti: ergo. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Quod Spiritus ſanctus ſecundum ſubſtantiam nobis communicetur, eſt ſingulare beneficium Chriſti, ut citati Patres colligunt ex illo Joann. 7 v. 39: *Nondum erat Spiritus ſanctus datus, quia Chriſtus nondum erat glorificatus.* Unde S. Cyrillus infert ipſum ſanctum Joannem Baptiſtam minorem fuiſſe quovis Chriſtiano juſto non virtute & ſanctitate, ſed ſtatu, & conditione. Ad Conf. Tranſ. Maj. Diſt. min. hoc non poteſt intelligi de ſubſtantia Spiritus ſancti ſecundum ſe ſpectata, Conc. min. ſpectata ſecundum novam quamdam efficientiam, quatenus illa miſſio die Pentecoſtes novas quasdam operationes in Apoſtolis habuit, ut explicat S. Auguſtinus lib. 4 de Trinit. cap. 20, Neg. min. Porro quando Chriſtus in Apoſtolos inſufflavit, videtur Spiritum ſanctum dediſſe ſolis Sacerdotibus, & miniſtris ſuis, largitio autem facta die Pentecoſtes pertinuit ad univerſam Eccleſiam.

691 Obj. 2. Vel conjunctio Spiritus ſancti cum juſto fieret in natura, vel in perſona? non primum, alias non magis fieret cum Spiritu, quam cum patre, & filio; non ſecundum, alias Spiritus ſanctus juſto uniretur hypoſtatice. Conf. Ideo verbum unitur hypoſtatice humanitati Chriſti, quia eidem unitur ſecundum perſonam: ergo a pari. Reſp. Conc. Maj. Neg. min. quoad utrumque membrum cum ratione addita, tum quia unio Spiritus ſancti cum juſto non fit in natura, prout eſt communis, ſed prout eſt contracta ad perſonalitatem Spiritus ſancti, tum quia non eſt naturalis aut perſonalis, ſed Spiritus ſanctus juſtis tantum conjungitur ſecun-

cundum quamdam participationem, habitudinem, & relationem, vi cujus illis a SS. Patribus ita inesse dicitur, sicut forma in materia, visus in oculo, ars in artifice; unde sicut subjectum non est forma, visus non est oculus &c. ita justi per Spiritum sanctum inhabitantem non denominantur Deus, aut Spiritus sanctus, sed tantum spirituales. Ad Conf. Dist. Ant. Quia Verbum unitur humanitati secundum personam quomodocunque, Neg. Ant. personaliter, & hypostatice, Conc. Ant. & Neg. Conf. Verbum humanitati Christi ita unitur, ut natura humana in Verbo subsistat; hinc Deus in Christo proprie loquendo non habitat, sed ipse homo est Deus.


Dices. Non potest explicari, in quonam 692
consistat illa participatio, habitudo, & relatio, per quam persona Spiritus sancti specialiter communicatur justis: ergo specialis hæc communicatio male adstruitur. Conf. Deus essentialiter est ubique, & omnia in omnibus operatur: ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. multa sunt, quæ non possumus satis capere, & explicare, & tamen scimus illa dari. Sic nemo ignorat dari Deum, nec tamen quisquam infinitas ejus perfectiones satis capit. Imo etiam in rebus naturalibus de multis certi sumus, quod dentur, quin nobis satis notum sit, quomodo dentur, aut fiant, ut Philosophi experiuntur. Ad Conf. Dist. Ant. Deus essentialiter est ubique, & in omnibus omnia operatur, idque eodem modo, Neg. Ant. diverso modo, Conc. Ant. & Neg. Conf. Deus non obstante immensitate sua varie in rebus creatis existit; nam aliter Deus est in creaturis irrationalibus, aliter in rationalibus, in quibus operatur per gratiam, aliter in Christo: possunt ergo plures alii modi inexistendi nobis esse ignoti, talis est ille, de quo agimus, vi cujus Spiritus sanctus ita cum justis conjungi-

tur, ut si etiam per impossibile non esset immensus, nihilominus vi hujus conjunctionis in justis habitaret.

693 Obj. 3. Juxta SS. Patres Spiritus sanctus est sigillum, quo homo recipit imaginem, & similitudinem Dei, ad quam initio fuit conditus: est signaculum, qua signantur justi, & divinæ naturæ redduntur participes: est virtus hominem sanctificans &c. ergo gratia sanctificans est ipse Spiritus sanctus. Conf. Spiritus sanctus a Patribus sæpe vocatur donum Dei, gratia, charitas &c. ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Quando SS. Patres dicunt Spiritum sanctum esse formam sanctificantem, ideo non excludunt formam, & dona creata, sed loquuntur de sanctificatione quadam speciali; sicut enim humanitas Christi sanctificatur per gratiam habitualem, & sanctitatem increatam Verbi, ita justus sanctificari potest per gratiam & per Spiritum sanctum; hinc justi in antiquo testamento vere fuerunt sancti, filii adoptivi, & hæredes Dei, licet juxta mentem Patrum Spiritus sanctus secundum substantiam illis nondum fuerit communicatus. Ex quibus jam patet ad Conf. nam Dist. Ant. Spiritus sanctus vocatur donum, gratia, charitas creata, & omnibus justis communis, Neg. Ant. increata, Conc. Ant. & Neg. Conf.

694 Dices. SS. Basilius, Cyrillus, & Gregorius Nazianz. ex hoc probant Spiritum sanctum esse Deum, quia nos facit filios Dei, & Deos: ergo homo per entitatem creatam non potest denominari sanctus, & filius Dei. Conf. S. Cyrillus lib. 34 thesauri expresse ait: *Superfluum videtur per medium aliquod creaturas sanctificari, nam ipse Deus pro misericordia sua ad minima usque pervenit, & sanctificat per proprium Spiritum*. Resp. Transf. Ant. Dist. Conf. ergo homo

mo per entitatem creatam non potest denominari sanctus, & filius Dei simpliciter, Neg. Conf. ita ut Deus proprie in illo habitet, & per ipsam Divinitatem ipsum deificet, Conc. Conf. Patres divinitatem sancti Spiritus non probant ex hoc, quia justus simpliciter est sanctus, & filius adoptivus Dei, sed quia juxta Scripturam Deus justos in novo testamento ita facit suos filios, & quasi deificat, ut ipsa natura divina nobis quodammodo communicetur. Ad Conf. S. Cyrillus solum videtur velle, gratiam non ita esse necessariam, ut non per ipsum Spiritum sanctum possemus justificari; agit enim contra hæreticos, qui blasphemabant, Spiritum sanctum vim sanctificandi accipere a Patre, & sic in creaturas diffundere. Porro in commentariis in Joannem ad verba: *Qui non ex sanguinibus*, ait: *Quod filii Dei nominemur non gratia tantum, sed tanquam Deum jam habentes in nobismet ipsis inhabitantem.*



PARS





PARS III.

DE MERITIS.

695 Meritum dicitur a merendo, & de se videtur esse indifferens ad significandum opus bonum, vel malum, in quantum utrumque aliqua retributione apud Deum est dignum; propterea etiam peccatum dicitur mereri iram Dei, & supplicium. Nihilominus juxta communem acceptionem Theologorum meritum simpliciter dictum denotare solet actum bonum, & dignum præmio, actum vero malum vocant demeritum seu cum addito meritum malum. Nobis ferme solum de merito simpliciter dicto, & quidem supernaturali, ac theologice tali agendum erit.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit meritum supernaturale?

696 Meritum supernaturale communiter definitur, quod sit obsequium Deo exhibitum ex se po-

potens movere ad retributionem præmii ſupernaturalis. Differt 1 a ſatisfactione, quia hæc neceſſario reſpicit abolendum debitum, meritum vero remunerationem. 2. A ſatispaſſione, quia meritum debet eſſe obſequium liberum; ſatispaſſio autem, præterquam quod etiam ſupponat debitum, poteſt eſſe neceſſaria, & a reo invito tolerari. 3. Ab impetratione; hæc enim ſtricte ſumpta eſt humilis quædam petitio alteri facta pro tollenda aliqua indigentia, quod proprie ſoli convenit orationi, & fieri poteſt etiam ab iis, qui non poſſunt mereri, uti a Chriſto, & Sanctis in cœlo. Interim impetratio ſæpe accipitur latius pro omni opere potente movere divinam miſericordiam ad præſtandum auxilium, in hoc ſenſu etiam meritum poteſt impetratio vocari.

Dividitur meritum præcipue in condignum, 697
& congruum. Condignum eſt, quod ſecundum rectam æſtimationem habet æqualitatem cum præmio, non quidem arithmeticam, attamen geometricam ſive proportionis, quæ tunc datur, quando præmium ſic adæquatur merito, ut ſpectatis omnibus, nempe præſtantia operis, dignitate operantis, & munificentia præmiantis non poſſit dari notabiliter minus, neque deceat exigi majus. Pro exemplo ſit opus bonum hominis juſti, quod propter præſtantiam ſuam, quam trahit ex dignitate filii adoptivi Dei, a Deo tanquam Patre munificentiſſimo meretur de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ; nam licet obſequium præſtitum perſonæ digniori decreſcat in ratione meriti, nihilominus in ratione dignitatis ad præmium ex ipſa dignitate præmiantis aliquo modo geometrice conſtituitur, & creſcit. Sic ſi vitam ſerves ruſtico, & Regi, merito majorem remunerationem expectas a Rege, quam a ruſtico.

Meri-

697 Meritum congruum eſt, quod licet non habeat æqualitatem cum præmio, eſt tamen aliquid ita conducens ac æſtimabile, ut præmians prudenter poſſit moveri ad illud præmium retribuendum; unde retributio non tam fit ob dignitatem operis, quam liberalitatem præmiantis, neque hæc retributio eſt infallibilis, niſi conſtet de ſpeciali promiſſione Dei, uti conſtat, quod contritioni perfectæ promiſerit juſtificationem peccatoris. Proportio inter meritum congruum, & præmium magnam patitur latitudinem, & quanta poſſit, aut debeat eſſe, ultimato deſumendum eſt ab auctoritate, vel comparatione cum aliis meritis congruis. Id certum eſt, quod non quilibet actus obſequioſus vel de congruo mereatur præmium quodlibet. Sic imprudenter ageret Rex, ſi ſtabularium ob habitam diligentem curam equi ſtatim vellet adoptare in filium.

699 Recentiores quidam meritum dividunt ulterius in impetratorium, & compenſativum: prius eſt, quod ad dandum præmium movet per modum cauſæ moralis, ſeu quia eſt. Sic labor præſtitus movet ad dandam operario mercedem. Compenſativum dicitur, quod movet per modum cauſæ finalis, ſeu ut ſit, ut ſi quis operario anticipato ſolveret mercedem, ut illam per laborem conſequentem compenſet. Hoc ultimum potius habet rationem ſolutionis quam meriti; quippe ut S. Thomas q. 29 de verit. art. 6 in corpore ait: *Meritum eſt cauſa præmii, non quidem per modum finalis cauſæ; ſic enim magis præmium eſt cauſa meriti.* Certe SS. Patres nunquam faciunt mentionem meriti compenſativi; imo quando contra Pelagianos docent, quod prima gratia non cadat ſub meritum, id probant ex his, & ſimilibus textibus: *Miſericordiam conſecutus ſum a Domino, ut ſim fidelis*, 1 ad Cor. 7 v. 25. *Elegit nos - - ut eſſemus ſancti,*

ad

ad Ephes. 1 v. 4 ; hæc autem probatio nulla esset, si id, quod movet per modum causæ finalis, posset habere rationem meriti proprie talis.

Ut natura meriti melius intelligatur, Au- 700
ctores varias conditiones assignant. Harum aliæ se tenent ex parte Dei, aliæ ex parte operantis, aliæ ex parte ipsius operis. Ex parte Dei dicunt non solum ad meritum congruum, sed etiam ad condignum requiri acceptationem, & promissionem mercedis; cum enim Deus solo titulo supremi dominii quodlibet obsequium a creatura possit exigere, actus meritorius Deum per se non obligat ad conferendum præmium: ergo independenter a promissione & acceptatione non confert jus proximum, & infallibile ad tale præmium, neque illud meretur in actu secundo. Judico nihilominus independenter a promissione divina posse dare meritum de condigno in actu primo remoto; quia actus jam ex se habet æqualitatem cum præmio, vi cujus Deum possit movere ad illud conferendum; neque enim per promissionem aut acceptationem valor, aut dignitas actui primum accedit, sed ad illam jam præsupponitur.

Ex parte operantis requiritur 1 status viæ, 701
nisi enim daretur certus terminus merendi, homo semper deberet moveri ad ulteriorem beatitudinem, & sic nunquam posset quiescere. Hic terminus est finis hujus mortalis vitæ, ut indicat Scriptura Eccles. 14 v. 17 : *Ante obitum operare justitiam.* Item Joann. 9 v. 4 : *Venit nox, quando nemo potest operari*, scilicet meritorie in ordine ad beatitudinem. 2. Gratiæ actuales supernaturales, quia ex viribus mere naturalibus non potest elici meritum supernaturale, de quo hic loquimur. 3. Ut meritum sit condignum status gratiæ, seu gratia sanctificans; nam constitutus in peccato mortali est dignus pœna æterna : ergo non potest

simul

simul esse dignus præmio æterno, nisi peccatum per gratiam habitualem sit deletum, ut rursus indicat Scriptura Joann. 15 v. 4: *Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis*, & 1 ad Cor. 13 v. 2: *Si charitatem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest.* Hinc damnata est propositio 12 Baji: *Pelagii sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non esse regni cælestis meritorium.*

702 Opus meritorium debet esse 1 liberum libertate indifferentiæ; alias non esset moraliter imputabile, ut Ecclesia sæpe definiit contra Lutherum, & Calvinum, & clare infertur ex damnatione propositionis tertiæ Jansenii. 2. Honestum, & quidem positive, quippe nemo prudens remuneratur actum malum, aut prorsus indifferentem; hinc communissima cum S. Thoma docet, omissionem puram liberam non esse aptam ad meritum, quia licet legi sit conformis, non habet bonitatem moralem, nisi negativam. 3. Supernaturale; alias ad præmium supernaturale non haberet proportionem, cum hoc sit longe altioris ordinis, & exigentiam totius naturæ transcendat. Neque obstat, quod supernaturalitas actuum nostrorum nobis non sit nota, & libera; nam licet ob hanc rationem actus nostros proprie non reddat magis laudabiles, & nobis imputabiles, facit tamen eosdem proportionatos præmio supernaturali.

703 Addunt aliqui actum meritorium etiam debere esse arduum, vel supererogatorium. Verum licet ad meritum ratione libertatis requiratur aliqua arduitas in hoc sensu, quod actus liber debeat superare motivum contrarium, nullo tamen ex capite probatur, quod essentialiter requiratur talis arduitas, vi cujus debeat superari

rari quædam difficultas, aut contemni bonum temporale cum actu meritorio incompossibile. Contrarium colligitur ex meritis Angelorum, & B. Virginis, in qua fuit perfecta virtus absque difficultate ex fomite peccati orta. Testimonia Scripturæ, quæ opponi solent, loquuntur de eo, quod ordinarie fit in statu naturæ lapsæ, in quo communiter meritum cum aliqua molestia conjunctum est. Multo minus actus meritorius debet esse supererogatorius, cum utique etiam actus præceptus possit esse liber, honestus, & supernaturalis, unde talibus actibus in Scriptura promittitur gloria æterna: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matth. 19 v. 17.

Ex his ulterius colliguntur illa, quæ me- 704
ritum bonorum operum augere possunt, nempe 1 ipsa bonitas specifica operis; nam cæteris paribus præstantior est actus virtutis theologicæ, quam moralis, & inter virtutes theologicas major charitas. 2. Intensio, & libera continuatio actus, qui enim e. g. Deum intensius, aut diutius amat, melius facit. 3. Major promptitudo, & firmitas in superandis difficultatibus; ipsa tamen difficultas, sicut per se nec personam, nec opus dignificat; ita meritum tantum auget per accidens, in quantum est occasio, ut actus sit intensior, frequentior, aut appretiative major. 4. Dignitas personæ operantis. Sic plus meretur homo in statu gratiæ constitutus, quam peccator. An vero etiam ille, qui habet plus gratiæ sanctificantis, cæteris paribus plus mereantur, quam alius, qui habet minorem gratiam sanctificantem, explicatum est in tract. de Incarnat. a num 383.

QUÆSTIO II.

An, & quomodo possimus mereri gratiam?

705 Lutherus, & Calvinus quemadmodum docent homines per solam fidem justificari, & salvari; ita operibus bonis omnem vim merendi circa negotium justificationis & salutis abnegant. Eorum sectatores de facto communius admittunt, opera bona quidem requiri, sed tantum necessitate præsentiæ, in quantum fides non esset vera, & viva, nisi fructus bonos faceret: neque tamen ipsam fidem esse causam meritoriam gratiæ, & salutis, sed a reliquis operibus tantum distingui per hoc, quod ad salutem ex natura sua referatur, eamque apprehendat, dum econtra reliqua opera ex se nullam omnino relationem ad satutem habeant. Contra hos sectatorum errores in hac quæstione primo quidem generaliter ostendemus bona opera habere vim merendi apud Deum, dein breviter explicabimus virtutem meritorum in ordine ad obtinendas gratias divinas.

706 Quod opera hominis per gratiam facta vere apud Deum mereantur, dogma fidei est, clare revelatum in Scriptura, in qua bonis operibus passim promittitur retributio, & merces. *Reddet unicuique secundum opera ejus*, Matth. 16 v. 27. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*, 1 ad Cor. 3 v. 8. *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum*, Eccl. 16 v. 15; hinc Concilium Arausicanum II cap. 18 ait: *Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.* Concilium vero Tridentinum sess. 6 Can. 32 anathematizat, *Qui dixerit hominis justificati bona opera*

ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita. Consentiunt SS. Patres apud Bellarm. lib. 5 de justif. cap. 4. Ratio est, quia bona opera revera habent aliquam proportionem ad præmium apud Deum promerendum.

Porro quia solum meritum condignum est 707
meritum simpliciter tale, cui merces proprie debetur, ex citatis textibus habetur, quod homo apud Deum non solum possit mereri de congruo, sed etiam de condigno, quod clarius adhuc Scriptura indicat in illis locis, in quibus expresse ait, bene operantes esse dignos retributione, & mercedem ipsis deberi ex justitia. Ita loquitur Apostolus ad Coloss. 1 v. 10: *Pro vobis orantes, & postulantes &c. ut ambuletis digne, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes.* Et ad Hebr. 6 v. 10: *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, & ministratis.* Ex his tamen non sequitur, quod homo omnia dona Dei possit mereri æqualiter; aliqua enim solum cadunt sub meritum congruum, alia omnino sub nullum, quod tum ex diversitate ipsorum donorum, tum ex conditione operantis, aliisque circumstantiis determinari debet.

Itaque primam gratiam actualem nemo de 708
condigno, aut de congruo mereri potest. Vel enim hoc meritum esset naturale, vel supernaturale? non primum, quia contrarium definitum est ab Ecclesia contra Semi-Pelagianos, eo quod actus naturalis sit simpliciter improportionatus ad præmium supernaturale: non secundum, quia prima gratia actualis præsupponitur ad omne meritum supernaturale tanquam illius principium; principium autem meriti juxta receptum a SS. Patribus, & Theologis axioma, non potest cadere sub meritum, seu non potest

esse præmium talis meriti, saltem pro illo instanti, pro quo causat meritum, quia præmium debet esse aliquid distinctum a merito, neque ad illud præsupponi, alias merens per tale meritum non fieret ditior, quod tamen essentialiter ad præmium requiritur. Ideo a Concilio Tridentino sess. 6 cap. 5 justi dicuntur ad justitiam vocari nullis eorum existentibus meritis.

709 Gratiam primam habitualem potest homo quidem mereri de congruo, sed non de condigno. Ratio primæ partis est, quia homo per actum charitatis, vel contritionis perfectæ ad Deum perfecte convertitur, eumque ex toto corde diligit: ergo talis actus habet sufficientem congruitatem, ut vicissim Deus hominem diligat, eumque remissis peccatis iterum liberaliter in gratiam recipiat. Hinc Tridentinum sess. 14 cap. 4 ait: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Dein infra de contritione perfecta addit: *Quod hominem Deo reconciliet.* Ratio secundæ partis est, quia gratia habitualis est donum tam excellens, ut transcendat quæcunque merita creaturæ, prout hæc tantum est serva Dei, adeoque hæc gratia ad meritum condignum tanti doni præsupponitur, imo intrinsece illud deberet constituere; atqui principium meriti non potest cadere sub meritum, ut supra notavimus. De hoc merito condigno loquitur Tridentinum sess. 6. cap. 8, dum ait: *Gratis justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam promerentur.*

710 Potest nihilominus homo jam justificatus sibi de condigno mereri augmentum gratiæ habitualis. Cum enim merita ab ipso elicita jam dignificentur a gratia sanctificante, habent suffician-

ficientem condignitatem ad merendum illius augmentum. Sane ipsa Scriptura sæpe nos hortatur, ut in justitia, seu gratia habituali crescere studeamus. *Qui justus est, justificetur adhuc*, Apoc. 22 v. 11. *Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem*, Proverb. 4 v. 18; imo Tridentinum sess. 6 Can. 32 anathema dicit asserenti, *Justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & JEsu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ.* Porro hoc augmentum Deus posito merito justis statim confert, ut colligitur ex citatis Scripturæ textibus, & cap. 10 Tridentini sess. cit. ubi ait: *Justos cooperante fide bonis operibus in ipsa justitia crescere, atque magis justificari.*

Dixi, justum mereri augmentum gratiæ si- 711
bi; cum enim de facto merita hominis justi tantum ordinentur ad promerendam propriam sanctitatem, per quam etiam adæquate compensantur, patet, quod in hac providentia gratiam sanctificantem, & multo magis remissionem peccatorum nemo possit de condigno mereri alteri, quamvis loquendo de potentia absoluta, quoad ad augmentum gratiæ sanctificantis non appareat repugnantia. Imo Suarez putat, quod homo justus in alia providentia absolute posset de condigno alteri mereri etiam remissionem peccati. Verum communior cum Vasquez tenet negativam, quia obstat indignitas peccatoris, & gravitas offensæ, quæ videtur in sua linea esse major, quam quodvis meritum hominis justi. Profecto licet in humanis aliquis apud Regem mereri possit gratiam subdito non positive indigno, ideo illam non potest etiam mereri subdito rebelli, & læsæ majestatis reo.

Cæterum nullus etiam justus de condigno 712
sibi aut alteri gratiam efficacem, reparationem

post lapsum, aut perseverantiam finalem mereri potest. Tum quia isti effectus a Deo nullibi certo, & infallibiliter promittuntur, tum quia nostra merita satis compensantur per augmentum gratiæ, & gloriæ secundum se, ut adeo non maneat sufficiens condignitas ad promerendos insuper effectus memoratos. Indicat hoc Scriptura 1 ad Cor. 10 v. 12: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Et ad Philipp. 2 v. 12, & 13: *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini: Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* Quæ verba significant, gratias efficaces, quibus lapsi resurgunt, aut justi in gratia perseverant, pendere a solo Dei beneplacito. Id facile concede, quod justus possit mereri de condigno auxilia gratiæ sibi necessaria, & sufficientia ad perseverandum in bono, quia est omnino conveniens, ut is, cui debetur finis, possit sibi de condigno mereri media ad finem necessaria.

713 Quæres. An possimus etiam mereri bona naturalia? Resp. 1. Bona temporalia per se ac directe non cadunt sub meritum condignum supernaturale; hoc enim per se tantum refertur ad beatitudinem hominis, bona autem temporalia æque bonis ac malis conceduntur. 2. Cadunt tamen sub meritum supernaturale indirecte, in quantum non nunquam sunt valde utilia ad consecutionem vitæ æternæ; nam ut Apostolus 1 ad Timoth. 4 v. 8 ait: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Hinc Christus Matth. 6 v. 33 dixit: *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Quia tamen ejusmodi bona nunquam absolute ad vitam æternam necessaria sunt, istæ promissiones non sunt omnino universales, & infallibiles. 3. De con-

gruo

gruo non solum justi, sed etiam peccatores possunt mereri bona temporalia secundum se spectata; sunt enim simpliciter bona, & licite expetuntur. Neque opera bona peccatoris sunt improportionata ad bona temporalia de congruo promerenda, præsertim quia nullam aliam remunerationem in altera vita exspectare possunt, ut docent S. August. Chrysost. Hieron. apud Tannerum.

QUÆSTIO III.

An & quomodo possimus mereri gloriam seu vitam æternam?

Dicendum 1. Justi per opera bona auxilio gratiæ facta vere, & proprie merentur gloriam seu vitam æternam. Conclusio est de fide, & probatur 1 auctoritate Scripturæ, in qua vita æterna non tantum tribuitur promissioni divinæ, sed ipsis operibus justorum. Sic Matth. 5 v. 12 dicitur: *Gaudete, & exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis.* Sapient. 3 v. 5. *Deus tentavit eos, & invenit eos dignos se.* 2 ad Thessal. 1 v. 5. *Ut digni habeamur regno Dei, pro quo & patimur.* 2 ad Timoth. 4 v. 8. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Probatur 2 auctoritate Conciliorum. Lateranense IV cap. 1 ait: *Non solum virgines, & continentes, verum etiam conjugati, per fidem rectam, & operationem bonam Deo placentes, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.* Florentinum in litteris unionis docet, *Beatos Deum videre, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.* Tridentinum sess. 6 Can. 32 definit, *Justificatos vere mereri consecutionem vitæ æternæ & gloriæ augmentum.* 714

715 Dicendum 2. Justi merentur vitam æternam, seu gloriam de condigno, abstrahendo a primo illius gradu. Ita Catholici communius. Prob. Juxta S. Scripturam justi simpliciter merentur vitam æternam, sunt illa digni tanquam mercede, & corona justitiæ: ergo illam merentur de condigno; quippe merces, & corona justitiæ per se tantum debetur merito condigno, quod solum simpliciter est meritum, & merentem vere dignum reddit. Nempe justus est filius Dei, & hæres vitæ æternæ, adeoque ipsius opera sufficientem habent dignitatem ad vitam æternam promerendam, ut indicant concilia citata, præsertim Tridentinum. Idem docent SS. Patres apud Bellarm. lib. 5 de justif. cap. 4. S. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 24 ait: *Homo ex operibus justitiæ salvatur*. Hilar. cap. 5 in Matth., *De nostro est beata illa æternitas promerenda*. Augustinus epist. 105: *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ vita æterna*. Et tract. 67 in Joann. *Multæ mansiones in una vita æterna diversas meritorum significant dignitates*.

716 Abstraho a primo gloriæ gradu, circa quem specialis est difficultas in eo, quod homo, dum per actum ex se sufficientem e. g. per contritionem perfectam ad primam justificationem se disponit, pro signo priori nondum sit gratia sanctificante instructus, adeoque primum gloriæ gradum non videtur aliter mereri, quam primum gradum gratiæ, per quem primum acquirit jus ad gloriam. Nihilominus multi cum Suario, Vasquio, Tanner, &c. existimant, ad hoc, ut meritum hominis a gratia sanctificante informetur, & dignificetur, sufficere, si gratia cum merito existat in eodem instanti; sic enim ejusmodi meritum jam vere potest dici opus hominis

nis juſti, hinc licet tale opus nondum ſit condignum ad merendum primum gradum gratiæ, eſſe nihilominus condignum ad merendum primum gradum gloriæ. Huic opinioni favet Tridentinum, dum ſeſſ. 6 can. 32 definit, *Juſtificatum vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum.* Ubi adverte, quod inter meritum gratiæ, & gloriæ aperte diſtinguat, & primo ſolum augmentum gratiæ, poſteriori vero ipſam vitam æternam, ejus conſecutionem, & augmentum adſcribat.

Objectiones.

Obj. 1. Vita æterna eſt gratia: *Gratia autem* 717
Dei vita æterna, ad Rom. 6 v. 23; eſt hæreditas: *Si filii & hæredes*, ad Rom. 8 v. 17; eſt opus miſericordiæ: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*, Matth. 5 v. 7: ergo non meremur vitam æternam. Conf. ex illo ad Tit. 3 v. 5: *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Vita æterna eſt gratia, hæreditas, opus miſericordiæ, quia Deus illam non ſolum filiis ſuis adoptivis liberaliter promiſit, ſed etiam miſericorditer dat gratiam ad illam promerendam; quando autem juſtus per bona opera illam promeretur, ſimul eſt merces; ideo Concilium Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 16 ait: *Vitam æternam bene operantibus proponendam eſſe, & tanquam gratiam filiis Dei, miſericorditer promiſſam, & tanquam mercedem bonis ipſorum operibus fideliter reddendam.* Ad Conf. Apoſtolus non loquitur de ſalute conſummata per gloriam, ſed de inchoata per gratiam ſanctificantem; per opera vero juſtitiæ intelli-

git illa, quæ fidem in Christum præcesserunt, & sine ipsius gratia facta sunt, ut patebit legenti contextum.

718 Dices. Juxta S. Augustinum Deus vitam æternam prorsus gratis dat: ergo non est merces. Ant. Prob. Serm. 15 de verbis Apostoli ait: *Prorsus gratis das, gratis salvas, qui nihil invenis, unde salves, & multum invenis, unde damnes.* Conf. lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 9 reddit hanc rationem, cur Apostolus ad Rom. 6 voluerit dicere: *Gratia autem Dei vita æterna, ut hinc intelligamus non pro meritis nostris Deum nos ad vitam æternam, sed pro sua miseratione perducere.* Resp. Dist. Ant. Vitam æternam dat prorsus gratis, id est, sine omnibus meritis, quæ ab ipso non fuerunt donata, Conc. Ant. quæ ab ipso fuerunt donata, Neg. Ant. Antequam Deus nobis dat gratiam, nulla invenit in nobis bona merita, propter quæ nos salvet, sed contra multa merita mala, propter quæ nos posset damnare; salvat itaque gratis, quia ut in eodem sermone inquit S. Augustinus: *Gratia præcessit meritum tuum, non gratia ex merito, sed meritum ex gratia.* Ad Conf. eadem est responsio. Sic enim ibidem prosequitur. *Ideo dixit Psalmus, coronat te in miseratione, & misericordia, quia ejus miseratione bona operamur, quibus corona redditur.* Igitur S. Doctor tantum excludit merita ex solis viribus naturæ facta.

719 Obj. 2. Ex una parte juxta Apostolum ad Rom. 8 v. 18: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Ex altera parte juxta multos non possumus mereri primum gradum gloriæ: ergo vitam æternam non meremur de condigno. Conf. Juxta commune effatum Theologorum Deus punit infra condignum & præmiat ultra condignum: ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Apo-

sto-

ſtolus loquitur de paſſionibus præciſe ſecundum ſe conſideratis, non vero prout ſunt a filiis Dei adoptivis toleratæ, & meritis Chriſti innixæ. Porro qui negant primum gradum gloriæ ſub meritum condignum cadere, dicunt juſtum nihilominus mereri beatitudinem eſſentialem, quia merendo augmentum gloriæ meretur viſionem beatificam. Simili modo dicere ſolemus, tot a nobis perdi æternitates, quot bona opera negligimus. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Sicut datur triplex rerum pretium, ſummum, medium, & infimum, ita poteſt dari triplex præmium, & axioma videtur verificari, modo Deus conferat ſummum. Vel dici poteſt, quod præter præmium condignum eſſentiale, addat alia accidentalia, aut majorem intenſionem præmii.

Dices. Chriſtus nobis ſufficienter meruit 720
beatitudinem: ergo nos non debemus illam mereri; alias inter nos, & Chriſtum gloria meritorum divideretur. Conf. Chriſtus Luc. 17 v. 10 ait: *Si feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus.* Ergo. Reſp. Diſt. Ant. Chriſtus meruit nobis beatitudinem ut conſequendam ſolo titulo hæreditatis, Neg. Ant. etiam titulo mercedis, Conc. Ant. Merita hominum non requiruntur ideo, quaſi merita Chriſti fuiſſent inſufficientia, ſed ipſe Chriſtus voluit, ut per opera bona nobis ſua merita applicemus, unde ipſa noſtra merita ſunt dona Chriſti, & totam vim ab ipſius meritis accipiunt, conſequenter gloria inter nos, & illum non dividitur, ſed tota in Chriſtum redundat. Ad Conf. Neg. Conſ. Servi inutiles ſumus, tum quia ex propriis viribus nihil poſſumus mereri, tum quia etiam pro operibus ex gratia factis nihil poſſemus exigere, ſi Deus nobis nihil voluiſſet promittere.

Obj. 3. Si vita æterna eſſet corona juſtitiæ, 721
Deus illam deberet merentibus dare ex juſtitia;

ſed

ſed *Deus nemini aliquid debet*, ut inquit S. Auguſtinus lib. 3 de lib. arbitr. cap. 16: ergo. Conf. Servus non poteſt habere jus contra Dominum; juſtitia enim debet eſſe ad alterum, ſervus autem non eſt alter a Domino, ſed aliquid Domini. Reſp. Conc. Maj. Diſt. min. Deus nemini aliquid debet antecedenter ad ſuam promiſſionem, Conc. min. conſequenter, Subdiſt. ex juſtitia ſtricte dicta, omitt. min. ex juſtitia ſaltem latius dicta, Neg. min. per juſtitiam ſaltem latius dictam intelligitur obligatio ex fidelitate, ex qua tamen Deus potius ſibi ipſi, quam homini obligatur, in quantum illum dedeceret non ſtare promiſſis, hanc ſaltem obligationem in Deo dari, agnoſcit Auguſtinus, dum in Pſal. 83 ait: *Debitorem Dominus ipſe ſe fecit, non accipiendo, ſed promittendo.* Item lib. 1 confeſſ. cap. 4 ubi Deum ſic alloquitur: *Reddis debita nulli debens*, videlicet ante promiſſionem. Ad Conf. Diſt. Ant. Servus qua talis non poteſt habere jus contra Dominum, Tranſ. Ant. qui talis, & ſi Dominus ſponte ſe velit obligare, Neg. Ant. ad plura, quæ hic objici poſſent, reſpondimus de ſtatu animæ poſt mortem quæſt. 6, & in Tractatu de Deo volent. diſp. 4. q. 2 a num. 592.

QUÆSTIO IV.

An meritum condignum vitæ æternæ debeat procedere ex charitate?

722 Quod poſſint dari actus ſupernaturales tam theologici, quam morales diſtincti a charitate, oſtendi in tract. de actibus humanis contra Bajum, & Janſenium. Controvertitur jam inter Catholicos, utrum & quomodo per iſtos actus poſſimus mereri vitam æternam, & gloriæ augmentum de condigno. Suarez, Vaſquez, Scotus, Cajetan. Gregor. de Valent. aliique mul-

multi, & graves auctores exiſtimant, ad condignitatem meriti vitæ æternæ ſufficere, quod actus ſit ſupernaturalis, & eliciatur in ſtatu gratiæ, ex quacunque demum virtute id fiat. Alii econtra ad meritum condignum præmii eſſentialis ulterius requirunt, ut actus fiat ex motivo, vel ſaltem ex imperio charitatis, quod reſpectu aliarum virtutum, tunc contingit, ſi præter motivum intrinſecum, quod habent, ſemper concurrat motivum diligendi Deum propter ſe, e. g. ſi actus juſtitiæ non ſolum ponatur, quia honeſtum eſt ſuum cuique tribuere, ſed etiam ut tali modo ametur Deus. Ita docent Bellarm. Scot. Tanner, Simonet, Antoine &c. citantes pro ſe ſanctum Thomam; cujus tamen auctoritatem alii pro oppoſita ſententia vendicant. Mihi de hoc non vacat diſputare.

Dicendum. Opera bona ſupernaturalia juſto- 723
rum non debent neceſſario fieri ex motivo, vel imperio charitatis, ut ſint de condigno meritoria vitæ æternæ. Prob. 1 auctoritate Scripturæ, quæ paſſim omnibus operibus juſtorum ſine mentione charitatis vitam æternam promittit. Sic Matth. 12 v. 50 dicitur: *Quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt:* ergo faciens voluntatem Dei ſervando ejus legem ex quacunque virtute præcipentem, meretur præmium fratribus Chriſti deſtinatum. Apoſtolus ad Rom. 2 v. 6 univerſaliter ait: *Reddet unicuique ſecundum opera ejus, iis quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Chriſtus ipſe Matth. 5 v. 3 & ſeq. pauperes ſpiritu, mites, lugentes &c. ſine mentione charitatis beatos pronuntiat, eisque regnum cœlorum promittit. Matth. 25 poſt verba, quæ Chriſtus in extremo judicio ad illos, qui a dextris ſta-

bunt

bunt, dicturus est: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.* v. 35 redditur hæc causa: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.*, quod est opus misericordiæ erga pauperes, & sine imperio charitatis erga Deum potest exerceri.

724 Probatur 2 auctoritate Concilii Tridentini, quod sess. 6 cap. 16 agens de præmio vitæ æternæ ait: *Hac igitur ratione justificatis - - proponenda sunt Apostoli verba: abundate in omni opere bono scientes, quod labor vester non est inanis in Domino*, 1 ad Cor. 15 v. 58: ergo & Concilium, & S. Paulus docent justum per omnia opera bona mereri vitam æternam, quod Tridentinum eodem capite ulterius explicat his verbis, si opera fiant dependenter a gratia præveniente, & concomitante: *Nihil justificatis deesse credendum est, quo minus plene quidem illis operibus, quæ in Deo facta sunt divinæ legi pro vitæ hujus statu satisfecisse, & vitam æternam, suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam promeruisse censeantur*: ergo ad meritum vitæ æternæ solum requiritur, ut opus fiat in Deo, id est in gratia, & per gratiam, sicut hoc solum requiritur ad plene implendam legem, per quam ejusmodi opera præcipiuntur. Porro per meritum simpliciter tale a Scriptura, & Conciliis intelligi meritum condignum supra jam monui.

725 Probatur 3 ratione. Ex una parte omnia opera supernaturalia justorum suapte natura referuntur in Deum tanquam suum Auctorem, & finem, eique placent tanquam obsequia filiorum, adeoque habent sufficientem condignitatem ad promerendam hæreditatem filiorum: ex altera parte, si meritum de condigno semper deberet procedere ex affectu, & imperio charitatis perfectæ,

fectæ, merita juſtorum in ordine ad gloriam eſſentialem nimium minuerentur; cum enim actus perfectæ charitatis a plurimis raro, & difficulter eliciatur, nec ſemel elicitus diu virtualiter perſeverare ſoleat, plurimi actus virtutum moralium Religionis, miſericordiæ, pietatis &c. imo etiam fidei, & ſpei nullam in cælo gloriam eſſentialem mererentur. Conf. Ipſa Scriptura nos ſæpe hortatur, ut operemur ex ſpe vitæ æternæ: *Quodcunque facitis, ex animo operamini ſicut Domino, & non hominibus: ſcientes, quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis*, ad Coloſſ. 3 v. 23: ergo opera juſtorum ex ſola ſpe elicita merentur vitam æternam.

Objectiones.

Obj. 1. Deus vitam æternam ſpecialiter promittit charitati: ergo ſola charitas, & actus ab ipſa imperati merentur vitam æternam. Ant. Prob. 1 ad Cor. 2 v. 9 dicitur: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Jacob. 1 v. 12: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Conf. Sacra Scriptura nos ſæpe hortatur, ut omnia faciamus ex charitate: *Omnia veſtra in charitate fiant*, 1 ad Cor. 16 v. 14. *Veritatem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus*, ad Epheſ. 4 v. 15. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Ex eo, quod charitati tanquam virtuti præcipuæ, & proxime diſponenti ad primam juſtificationem promiſſa ſit vita æterna, neutiquam ſequitur, quod non etiam ſit promiſſa reliquis virtutibus ſupernaturalibus; quippe promiſſio ſpecialis non derogat univerſali. Ad Conſ. Dum Scriptura nos hortatur ad id, quod 726

per-

perfectius est, ideo non reprobat, aut excludit illa, quæ sunt minus perfecta, neque Deus semper stricte exigit, quod est melius.

727 Dices. Opera, quæ non fiunt ex charitate, positive excluduntur a meritis vitæ æternæ; nam Apostolus ad Galat. 5 v. 6 ait: *In Christo JEsu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Item 1 ad Cor. 13 expresse docet, quod fides, distributio omnium facultatum in pauperes &c. nihil prosit illi, qui charitatem non habet: quod autem loquatur de charitate actuali patet ex eo, quia v. 4 subdit: *Charitas patiens est, benigna est &c.* Resp. Neg. Ant. In primo textu S. Paulus loquitur de charitate habituali, cumque omnes virtutes ex charitate originem ducant, quotiescunque justus præcepta, & regulas charitatis observat, fides in illo dicitur per charitatem operari; nempe exercite, & in ipso opere juxta illud 1 Joann. 3 v. 18: *Diligamus opere, & veritate.* In altero textu S. Chrysost. Theodoret. & Theophilactus juxta Cornelium a Lapide existimant, verba: *Charitatem autem non habeam*, addita esse per hyperbolem ad commendandam excellentiam charitatis, in cujus comparatione reliqua opera quasi nihil sint. S. Anselmus autem, S. Thomas, & V. Beda dicta verba intelligunt per negationem pravi finis, ac si Paulus diceret: si opera hæc non fiant ex amore virtutis, sed ex jactantia, superbia &c. illa nihil prodesse, præsertim homini in statu peccati mortalis constituto; unde charitas hic sumitur latius pro dilectione virtutis, ut sæpe illam accipere solet S. Augustinus.

728 Obj. 2. Quando in Scriptura aliis operibus promittitur vita æterna, frequenter solent addi istæ voces: *In nomine meo, propter me, propter*

pter

pter nomen meum. Quisquis potum dederit vobis in nomine meo, non perdet mercedem, Marc. 9 v. 40. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam*, Matth. 10 v. 39. *Qui reliquerit domum &c. propter nomen meum &c.* Matth. 19 v. 29. Conf. Quamvis non ſemper addatur, quod opera debeant fieri per gratiam, & in ſtatu gratiæ, hoc ſubintelligitur: ergo etiam ſubintelligitur, quod debeant fieri ex charitate. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Iſtæ voces ſolum denotant, quod actus meritorii debeant procedere ex fide, & motivo ſupernaturali, non vero tantum ex motivo naturali, aut omnino malo, & ſimulato, ut rurſus notat S. Chryſoſt. & Euthymius apud Cornelium in cap. 18 Matth. Profecto, qui daret eleemoſynam Petro, quia ſciret illum eſſe filium Pauli, qui exciperet legatum Regis, quia ſciret illius legatum eſſe, id faceret in nomine Pauli, & propter Regem, etiamſi erga illos non eliceret actum internum dilectionis, ſed forte præciſe ex ſpe remunerationis faceret. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. quod auxilium Dei, & ſtatus gratiæ ad meritum de condigno requiratur ex ſpecialibus fundamentis probavimus, quæ hic non pugnant pro ſententia adverſariorum.

Dices. Concilium Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 729
16 ad meritum condignum vitæ æternæ expreſſe requirit, ut opera fiant in Deo: ergo requirit, ut procedant ex charitate, alias fruſtra addidiſſet hæc verba: *Quæ in Deo facta ſunt.* De gratia enim actuali, & habituali jam prius fecit mentionem. Conf. Chriſtus in extremo judicio non dicet: *Dediſtis enim pauperi manducare, ſed dediſtis mihi manducare:* ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. alias etiam non ſatisfieret legi divinæ, niſi opera aliarum virtutum ex imperio charitatis ponerentur, quod nemo Catho-

licorum dicet. Porro novum non eſt, quod concilia idem diverſis verbis inculcent; imo Tridentinum per citata verba ſpecialiter videtur declarare, quod illa opera in Deo facta ſint, quæ fiunt in gratia, & per gratiam. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Si hæc verba: *Dediſtis mihi manducare*, denotarent ſpecialem relationem operum per charitatem in Chriſtum, juſti non mirarentur ſententiam dicentes: *Domine, quando te vidimus eſurientem &c.* Neque Chriſtus ad damnatos diceret: *Ite maledicti: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare.* Quippe nemo damnatur ex eo, quod eleemoſynam per charitatem non retulerit in Chriſtum, ſed quia illam non dedit pauperibus, ad quod ſe præcepto divino obligatum eſſe cognovit.

730 Obj. 3. Actus meritorius debet fieri in gratiam alterius, & eſſe obſequium Deo præſtitum; atqui hoc non fit, niſi per imperium charitatis referatur in Deum: ergo. Conf. Ut opus ſit proportionatum merito, debet tendere in illud bonum, quod eſt maxima merces talis meriti; atqui actus aliarum virtutum, non tendunt in Deum, ſed tantum in honeſtatem creatam: ergo. Reſp. Diſt. Maj. debet fieri in gratiam alterius, & eſſe obſequium ſemper ſignate, Neg. Maj. exercite, Conc. Maj. & ſic Diſt. min. Neg. Conſ. Modo opus alteri placeat, & cedat in ipſius bonum, jam eſt obſequioſum, & ſit in illius gratiam, licet ſignate ad illum non referatur. Adde, quod juſtus bene operans cognoſcat ſuum opus placere Deo, & ſe ejus voluntati hoc ipſo exercite ſubmittat. Ad Conf. Diſt. Maj. debet tendere in illud bonum neceſſario tanquam ſuum objectum, Neg. Maj. tanquam ſuum finem, Conc. Maj. & ſic Diſt. min. Neg. Conſ. Cum opera ſupernaturalia ſint a Deo tan-

quam

quam auctore supernaturali, ex natura in eundem tanquam suum finem tendunt, ultimus enim finis, ut ait Suarius part. 3 de grat. lib. 12 cap. 10 semper proportionatur primo suo principio, alias homo per ejusmodi actus omnino nullum præmium supernaturale meretur.

Dices. Juxta S. Augustinum valor omnium 731
meritorum præcise fundatur in charitate Dei; nam lib. de moribus Ecclesiæ cap. 15 ait: *Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino virtutem esse affirmaverim, nisi summum amorem.* Dein omnes virtutes morales per amorem definit e. g. dicit temperantiam esse amorem Deo se integrum servantem, fortitudinem esse amorem Deo tantum servientem &c. Conf. Lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 18 ita habet: *Quidquid putaverit homo se facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fit bene.* Resp. S. Augustinum necessario mitius intelligendum esse, alias nulla daretur vera virtus, nisi procederet ex charitate, neque ullum opus bonum sine illa posset exerceri. Ideoque S. Doctor charitatem in istis locis sumit latius pro amore cujuscunque honestatis, item pro charitate in ipso opere exercita, quæ saltem in habitu ad reliqua opera meritoria vitæ æternæ præsupponitur. Ad Conf. Eadem est responsio. Sane tractatu 51 in Joan. ipsemet vitam æternam adscribit eleemosynæ, modo detur ex misericordia, & non tantum ex jactantia, ut ostendit Vasquez in primam 2dæ disput. 217 q. 14 art. 4.

Obj. 4. Illa solum opera sunt meritoria vi- 732
tæ æternæ, quæ augent charitatem, sed soli actus a charitate eliciti, vel saltem imperati augent charitatem; nam quilibet habitus solum augetur actibus sibi propriis. Conf. Meritum condignum vitæ æternæ maxime fundatur in amicitia inter Deum, & hominem; sed opera moralia non sunt

actus illius amicitiæ, nisi a charitate imperentur: ergo. Resp. Conc. Maj. Neg. min. rationem additam Dist. habitus solum augentur actibus sibi propriis physice, Conc. meritorie, Neg. Cum homo per quodlibet opus supernaturale in justitia factum mereatur augmentum gratiæ, & gloriæ, hoc ipso etiam meretur augmentum charitatis; nam habitus charitatis commensuratur gloriæ, quam in altera vita habebimus; & gloria commensurabitur gratiæ, quam in hac vita obtinemus. Ad Conf. Conc. Maj. Dist. min. opera moralia, nisi per charitatem imperentur, non sunt actus amicitiæ signate, Conc. min. exercite, Neg. min. Cum homo justus sit amicus Dei in actu exercito semper facit opus amicitiæ, quotiescunque supernaturaliter, & bene operatur. Sic qui confert beneficium filio amici, exercet opus amicitiæ, licet tum non eliciat actum amoris circa amicum, nec a tali actu ad conferendum beneficium moveatur.

733 Dices. Status peccatoris non facit, ut ejus opera sint opera inimicitiæ, & meritoria pœnæ æternæ: ergo neque status amicitiæ facit, ut opera justi sint actus amicitiæ, & meritorii vitæ æternæ; alias justus non posset elicere actum indifferentem. Conf. Sine charitate actuali non acquirimus gloriam primam extra Sacramentum: ergo neque meremur secundam; non enim decet, ut Deus per gratiam se convertat ad hominem, nisi homo prius se convertat ad Deum. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. ergo solus status gratiæ hoc non facit, Conc. Conf. si adsint etiam alia requisita, libertas, supernaturalitas actus &c. Neg. Conf. peccator non per omnes actus a Deo avertitur, & peccat graviter, cum etiam inimicus ab inimico leviter offendi possit. Pariter non omnes actus hominis justi sunt boni, & Deum tanquam finem supernaturalem respiciunt, si tamen

ju-

justus actum bonum supernaturalem libere elicit, hic actus est opus filii, & amici, adeoque dignus vita æterna, quæ est propria filii remuneratio apud Deum. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Quod ad primam justificationem plus requiratur, mirum non est, quia homo ante illam est inimicus Dei, at per ipsam justificationem ad Deum convertitur, eique servit tanquam filius & amicus.

QUÆSTIO V.

An actus externus augeat meritum actus interni?

Per actus externos hic intelliguntur omnes 734
illi, qui non immediate procedunt a voluntate, uti intellectiones, sensationes externæ, & internæ, motus appetitus sensitivi, corporis, membrorum &c. Quod actus isti, si a voluntate libera imperantur, ab eadem proprie denominentur boni, & mali, certum est. Imo sæpissime habent etiam propriam bonitatem, vel malitiam a bonitate, vel malitia actus interni distinctam; quippe plurimi actus externi secundum se sunt præcepti, vel prohibiti. Nihilominus hæc bonitas, & malitia potius est objectiva, quam formalis; hinc nascitur controversia, utrum actus externus bonitatem, vel malitiam actus interni in ordine ad majus meritum, vel demeritum ita augeat, ut complexum ex actu interno, & externo mereatur majus præmium, vel supplicium, quam solus actus internus, a quo actus externus, quantum est in se, efficaciter imperatur. Affirmativam tenent Scotistæ, Ripalda, Amicus &c. Negativam Thomistæ cum S. Thoma, Suario, Vasquio aliique ex nostris communiter.

735 Dicendum. Actus externus efficaciter imperatus per se non auget meritum, vel demeritum substantiale actus interni efficaciter imperantis. Prob. 1. Juxta S. Scripturam, & SS. Patres voluntas efficax reputatur pro facto ita, ut tantum meriti, vel demeriti habeat, ac si actus externus revera positus fuisset: ergo. Ant. prob. Genes. 22 Deus æque laudat, ac præmiat Abrahamum ob solam voluntatem immolandi suum filium, ac si revera eundem immolasset, dicit enim v. 16: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi.* Matth. 5 v. 28 dicitur: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Ad quem locum alludens S. Augustinus lib. 1 de lib. arbitr. cap. 3. ait: *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit, id eum cupere, & si potestas detur, facturum esse, non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur.* 1 Joan. 3 v. 15 habetur: *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Ex quo S. Bernardus epist. 77 ad Hugon. de S. Victore infert, *Quid planius, quam quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas.* Nempe ut S. Gregorius Homil. 5 in Evangelio ait: *Deus cor pensat, & non substantiam.*

736 Probatur conclusio 2. Ex una parte actus externus de se nullam habet bonitatem formalem; quamvis enim objective sit honestus, tamen non tendit in ipsam honestatem qua talem: ex altera parte non habet novam libertatem distinctam a libertate actus imperantis; sed illum necessario consequitur, nisi præcise per accidens impediatur: ergo per se non affert novum meritum, sicut nullum prorsus meritum haberet, si omni prorsus libertate, & honestate formali esset

ſet deſtitutus. Conf. Per actum externum actui interno efficaciter imperanti ſuperadditum homo per ſe non redditur dignus majore laude, vel vituperio : ergo neque dignus majore præmio, vel ſupplicio ſubſtantiali. Ant. declaratur exemplis. Qui vult efficaciter pauperi dare eleemoſynam, & ab extrinſeco violenter prohibetur, non videtur minore laude dignus, quam ſi re ipſa eleemoſynam dediſſet. Viciſſim, qui ſtatueret confodere inimicum, ſed per miraculum non poſſet elevare manum, juxta communem æſtimationem coram Deo æque eſſet culpabilis, & ſupplicio dignus, quam ſi re ipſa manum elevaſſet, & homicidium perpetraſſet.

Dixi 1. actus externus. Nam quod actus 737
voluntatis internus efficaciter ab alio imperatus augeat meritum actus imperantis, docet communior contra Lug. Arriag. &c. alias qui ex timore inferni, vel alio motivo naturali ante mortem ſibi efficaciter imperaret perfectam contritionem, eamque eliceret, non juſtificaretur, neque enim voluntati eliciendi contritionem, neque attritioni, neque ipſi contritioni aliter a Deo promiſſa eſt juſtificatio, quam ut ſit ultima diſpoſitio moralis de congruo meritoria gratiæ; atqui hæc ſequela pugnat contra communem ſenſum fidelium, ac doctorum, nec ſatis videtur concordare cum Scriptura, in qua charitati perfectæ juſtificatio univerſim promittitur; hinc damnata eſt propoſitio 32 Baji : *Charitas illa, quæ plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.* Nempe actus interni voluntatis licet efficaciter ſint imperati, tendunt in ſuum objectum ut honeſtum, adeoque jam ex ſe habent aliquam bonitatem formalem, vi cujus tendentiæ ſunt aliquid longe magis humanum, & laudabile, quam actus externi, qui ex

suo modo tendendi ad honestatem qua talem se prorsus indifferenter habent.

738 Dixi 2. Per se. Cum enim actus externus ordinarie sit occasio, ut crescat numerus, intensio, & extensio actuum internorum, utique per accidens auget meritum & demeritum. Sic qui per totam quadragesimam jejunat, ordinarie sæpius iterat voluntatem jejunandi, quam qui tantum paratus est jejunare, sed e. g. propter morbum non potest. Qui assistit per mediam horam sacro diutius conservat bonam voluntatem, quam qui tantum efficaciter voluit assistere. Ad martyrium actu tolerandum ob experimentum doloris requiritur intensior actus fortitudinis, quam ad martyrium tantum desiderandum. Dixi 3tio, Meritum substantiale, quia non nego, quod actus externus saltem de congruo mereri possit majus præmium accidentale, consistens in speciali quodam gaudio de bono creato; congruum namque est, ut ille, qui vult, & simul facit, habeat etiam gaudium de suo opere externo, & aliis bonis deinde secutis e. g. ut vir apostolicus habeat speciale gaudium de conversione hominum, Fundator ordinis de meritis, & incrementis suæ religionis, quo gaudio careret, si non elicuisset actus externos.

Objectiones.

739 Obj. 1. S. Scriptura opera externa passim laudat, eisque promittit præmia. Sic Apostolus 2 ad Cor. 5 v. 10 ait: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, seu bonum, seu malum*: ergo actus externi sunt meritorii. Conf. Ex propositione damnata Petri Abailardi: *Sola voluntas a Deo æternaliter remuneratur, sive ad bonum,*

num, sive ad malum, nec propter opera pejor, aut melior efficitur homo, nisi forte, dum operatur, in aliquo ejus voluntas augeatur. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. ergo actus externi sunt meritorii præmii distincti a præmio actuum internorum, Neg. Conf. indistincti, Conc. Conf. Sicut non tantum actus interni, sed etiam externi præcipiuntur, vel suadentur, ita utrisque promittitur præmium non tamen diversum. Præterea laudantur actus externi, quia per accidens augent bonitatem actuum internorum. Ad Conf. Hæc propositio nec a S. Bernardo nec ab aliis, qui de erroribus Abailardi scripserunt, affertur, sed ista: *Propter opera nec pejor, nec melior efficitur homo.* Quod utique falsum, præsertim de operibus conjunctis cum actu interno, de quibus locutum esse Abailardum colligitur ex alio ejusdem errore, nempe isto: *Neque opus, neque voluntas, nec delectatio, quæ movet eum, peccatum est, nec debemus illam extinguere.*

Dices. S. Hieronymus in epistolam 2 ad Cor. 740 ait: *Omnis enim operis finis est expetendus, qua sicut factum inviti acceptum non est, ita voluntas infructuosa est habentibus eam sine facto:* ergo voluntas sine opere non meretur tantum, quantum cum opere. Conf. S. Augustinus lib. 13 de Trinit. cap. 5 ait: *Mala voluntate, vel sola quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium voluntatis impletur.* Resp. Trans. Ant. quia commentarii in Pauli epistolas non sunt S. Hieronymi, sed Pelagii hæretici, Dist. Conf. voluntas inefficax, seu potius velleitas non tantum meretur, Conc. Conf. Voluntas de se vere efficax, Neg. Conf. Textus non potest intelligi de voluntate efficaci, alias absque opere aliunde impedito omnino esset infructuosa. Ad Conf. Conc. Ant. Dist. Conf.; ergo actus externus auget meritum per se, Neg. Conf. per accidens, Conc. Conf.

Habens poteſtatem ponendi opus externum, in tantum ſe habet pejus vel melius, in quantum occaſione exſecutionis augetur actus internus, vel habitus ad ſimiles deinceps actus repetendos intenditur. Adde, quod actus externus mereatur præmium accidentale. Mens S. Auguſtini patet ex num. 735.

741 Obj. 2. Actus externus habet ſpecialem bonitatem moralem: ergo auget meritum. Ant. Prob. Actus externus habet ſpecialem conformitatem cum lege divina; hæc enim non ſolum præcipit actum imperantem, ſed etiam actum externum, ut adeo actus externus ſit conformis ſpeciali formalitati legis divinæ, & moralitas utriusque actus ſimul major, quam moralitas ſolius actus imperantis. Conf. Ad actum externum requiritur ſpeciale auxilium gratiæ: ergo. Reſp. Diſt. Ant. habet ſpecialem bonitatem moralem objectivam, Conc. Ant. formalem, Subdiſt. adæquate diſtinctam a moralitate actus interni, Neg. Ant. inadæquate diſtinctam, Tranſ. Ant. & Diſt. Conſ. ergo auget meritum aliquo modo materialiter, & extenſive, Conc. Conſ. formaliter, & intenſive, Neg. Conſ. Bonitas moralis formaliter accepta conſiſtit in conformitate radicali actus liberi cum lege divina, hæc conformitas conſtituitur partim per libertatem operantis, partim per ipſum actum; cum igitur libertas actus interni, & externi ſit prorſus eadem, per actum externum moralitas tantum creſcit materialiter, & extenſive, quin ideo fiat magis laudabilis, aut imputabilis. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Novum auxilium non requiritur ob novam moralitatem, ſed ut voluntas per auxilium concomitans, & ſubſequens in poſitione actus externi roboretur ad ſuperandas difficultates, quæ ſuppoſita etiam voluntate efficaci in executione occurrere ſolent.

Di-

Dices. Actus externus placet Deo, homines per illum excitantur ad laudem Dei, & ad actus internos virtutum eliciendos: ergo reſpective ad Deum habet ſpecialem bonitatem moralem. Conf. Si actus externus non haberet propriam bonitatem formalem, non eſſet ratio, cur ſpecialiter præcipiatur, vel prohibeatur: ergo. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo habet ſpecialem bonitatem moralem objectivam, Conc. Conſ. formalem, Neg. Conſ. Quamvis actus externus placeat Deo, non tamen placet, nec reddit hominem laudabilem, niſi quatenus libere elicitur, adeoque apud Deum ſolum eatenus meretur, quatenus ab actu interno denominatur liber. Quod autem alios ad bonum excitet, eſt per accidens; nam poteſt quis ad bonum excitari per actum prorſus indifferentem, & viciſſim non excitari, imo ſcandalizari per actum in ſe valde bonum. Ad Conf. Neg. Ant. Ratio ſufficiens præcipiendi actus externos eſt, tum eorum bonitas objectiva, vi cujus plurimum ſerviunt ad cultum Dei, & diſciplinam externam, tum quia ipſe actus internus efficax non poteſt præcipi, quin præcipiatur externus; ſicut viciſſim dum præcipitur actus externus, mediate etiam præcipitur internus imperans. 742

Obj. 3. Actus externus peccaminoſus ſuperaddit actui interno ſpecialem malitiam: ergo a pari. Ant. Prob. Actus externus debet ſpecialiter exponi in confeſſione: ergo ſuperaddit novam malitiam; alias tota malitia ſufficienter exponeretur confitendo actum internum efficaciter imperantem. Conf. Actus interni, & externi differunt ſpecie, & prohibentur diverſis præceptis, ut patet ex præcepto 6to, & 9no, item 7mo, & 10mo: ergo. Reſp. Neg. Ant. de malitia formali, ſpecialiter imputabili, & adæquate diſtincta a malitia actus interni. Ad Prob. Conc. Ant. Neg. 743

Conſ.

Conf. Actus externi non debent ideo exponi, quia novam habent malitiam formalem, sed quia ab actu interno proprie, & formaliter denominantur mali, & peccaminosi; ut enim ex communi praxi fidelium, & constanti traditione Ecclesiæ constat, Christus præcepit, ut in confessione exponantur omnia peccata gravia, prout sunt interius, aut exterius cogitatione, verbo, vel opere consummata. Ad Conf. Transf. Ant. Neg. Conf. quod actus externi, & interni different specie, & diversis præceptis prohibeantur, ratio sufficiens est, quia habent diversam malitiam fundamentalem, & objectivam.

744 Dices. Homines gravius puniunt delicta, quando procedunt in actus externos, & Ecclesia sæpe imponit censuras, aliasque pœnas actibus externis, quas non imponit internis: ergo idem præsumendum est de Deo. Conf. Juxta nos prohibitis actibus internis, sufficienter essent prohibiti externi; nam si homines abstinerent ab internis, per externos non peccarent. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Gubernatio humana potissimum respicit bonum publicum, & damna realia cavere intendit, ad quod sufficit, si pœnæ statuantur in actus externos; imo non nunquam ipsi actus externi impuniti relinquuntur, dummodo non fuerit secutus effectus. Sic qui præbuit inimico venenum, non incurrit irregularitatem, nisi mors secuta fuerit. At Deus juxta intimam judicat conscientiam; hinc 1 Reg. cap. 16 v. 7 de se ait: *Nec juxta intuitum hominis judico; homo enim videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor.* Ad Conf. Quamvis prohibitis actibus internis etiam essent prohibiti externi; quia tamen in actibus externis sæpe malitia fundamentalis præcipue residet, & illi vehementius in sensum incurrunt, merito Deus eti-

am

am actus externos prohibuit, & sic rudibus magis innotescit, tam hos, quam illos proprie peccata esse, si libere ponantur.

Obj. 4. Modo actus sit liber mediate in sua 745
causa jam auget meritum; atqui actus externi sunt liberi in sua causa, nempe actu interno imperante: ergo. Maj. Prob. Intentio matutina opera nostra diurna reddit meritoria, etsi tantum sint libera mediate in sua radice: ergo. Conf. Libertas mediata sufficit ad merendum majus praemium accidentale: ergo etiam ad substantiale. Resp. Neg. Maj. ad Prob. Dist. Ant. reddit opera diurna meritoria, si virtualiter perseveret, & in illa influat, Transf. Ant. secus, Neg. Ant. Quamdiu intentio adhuc ita virtualiter influit, ut tenue quoddam libertatis exercitium perseveret, merita augentur; secus vero opera vi primae intentionis possunt quidem simpliciter denominari meritoria, sed non erunt magis imputabilia, quam vi primae intentionis imputari potuerunt. Ad Conf. Dist. Ant. ad merendum majus praemium accidentale ratione sui, Neg. Ant. ratione actus interni, cum quo actus externus constituit opus moraliter bonum, Conc. Ant. & Neg. Conf. Etiam praemium accidentale principaliter confertur ratione actus interni, attamen sub conditione, si in actum externum prodeat.

Dices. Actus internus imperatus auget me- 746
ritum substantiale, licet tantum mediate sit liber: ergo ad augendum meritum sufficit libertas mediata. Conf. Opus externum auget satisfactionem actus interni: ergo etiam meritum; sicut enim satisfactio se habet ad delendam poenam, ita meritum ad impetrandum praemium. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. sufficit libertas mediata, si aliunde accedat alius titulus, ex quo meritum crescat, Conc. Conf. secus, Neg. Conf. Quod actus externus non augeat meritum, non provenit ex

solo

ſolo defectu novæ libertatis, ſed etiam ex eo, quia in ſe, & independenter ab actu interno nullam habet bonitatem formalem; neque enim per actum externum intentionaliter amplectimur honeſtatem, ſicut illam amplectimur per actus imperatos internos, & moraliter bonos. Ad Conf. Neg. Ant. de ſatisfactione proprie dicta, nam etiam hæc eſt actus obſequioſus, & liber offenſo exhibitus; ſi vero ſumatur latius pro ſatispaſſione, ad hanc non requiritur neceſſaria libertas. Si tamen quis voluntarie ſibi pœnas infligit, & ultro in ſe ſuſcipit, quod alias a Deo pati deberet, eo fit dignior, ut minus a Deo patiatur invitus, quo plus patitur ſponte.

747 Obj. 5. Non omnia, quæ conſtituunt, vel augent meritum, debent eſſe formaliter libera: ergo defectus libertatis non obeſt, quo minus actus externus augeat meritum. Ant. patet; nam unio hypoſtatica, gratia ſanctificans, bonitas intrinſeca actus interni, ſtatus viatoris &c. conſtituunt, vel augent meritum ſine ſpeciali libertate. Conf. Martyrium attrito non confert gratiam juſtificantem, nec laureolam martyrii, niſi poſito actu externo: ergo actus externus illas meretur. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. de iis, quæ non ſunt formaliter libera, & tamen augent, vel conſtituunt meritum, aliunde conſtat, & a nobis ſpecialiter probatum eſt Q. 1. de actu externo potius conſtat contrarium. Dein ſaltem ex parte voluntatis non creſcit meritum, niſi actus fiat magis imputabilis operanti; hoc autem fieri nequit ſine nova, & majore libertate. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Martyrium externum in attrito non cauſat gratiam ex opere operantis, nec laureola datur ob illud tanquam novum meritum, ſed perpeſſio mortis tantum eſt conditio, qua poſita Deus iſtos effectus confert, ut patet in


par-

parvulis innocentibus pro Christo interfectis, qui mereri non potuerunt.

Dices. Juxta nos 1. Qui vellet tantum boni 748
præstare, quantum omnes Sancti, tantum mereretur quantum omnes simul. 2. Semel efficaciter proponens per totam vitam vitare omnia peccata, idem mereretur, ac si revera vitaret. 3. Volens dare eleemosynam infinitam, mereretur infinite, sequelæ sunt falsæ: ergo. Conf. Bonitas actuum crescit juxta numerum, & bonitatem objecti: ergo. Resp. Neg. sequelas. Ut aliquis mereretur, quantum omnes Sancti, deberet elicere tot actus internos efficaces, quot omnes Sancti, vel saltem unum adeo intensum, ut omnibus simul sumptis æquivaleret; ad hoc autem requireretur gratia intensissima, quæ nulli puræ creaturæ conceditur, aut concessa est, excepta forte B. Virgine. 2. Unum ejusmodi propositum quoad suam bonitatem non æquivalet omnibus illis, quæ requirerentur ad omnia peccata actu vitanda. 3. Voluntas dandi eleemosynam infinitam, ideo non est intrinsece, & entitative infinita, sed solum terminative. Ad Conf. Dist. Ant. Bonitas actuum crescit juxta numerum, & bonitatem objecti aliquo modo geometrice, Conc. Ant. Arithmetice, Neg. Ant. Alias quilibet actus amoris Dei esset infinitus. Actus tam perfectos licet nulla pura creatura elicere possit, copiosam tamen filiorum Dei hæreditatem consequemur, si vitatis solicite peccatis indissolubilem cum Auctore gratiæ amicitiam conservare, & frequentatis operibus bonis per divinum adjutorium merita nostra semper accumulare studebimus.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0025073



MONSCHEIN
THEOLOGIA
DOGMATICO

TRACT. III. IV.

T 2